
darował
Ferdynand Kwiśiewicz
1851.



THEATRVM POLITICVM

In quo

Quid agendum sit a Principe, & quid cavendum, accurate *præscribitur.*

Auctore

AMBROSIO MARLIANO

Papiense Can. Reg. Later. Sac. Theologiæ Professore.

DANTISCI,
Sump. Georgii Forsteri.
cIↄ Iↄc LV.

Eminentiſſ. ac Reverendiſſ.

PRINCIPI

ANTONIO

BARBERINO

S. R. E. CARDINALI

AMPLISSIMO,

Smi. D. N. URBANI VIII

EX FRATRE NEPOTI.

THEATRUM hoc ſacrarum virtutum, quæ optimum Principem tanquam elementa conſtituunt, Patronum te humiliter depoſcit, Eminentiſſime Princeps, ſiquidem jam te habuit exemplar, ut experimento probavere Principes potiſſimum Italiæ, cum quibus de ſumma rerum ita prudenter ſupra ætatem egiſti, & indies agis, ut omnes in tui amorem, & admirationem rapiantur. Domeſticæ quoque Apes, quæ cùm ſolæ ex animantibus Regem habeant, Regendi

politiam hominibus tradidere, hoc idem ſuadent, ut ad Apes redeant præcepta Regnandi, quæ ab Apibus proceſſere. Scio quidem, Iſidoro teſte, Apes ut plurimum paſci rore cœleſti, ſuavique florum odore apprime delectari, & proinde nil tibi deberi, niſi opus ingenio elaboratum, omnibus numeris abſolutum, &, ut nomen tuum Græcè ſonat, floridiſſimum. Verum novi etiam, Fama undique perſonante, Regiam benignitatem tuam, qua potius animi offerentis benignitatem reſpicis, quam rem ipſam. Satis enim dedit, qui ſeipſum donavit. Benigna igitur fronte, ut ſoles, conatulum hunc meum ſuſcipe, meque ad tuam protectionem, tanquam ad beneficum ſidus, proſtrato corde, & corpore confugientem, protege, reſpice, fove. tunc mihi licebit dicere: Ex viſu ſalus.

Ambroſius Marlianus Papienſis Can. Reg. Lateranenſis, Sacræ Theologiæ Profeſſor, perpetuam optat felicitatem.

BENI-

BENIGNO LECTORI.

COMMUNI *commodo, quod vel unicum, vel præcipuum Scriptoris scopum esse debere, nemo dubitat, quomodo inserviam Theatrum hoc exhibendo, ipse judex esto. Certe hoc vel maxime studui, ut ibi virtutum præcepta inspergerem, unde ad omnes facile poßent dimanare. Hoc autem proculdubio continget, dum Theatrum hoc meum Principibus spectandum proponam, cum eorum exempla apud cæteros vim legis obtineant. Erit fortasse, qui cultiorem desideret stylum, sed hoc mihi propositum non permisit argumentum, utpote qui tantum juvandi studio hunc laborem suscepi. Siquidem non me latet, Principum vitam sanctis moribus institutam, totum fere orbem ad ipsorum imitationem suaviter allicere, ac propemodum impellere, sic namque canit Claudianus,*

Regis ad exemplum totus componitus orbis.

Bene vale, & conatum hunc meum æqui, bonique consule.

D. Polycarpus Capellus Casalensis Congregationis Canonicorum Regularium Lateranen. Abbas Generalis. Dilecto Nobis in Christo Patri D. Ambrosio Marliano Papien. Canonico nostro professo, Sacerdoti, ac Concionatori.

VIsa approbatione facta per R. P. D. Angelum Gabrielem Placentinum, & R. P. D. Petrum Franciscum Casalen. Sacræ Theologiæ Professores, & Concionatores, Libri inscripti *Theatrum Politicum*, ex commissione nostra revisi, Tenore præsentium licentiam & facultatem tibi prædicto concedimus, & impartimur, ut ipsum typis mandari, & imprimi facere possis, servatis tamen de jure servandis. In quorum fidem, &c. Datum Papiæ in Canonica nostra S. Petri sub Cœlo aureo, die 2 Februarii 1631.

D. Polycarpus Abbas Generalis.

Loco † sigilli.

Imprimatur, si videbitur Reverendiss. P. Mag. Sacri Pal. Apost.

A. Episc. Bellicastren. Vicesg.

EGo Don Bartholomæus Gavantus Congreg. Clericorum Regularium S. Pauli, & Sacræ Rituum Cong. Consultor, de mandato Reverendiss. P. F. Nicolai Riccardi S. A. P. Magistri, præsens opus, cui titulus, *Theatrum Politicum*, auctore adm. Rev. P. Ambrosio Marliano Canon. Reg. Lateran. Theologo, recensui, & in eo nihil deprehendi Catholicæ Religioni, aut bonis moribus adversans; imo variæ eruditionis plenum est, & à Principibus viris ut legatur, quam dignissimum. In quorum fidem, &c. in Collegio nostro S S. Blasii & Caroli, Romæ, die 18 Decembris 1630.

Don Bartholomæus Gavantus qui supra.

Imprimatur.

Fr. Nicolaus Riccardius Sacri Palatii Apostolici Magister.

Ad

Ad Eminentiss. PRINCIPEM
ANTONIUM BARBERINUM
ANDREÆ BAIANI
DOCT. THEOL.
EPIGRAMMA.

Explicat Ambrosius vario dum flore Theatrum,
Ambrosias quærit, queis sacret, auctor, Apes.
Antoni, sunt, magne, tuæ hæ, quæ cærula supra
Prata volant, cœli & pascua læta petunt,
Curarum cum spina premet minus, hosce per hortos
Lumina florentes pascere blanda feras.
Sic tandem areolis pretium immortale caducis,
Veramque Ambrosiam fundere culta dabis.

In Laudem
AMBROSII MARLIANI
CÆSARIS RASPONI
EPIGRAMMA.

Imperii claras artes, & jura potentum
Regnorum, Ambrosio sparsa lepore refers.
Nominis excelsi splendenti ANTONIUS *umbra*
Hæc tegit, Ambrosium fida tuetur Apis.
Artem regalem, regali ornare patrono,
Ambrosiam & melli jungere nempe decet.

Ad Eminentiss. CARDINALEM
ANTONIUM BARBERINUM
EPIGRAMMA.

Regnandi ô quales liber hic mundo explicat artes?
Rite reget populos, qui sinet inde regi.
At tibi nil opus, ANTONI, *his est artibus, ipsas*
Nam Regnandi artes, ipse docere potes.
Hic igitur memoratus eris, ceu forma regentum,
Quod monet hic calamus, præcipis ipse manu.

In Laudem Libri

HEXASTICHON.

DEfossæ antiquum terræ qui credidit aurum,
Thesaurum arcanis condidit in tumulis.
Aureus Ambrosiam sed qui liber afflat, & artem
Regnandi, ingenua providus arte docet;
Divitias non condit iners, sed divite censu
Mentis opes auro nobiliore beat.

AMBROSII MARLIANI

ANAGRAMMA.

Antonius Barberinus.

An non est Vrbis jubar?

DISTICHON.

EXultat mundus radiantis lumine Phœbi
Vrbis tu jubar es, perpetuumque decus.

THEA-

THEATRUM POLITICUM,

In quo quid agendum ſit à Principe, & quid cavendum, accuratè præſcribitur.

CAPUT I.

Honeſtam vivendi rationem ſibi præſcribat Princeps, & ſequetur eum Populus, ſicut umbra corpus.

VIrtutem ſuapte natura amabilem, quamvis teneatur unuſquiſque omni ſtudio complecti, & tale præbere exemplum, ut luceat coram hominibus, hoc tamen præcipua ac ſingulari ratione exigitur ab eo, quem ad ſummum dignitatis apicem evexit virtus, comite fortuna. Is enim aſtringitur arctiori quodam vinculo, utpote inferiorum exemplar: qualis autem ſuperior, tales & inferiores eſſe ſolent, ita acclamante ſapientiſſimo Rege, qualis rector civitatis, tales & habitantes in ea. Quoniam ſicut heliotropium Solis curſum imitatur, ita populi inſtituendę vitę regulam à Principis ingenio mutuantur. hinc Poëta tragicus:

Eccleſ. 10. Plinius lib. 28. cap. 27.

Rex velit honeſta, nemo non eadem volet.

Primũ mobile, ut tradunt Philoſophi, ab oriente

te

te in occidentem tendens, omnes ſphæras violento impetu ſecum trahit, & modo quodam rapit, ita Princeps in vitium declinans, multos ſimul ad delictum ducit, rupis ingentis inſtar, quæ à montis vertice decidens, plurimos ſecum cadendo pertrahit lapillos. Quapropter omni ſtudio cavendum, ne viri primarii pravo exemplo alios inficiant, quoniam quales Principes in Republica, tales reliqui ſolent eſſe cives; & quod magis refert, non ſolum vitia concipiunt ipſi, ſed ea infundunt in civitatem; pluſque exemplo, quàm peccato nocent. Turpe quidem, non inficior, privatum hominem errare, at in Principe multò magis indecorum. Actio namque Principis cum in aperto ab omnibus conſpiciatur, ad illum imitandum excitat ſubjectos. Ita Plutarchus docet, & quidem pulchre. ait enim, quemadmodum majore dedecore ſolent eſſe notæ in facie, quam in reliquo corpore, ſic etiam minima quæque Principum errata notantur. ô quam pulchre huic rei facit Iſidorus, Creſcit delicti cumulus juxta ordinem meritorum, & ſæpe quod minoribus ignoſcitur, majoribus imputatur. Nonne in Hieruſalem plurimi erant cives vitiis addicti? nullum tamen arguit Ioannes, niſi Herodem. Arguebat Herodem Ioannes. Quorſum hoc? quia in ipſo tanquam in Rege major culpa notatur. Proinde Plato ſcribens Dioni Syracuſarum Regi recens facto, hoc præcipuum præſcripſit obſervandum, nempe quod ita ſe haberet tanquam ſpeculum omnibus expoſitum. Siquidem Princeps ſolis inſtar omnium oculos in ſe convertit, propterea laudabile vivendi inſtitutum amplectatur, quoniam ad ejus exemplum civium mores componuntur, & velut divinus magnes ſubditos ad ſe trahit. Notiſſimus eſt Claudiani

Cicero lib. 3 de legib.

Iſid. lib. 2 de ſummo bono c. 18.

Plato epiſt. 4.

diani verſiculus, huic rei egregiè deſerviens,

In commune jubes ſi quid, cenſesve tenendum, Claud. Paneg. 7.
Primus juſſa ſubi, tunc obſervantior æqui
Fit populus, nec ferre vetat, quod viderit ipſum
Authorem parere ſibi. componitur orbis
Regis ad exemplum. nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quam vita regentis.

Hinc per Ezechielis animalia Principes intelliguntur, per currus, & rotas, populares viri; Sicut enim rotæ non habebant motum proprium, ſed ad motum animalium movebantur, ita & ſubditi fere ſemper ad motum Principum moventur. Idcirco qui pręſunt, longe magis exemplo quam culpa nocent. Proinde Xenophon Cyrum Regem ad bonum regimen inducens, ajebat, præcipuum Principis opus eſt, ſeſe virum bonum præbere, ac etiam pro virili operam dare, ut qui ſub ejus imperio degunt, quam optimi evadant. Populi namque eorum vitam qui præſunt, ſolent æmulari; ſi boni fuerint, ad honeſta eos ducunt; ſi mali, ad turpia. Quocirca non liceat Principi, ne latum quidem unguem, à legis præſcripto recedere, ne pravo exemplo civitas corrumpatur: hæc eſt enim Principis conditio, ut quod ipſe facit, id aliis præcipere videatur; & hoc eſt plebis ingenium, ut magis oculis, quam auribus credat, & magis exemplis vivis, quam verbis mortuis excitetur. Hinc Livium Druſum Romanum ſummis laudibus celebravit antiquitas; is enim cum domum haberet ob feneſtrarum multitudinem oculis vicinorum nimis patentem, fabro cuidam murario promittenti quinque talentorum mercede huic incommodo occurrere, reſpondit, & quidem prudenter, decem potius dabo tibi, ſi totam domum meam conſpicuam effeceris, ut cives omnes

Vellejus Paterculus Rom. hiſt. lib. ultim.

omnes quemadmodum vitam inſtituo, cernere queant. voluit quippe vir egregius innuere, eum, qui cæteris præeſt, illud vivendi inſtitutum ſibi præſcribere debere, ut ſit omnibus tanquam exemplar, à quo cæteri ediſcant, & ſpeculum quoddam lucidiſſimum, in quod Populi inſpicientes viam virtutis aſſequantur. Quorſum Ioannes Apoſtolus ſtellarum nomine honeſtavit Principes? ut ſub hoc velamine doceret, quod ſicut ſtellæ in firmamento ſemper micant, & nunquam patiuntur eclipſim, quod nimis à terra remotæ ſint, ejuſque umbra ad eas uſque nequeat pertingere, ita qui clavum tenet Imperii, vitæ honeſtate aliis prælucere debet, nec ulla unquam macula licet minima deliquium pati. Cui doctrinæ egregie facit Baſilii Imperatoris oraculum ad Leonem filium. Sicut cæteris prælatus es, ut omnibus imperares, ita contende, ut virtute quoque cæteris antecellas; virtus enim omni principatu præſtantior eſt; ſi autem dignitate reliquis præſtas omnibus, virtute autem ab aliis præcelleris, Imperator quidem es, ſed in eo, quod minoris excellentiæ eſt, in eo verò, quod præclarius eſt, Imperator non es; imo ſub alterius Imperio es. Nec deſunt ſacrarum litterarum teſtimonia: dixit enim Dominus ad Moyſem, accipe virgas à Principibus tribuum, quem ex his elegero, germinabit virga ejus: germinavit autem virga Aaron, & turgentibus gemmis erumpebant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas formati ſunt. Quid hinc? hoc nimirum, quod ille ſolus principatum gerere debet, qui germina virtutis profert; ô quam ſumma felicitas erat gentium in aureo ſæculo degentium, in quo non poterat eſſe potentior, niſi melior. tunc enim penes ſapientes fuit Regnum, quan-

Apocal. cap. 1.

Numer. c. 17.

quando officium erat imperare, non Regnum. At nostra hac tempestate, quod nimis deplorandum est, statim, cum quis promotus est ad honores, non curat prodesse, sed gloriatur tantum præesse, non quærit opus, sed opes; non libros, sed libras; non prece, sed tantum pretio juvat, & demum præsumit se meliorem, quia cernit se superiorem. at bonum facit, non gradus, sed virtus; non dignitas, sed honestas. scitè admodum Cyrus, qui dicebat, neminem debere imperare, qui subditis non esset melior. Pulchre quidem Bernardus ad Eugenium, audi canticum meum minus suave, sed salutare; monstruosa res, gradus summus, & animus infimus; sedes prima, vita ima; lingua verbosa, manus otiosa; sermo multus, fructus nullus; vultus gravis, actus levis; caput canum, cor vanum; ingens auctoritas, nutans stabilitas. Non sic, non sic, ô Principes, ait Ambrosius, sed studete, ut nomen congruat actioni, & actio respondeat nomini. Scio quidem, Principem esse hominem, nec ob dignitatem penitus exuere humanitatem, ut prudenter docuit quidam Philosophus; is enim flentem Imperatorem ob infausta quædam nuntia, cum à senatu, & à magistratibus increpari cerneret, in hæc verba prorupit: Sinite plorare, quia dignitas Imperatoris, non impedit illum esse hominem; negari tamen non potest, pravo Regis exemplo, plurimos perdi. Siquidem hoc in more positum est apud omnes, ut Principum actiones, aures & oculi populorum sequantur. Quod quidem divinarum, humanarumque litterarum monimentis, facili negotio comprobatur. Acclamavit Jonas, adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur. Tunc Rex hac voce perculsus sacco induitur, sedet in cinere, fundit lachry-

Consid. lib. 3. cap. 13.

Jonæ 3.

lachrymarum imbres. Quid hinc? omnes illico
Dan.c.5. secuti sunt Regem. Vasa templi prophanavit Rex Chaldæus, statim post illum, & optimates ejus.
2 Reg.4. arripuit Saul gladium suum, & irruit super eum, hoc cum vidisset armiger ejus, irruit & ipse super gladium suum & mortuus est cum eo. tantum valuit Principis exemplum in re omnium acerbissima.
3 Reg. cap. 12. Cum esset Jeroboam idolorum cultor, ejus exemplo plebs edocta idolis incensum adolere
Gen. 18. non dubitavit. Abraham pius in hospites erat, famulum quoque habuit, qui celeriter ad gregem curreret, & vitulum occideret, quem & Sara
2 Reg. cap. 13. uxor libentissime coxit. Absalon impius erat, famulos quoque habuit ejusdem farinæ, qui ad ejus nutum Ammon fratrem domini sui in ipso convi-
Luc.c.16 vio nefarie trucidarent. Dives ille cum Lazaro crudelis erat, omnes etiam aulici impii, quia ne-
Matth.2. mo illi dabat. Turbatur Herodes, mox turbatur omnis Hierosolyma cum illo. Unde Bernardus exclamat, ô misera civitas in qua regnat Herodes, quoniam Herodianæ procul dubio particeps erit malitiæ. Nec desunt testimonia ex humanis lit-
Plutar. in suis moralibus. teris deprompta. Cum Dionysius Platone magistro Philosophiæ operam daret, tota regia pulvere fuit repleta præ turba geometricas pingentium figuras, sed eodem ad sua pocula, & voluptates redeunte, vitæ mollities universos occupa-
Q.Curtius l. 5. de gestis Alexand. vit. Alexander Macedonum Rex, cum interiorem Persidis regionem penetrasset, ventum est ad iter perpetuis obsitum nivibus, ubi solitudines inviæ animos militum deterrebant, & detinebant, tunc Rex ipse equo desiliit, pedesq; per nivem, & concretam glaciem quasi reptans ingredi cœpit, & dolabra glaciem perfringens, viam sibi feliciter aperuit. erubuerunt non sequi primum amici, dein-

deinde copiarum duces, milites denique omnes. tantæ molis erat egregium Principis exemplum; viſo in acie Imperatore animi militum accenduntur. Quid Julii Cæſaris exercitum, ad Cordubam contra Pompejum juniorem perterrefactum, & jam de fuga magis, quam de pugna meditantem, reſtituit, animavit, & ad bellandum impulit? pudor militum ad Principis exemplum. Cum enim milites omnes audiviſſent Cæſarem in concione exclamantem, hic dies mihi finis vitæ erit, & militiæ veſtræ ultimus, & vidiſſent, quod his dictis mox arripuit obvii militis clypeum, ſolus hoſtes invaſit, loco deturbavit, & ducenta circiter tela in ſe miſſa partim audacter evitavit, partim ſcuto excepit, tunc tanto pudore accenſi fuere milites; moxque tanto impetu in hoſtes irruêre, ut Pompejum cum univerſo exercitu in fugam compulerint, duceſque, capta Corduba, in quam confugerunt, magna ex parte cæſi ſunt, & eorum capita ad Cæſarem perlata. En quanti ponderis ſtrenui ducis exemplum. Neronis parricidium laudant centuriones, & tribuni, mox cœpto exemplo proxima Campaniæ municipia, victimis & legationibus lætitiam teſtantur. En populares viri, quam facile illuſtrium virorum exemplis inficiuntur.

Livius lib. 2. decade. 1.

Tac. l. 14. annal.

Clodoveus Gallorum Rex, cum fidem publice profiteretur, & ad ſanctum convolaret lavacrum, à beato Remigio Epiſcopo baptizatur, mox ipſius exemplo tria hominum millia baptiſmum ſuſcepere. Regnante Conſtantino optimo Principe Chriſtiana fides in dies florebat. At regnante Conſtantio, quia Catholicę Eccleſiæ fuit hoſtis acerrimus, etiam populus Arriana labe fere omnis infectus. Sed quid plura? nonne noſtris temporibus regnante in Anglia Henrico octavo, tunc fidei defen-

Gregor. Turon. l. 2 hiſt. Franc.

fen-

fenſore,totum Regnum in fidei fervore florebat? at ipſomet Annæ Bolenę amore inſaniente, & labe hæreſis infecto,totum fere Regnum à fide defecit. regnante Maria totum Regnum ad Eccleſiam rediit, at regnante Eliſabetha iterum regnare cœpit Calviniſmus, & vera exulare religio. En quantum refert, vel bonum, vel malum Principis exemplum; tantum utique, ut etiam corporum notas, motus, ac geſtus imitari in dominis ſubditi geſtiant. Hinc Perſæ pulchrum exiſtimabant naſo adunco eſſe, quia Cyrus eorum Rex talem habebat. Platonis contractos humeros familiares ejus exprimebant. Ariſtotelis gibbum diſcipuli pulchritudinis loco ducebant. ita cecinit Poëta:

Claudum, cum claudo Principe, vulgus erit.

Apud Æthiopes habebantur inglorii, qui non imitabantur Principes in corporis etiam defectibus. ſi quando Rex aliqua corporis parte ex quavis cauſa debilitabatur, domeſtici omnes ſponte ſua eandem partem debilitabant: turpe enim exiſtimabant, Rege claudo non etiam amicos claudos eſſe. ſed quod majoris admirationis eſt, non ſolum claudicabant cum claudo, ſed mortuo Rege magis intimi & familiares morti ſe dabant;proinde ſubjunxit auctor, ferunt quoque conſuetudinis eſſe amicos ultro in Regis morte vita defungi. Ad hanc rem ſatis appoſite facit divini vatis oraculum, Vidi iniquitatem, & contradictionem in civitate,die ac nocte circumdabit eam ſuper muros ejus iniquitas. pulchre advertit Auguſtinus, non in muris lapideis iniquitas, ſed in viris qui ſunt munimenta civitatum, hoc eſt in Principibus,qui à Deo conſtituti ſunt propugnacula urbis. Quod autem hæc fuerit divini vatis intentio, liqui-

Diodor. Siculus lib. 4. rerum antiquar. cap. 1.

Pſal. 54.

liquide constat ex alio ipsius oraculo, ubi vocat Psal. 46.
Principes clypeos civitatum. quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt. alia lectio habet, quoniam Principes sunt clypei terræ. nec inepte, quia Principes ad protectionem populorum constituti sunt. Cum autem in his appareat iniquitas, & re vera insit, quid mirum, si non defecit in plateis ejus usura, & dolus? qualis enim Rex talis quoque grex. Heu quam perniciosum Principis exemplum, sanguineis lachrymis deplorandum, & gravissimis suppliciis dignum. ita divino oraculo comminante, durissimum judicium fiet his qui præsunt. Hoc probe noverat Rex vere ca- Sap.c.6.
tholicus Ferdinandus: hic enim cum post multa egregia facinora, morti jam proximus esset, ingemiscens dixit, O utinam divinæ Majestati placuisset, me monachum laicum fuisse; nunc enim tam exacte tot Regnorum ratio non esset reddenda. quasi jugiter maneret alta mente repostum Oseæ Oseæ c. 4.
prophetæ oraculum. Peccata populi comedetis. Quę verba exponens Cyrillus dixit, peccata populi comedetis, hoc est, hostias pro peccatis oblatas, ad religiosos viros dirigens sermonem. Scriptura Levit. c. 10.
enim ita loqui solet. Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto. in Hebræo est, cur non comedistis peccatum? decet enim ut sacerdotes qui laborant in altari, de altari vivant. Alexander Pontifex hujus nominis primus, hoc dictum intelligit de sacerdotibus, qui precibus suis peccata 1. q. 1. cap. ipsi sacerdotes.
populi delent. Comedere namque pro consumere multoties in divinis litteris solet accipi, Quia comederunt Jacob, & locum ejus desolaverunt. comederunt, hoc est consumpserunt. Divus Hieronymus sic explicat, peccata populi comedunt, hoc est, ex eis vivunt: dissimulant enim peccata,

& laudant, ſicque ad eorum quæſtum afferuntur hoſtiæ, & populum ſpoliant ac comedunt; de quibus loquitur ſcriptura, Qui devorant plebem meam, ſicut eſcam panis. quaſi dicat, comedendo peccata populi, populum ipſum comedunt. Sic etiam exponit Gregorius, Cur peccata populi comedere dicuntur, niſi quia peccata delinquentium fovent, ne temporalia ſtipendia amittant? Sed afferamus explicationem noſtro inſtituto magis conſonam: Peccata populi comedetis, hoc eſt, pro peccatis populi pœnas luetis. hoc eodem modo explicandum venit oraculum illud, Si ſuſtinuero, infernus domus mea eſt; ſi ſceleſtos viros impunitos abire permiſero. Siquidem, ut ait Agapetus ad Juſtinianum Imperatorem, delinquere, & eos qui delinquunt nullo obſtaculo occupare, perinde eſſe reputa; ſi enim quiſpiam in republica vitam ipſe degat ab omni iniquitate immunem, eos autem ſuſtineat, qui impure vitam traducunt, malitiæ collega à Deo judicatur. Cui doctrinæ egregie favet Romanus orator, Si quid eſt in corpore quod reliquo corpori noceat, id uri, ſecarique patimur, ne totum corpus intereat; ſic in reipublicæ corpore, ut totum ſalvum ſit, quidquid peſtiferum eſt, amputetur. dura vox, ſed multo illa durior; ſalvi ſint improbi, deleantur honeſti. Ad bonum quippe Principem, cui bonum commune tuendum commiſſum eſt, pertinet, impedire proviribus, ne partes quæ ſunt propter totum, illud corrumpant, & ideo ſi non poteſt omnes partes integras ſervare, potius debet unam partem amputare, quam ſinere, ut bonum commune pereat, agricolarum exemplo edoctus, qui ramos amputant & ſarmenta, quæ officiunt viti; & medicorum, qui amputant membra

Homil. 17 in Euang.

bra

bra putrida, quæ totum corpus inficere poſſent. princeps namque integritate vitæ conſpicuus, ad bonum publicum aſſidue anhelare debet, gerens pro ſtemmate illud inſigne, nimirum, vas vitreum, in quo lùmen incluſum, appoſita notula, Intus, quò foris. quod regium plane inſtitutum, ut menti tenacius hæreat, tibi amantiſſime Princeps hoc inſigne appingo, alvearium nempe unà cum apibus, & melle, adjecta inſcriptione Virgiliana, Sic vos non vobis. ſiquidem apes argumentoſæ non tam ſibi ipſis, quam humano uſui mellificant, ita Principes alieno ſemper & publico bono inſudare debent. Quod ſane propoſitum egregio emblemate exprimit, & re ipſa comprobat Barberina Familia, dum in gentilitio ſtemmate apes pingit mella ferentes, quia ſemper dulciſſima publicæ utilitati mella irrorare prò virili contendit, & in dies magis experimento probat præ lætitia geſtiens univerſa Chriſti reſpublica, ſub regio Urbani Octavi Pontificatu, qui mente quotidie perpendit, ſe exactam rationem redditurum pro Chriſtiano grege, ſi ſanctitatis exemplo illum ad meliorem frugem non reducit, quaſi vox illa auribus ejus inſonet, Sanguinem ejus de manu tua requiro. Ezech. c. 3. Hoc ſtimulo vehementer angebatur Rex David, proinde lachrymarum imbres quotidie ab oculis effundebat. Quoties in mentem redibat iniquitas, quam fecerat, toties exitus aquarum deducebant oculi ejus, nec unquam toto vitæ curriculo lachrymas intermiſit, idcirco lachrymas appellabat panes; Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes, dum dicitur mihi quotidie, ubi eſt Deus tuus? Pſal. 41. nec abs re vocabat panes. Quoniam ſicut inter omnes cibos, nullus eſt pane frequentior, ita continuus peccatorum do-

dolor, cor ejus angebat. bene panes, quia quemadmodum panis reliquos cibos comitatur, ita fletus omnium ejus actionum individuus erat comes. bene ergo panes, quia ſicut panis eſt cibus omnibus communis, ita Rex coram omnibus plorabat, quoniam publice deliquit; ut ſi forte aliquis ſecutus ſit errantem, ſequatur & pœnitentem. bene igitur panes. quia licet panis famem avertat, ſitim tamen non extinguit, quin potius accendit. Ut igitur bonus Rex innueret, quod quo magis lachrymabatur, tanto magis in eo accendebatur lachrymarum ſitis, propterea lachrymas appellabat, non aquas, ſed panes, ac ſi diceret, plus ultra, Deum infinitum offendi, ſine fine plorabo, quia dolor de peccatis, nunquam ſatis. quaſi pro ſtemmate haberet Crocodilum, de quo refert Plinius, quod ſemper creſcit, quamdiu vivit, appoſita hac nota, Noſtri ſimulachra doloris.

Amarantho hæc ineſt natura, ut ſi in aquam mittatur, virorem nunquam amittat, & ego, dicebat David, aquarum lachrymis inundatus, dolorem cordis pro offenſa Dei conceptum, non dimittam. quaſi illud academicum pronuncians, At lachrymis mea vita viret. Quocirca lavabo per ſingulas noctes lectum meum, & lachrymis meis ſtratum meum rigabo. prudenter quidem lectum & ſtratum copulavit, quia in his præcipue locis divinum numen offenderat. lectum, en thori alieni violatio. ſtratum regium, en juſtitiæ corruptio. Nam ibi ſententiam mortis contra innocentem Uriam promulgaverat, & manu regia firmaverat. ſicut enim apud multas nationes mos inolevit, ut in eodem loco, ubi deliquit reus, ibi Gen. 30. delicti pœnas luat. ita David in ſtrato, & lecto, ubi

ubi deliquerat, de ſeipſo vindictam ſumebat, & quia in populis jam erat evulgatum delictum, ideo ut pœnitentiæ ſignum omnibus patefaceret, ubique amarè flebat. Flebat in aula regia. ſtratum meum rigabo. Flebat in lecto. Lavabo lectum meum. Flebat in menſa. Fuerunt lachrymę panes. Flebat etiam in via. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei. & nunquam finis. Euripidis ſententia fuit, quod regi flere non licet: non enim bene cohærent fletus & majeſtas. cur igitur Rex David plorat? non plorat quod civitatem amiſerit, quod in bello ſuperatus fuerit, quod in captivitatem ductus; ſed plorabat, quia bonorum ſpiritualium jacturam fecit. nam gratiam divini numinis amiſerat, juſtitiæ decorem, animam denique ſuam turpiter fœdavit, & ideo regiæ dignitatis oblitus, lachrymis & fletibus vacabat, nec unquam intermiſit toto vitæ curriculo. Quidam orator celebris laudes Epheſtionis Alexandri regis amici decantans, hoc unum repetebat, De dilecto nunquam ſatis. At Rex pœnitens frequentibus ſuſpiriis clamabat, Pro offenſa Dei, & pro plebe exemplo meo corrupta, die ac nocte plorabo, & nunquam ſatis. Siquidem qui clavum tenent, & in excelſa puppi ſedent cęteris pręfecti, pro commiſſis populis exactam rationem reddent, pœnaſque graviſſimas dabunt, niſi ad meliorem frugem illos reducant. Optimos itaque mores ſummo ſtudio complectatur Princeps, turpes vero radicitus evellat, & idem prorſus facient populi. Nam quales virgas figebat Jacob in canalibus, tales etiam partus edebant oves.

Huc facit appoſite quod olim hiſtoriarum monimenta tradidere. Legitur, & multi doctores non ſanè vulgares affirmant, ſpecioſam quandam D. Hieron. to. 3. epiſt.

& candidam mulierem, prolem edidisse, instar Mauri, nigerrimam, quam calamitatem cum eadem fœmina ad Albertum Magnum retulisset, scire cupiens tanti casus rationem aliquam, Albertus Magnus Mauri imaginem reperit in thalamo, quam mulier in extremo voluptatis æstu fuerat contemplata, dixitque illi, Inveni domina patrem filii tui. Idem prorsus populis contingit, qualia enim vident in Principe, talia pariunt & operantur. Nunquam vel raro in sacris litteris de solis obscuratione fit mentio, quin statim subsequatur lunæ & stellarum obtenebratio. Obscuratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo. Sol & luna obtenebrati sunt, stellæ quoque retraxerunt lumen suum. & in fine capitis, Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem. Nec credat Princeps cum turpiter vivat, vitia sua latere, & proinde pravo exemplo non inficere. aberrat toto cœlo. Fama enim penetrat abditos quosque Principum recessus, secreta quæque rimatur, occultiora introspicit, latebras omnes explorat. non tenebræ, non solitudo obstat, quo minus in vulgus dimanet quidquid egerit Princeps, nam lux principatus omnia reddit conspicua. Hinc veteres Poëtæ veritatē finxere temporis & memoriæ filiam, quia licet aliquando lateat, parvo tamen temporis progressu emergit in lucem. Annales Taciti legantur, & omnes propemodum Romanæ aulæ angulos excussos reperiemus. Quid quæso, profuit Tiberio, seu potius Biberio, obscurum & subdolum fingendis virtutibus ingenium? Quid solitudines, ad inauditam, ac inexplebilem libidinem occultandam quæsitæ? Nonne monstrum illud dimotis parietibus, historia nobis ob oculos ponit? O quam pulchre Salustius; Aliis alia

Alvar de planctu Ecclesiæ lib. 1.

Isa. cap. 13.
Ioël cap. 2.

Aulus Gell. Noct. Attic. lib. 12, c. 12
Corn. Tac. lib. 5 annal.

Saluſt. ad Cæsarem.

alia licentia eſt, qui demiſſi in obſcuro vitam agunt, ſi quid iracundia deliquere, pauci ſciunt, fama, atque fortuna eorum pares ſunt: at qui in excelſo dignitatum culmine degunt, eorum facta cuncti mortales novere.

Principis eſt vitium tanto conſpectius in ſe,
Quanto aliis Princeps eſt mage conſpicuus.

Hoc enim habet magna fortuna, quod nihil tectum, nihilve occultum eſſe patiatur. privatus homo tegere improbitatem poteſt; principantium facta, dictaque omnia, ex edito proſpectanda proponuntur. Quapropter maxime adnitendum, ne duces ſuis ad impietatem fiant, trahantque exemplo in interitum, quos debebant in ſalutem. Hoc autem facile præſtabunt, ſi Juſtitia, Pietate, Clementia, ac cæteris virtutibus comitati incedant, tanquam ſpecula ampliſſimo totius orbis Theatro expoſita. Siquidem domus regia Principis, debet eſſe Dei Templum, Prudentiæ oculus, libra Juſtitiæ, Fortitudinis ſedes, regula Temperantiæ, Honeſtatis exemplar, Charitatis ſplendor, fons Gratiarum, Muſarum chorus, Oratorum, Poëtarumque gymnaſium, Philoſophorum, Theologorumque ſacrarium, Prudentum ſenatus, præmium litteratorum, pauperum menſa, bonorum ſpes, innocentium refugium, omnium miſerorum tutiſſimum præſidium. Marſil. Ficinus lib. 5. epiſt.

Moribus ingenuis ſint aurea ſceptra tenentes,
Moribus ingenuis ſic erit & populus.
Mobilis ad primi motum volvuntur & aſtra,
Si currit corpus, currit & umbra ſimul.

Caput II.

Principi justitia sit comes individua, & diu florebit Regnum ejus.

Regis à latere nunquam recedat Justitia, omnium virtutum Regina, quæ regiam Majestatem foveat, dirigat, illustret, fulgentissimi solis instar. Hic enim universis cœli luminibus dominatur, & præest. Hæc morales virtutes omnes facile antecellit, & subjecti, & objecti, & effectuum dignitate. Subjecti quidem, quoniam in nobilissima animæ potestate collocatur, in voluntate nimirum, quæ præcipit jus suum unicuique tribui. Præclarissima etiam ratione objecti, nam virtus circa difficile versatur. difficilius autem est, hominem esse recte affectum ad alienum bonum, ad quod natura non propendet, quam ad proprium, cui libentissime inclinatur. Præstantissima itidem, si præclaros effectus contemplemur, concordiam siquidem, pacem, & societatem inter homines parit, tuetur, & servat. Quid si dixerim ipso sole longe splendidiorem? non falso id quidem, Sol enim interdiu solum, hæc etiam noctu refulget. Sol oculis tantum corporis, hæc autem oculis mentis. Sol diuturna, & assidua præsentia plurimum obest, & absentia noctu prodest non parum. Justitiæ absentia semper obest, semper prodest præsentia. Pulchre quidem scripsit, qui Principis Justitiam, Regni animam nuncupavit. siquidem recedente anima, corpus statim dissolvitur; exulante justitia, in præceps ruit Regnum. Princeps itaque quasi jus animatum, commune commodum præ oculis

Aegid. de reg. princ. lib. I. c. 2.

oculis habens, sæpius mente revolvat, quod ut prosit, non ut præsit, in summo regimine est constitutus. Rex enim propter Regnum, non Regnum propter Regem; sicut non totum propter partes, sed quælibet pars, etiam caput, propter bonum totius condita sunt. Hinc dicebat Plinius junior, Bonus Princeps post omnes est. Sed quomodo Paradoxum istud? Nonne caput præ aliis membris in corpore? qui igitur Princeps præsertim optimus reipublicæ caput optimum, post alios habendum? optime dixit, post omnes, non post singulos, quia & ipse Princeps reipublicę pars est, sed præcipua, singulis comparatus, inter singulos est, at omnibus, hoc est, universo reipublicæ corpori, ut & alia quælibet pars, minor est toto, post omnes simul acceptos, quia & Princeps ad bonum commune creatus est. Porro principes, qui omnia in privatum commodum convertunt, tyranni sunt, non Reges. Unde Bernardus lib. de consideratione ad Eugenium docte & eleganter, ut solet. Dejecti animi sunt Principes, qui subditorum profectum non quærunt, sed quęstum proprium: indecens est enim valde Principi, voluntate pro lege uti, & veluti rationis expertem, non pro ratione, sed pro libito agere. hac enim ratione distinguitur potestas regia à tyrannica, quod regia potestas commune bonum procurat, tyrannica vero privatum commodum. imo lex instituta ad privatum commodum, non dicenda lex, sed iniquitas. siquidem cessante boni communis ratione, cessat & ipsa lex, & vim obligandi non habet. Nam lex est proprium opus publicæ potestatis, at potestas publica de se in bonum publicum ordinata est. Hinc merito laudatur Augustus Cæsar, qui postquam multis ædificiis Romam decorasset, suis

Arist. polit.

Paneg. in Trajan.

D. Tho. in 1. 2. q. 90. a. 2.

familiaribus dixit, Romam lateritiam accepi, marmoream relinquo. Proinde huic optimo Principi apprime convenit illud adagium, Dignus est obelisco. erat autem obeliscus columna pyramide minor, Soli sacra, quæ nulli erigebatur apud Ægyptios, nisi ei, cujus vita veluti quidam solis splendor, omnibus posset prodesse, etiam non poscentibus. Siquidem ille tenet justi Imperii clavum, qui nemini nocet, omnibus prodest, publico bono semper addictus, supremi Principis exemplo, qui produxit creaturas ex nihilo, non ut inde bonum reciperet, sed ut eis bonitatem, quam habebat, influeret; adeo ut finis productionis creaturarum, non sit necessitas indigentiæ, sed abundantia divinæ bonitatis, quam Deus creando communicat: non enim Deus agit propter desiderium boni & finis, ut alia agentia, sed propter amorem. nam desiderium propriè est rei non habitæ, at Deus agit propter amorem boni & finis quem habet, & vult aliis communicare. Hoc igitur est proprium Principis munus, publicis commodis inhiare: ut enim sapientes affirmant, alienum bonum est justitia. Proinde Adrianus Imperator, veri Principis simulachrum, frequenter in senatu dicere solebat, se ita gesturum principatum, ut sciret rem populi esse, non suam privatam. Vox planè aurea, & res multo magis, cum præstatur. Hoc egregie testatum reliquit Pelopidas Imperator, nam in expeditionem proficiscenti, cum uxor ingemiscens sæpius exclamaret, ut propriam vitam tueretur, sibique consuleret, Aliorum est respondit, vitam propriam tueri, at Imperatoris, ex suis incommodis omnia reipublicæ parare commoda. Huc appositè facit insigne illud academicum, nimirum, Apis ex floribus mel conficiens,

Ægid. 2. d. 1. par. 2.

Florianus Nannius Episc. Scal. in sua Cat. arg.

ficiens, aliorum utilitati consulens, apposita notula, Sic vos non vobis. Quocirca bonus Princeps communis commodi gratia, tanquam verus pater, omnibus prospicit, nullum despicit, neminem respicit, sed unicuique quod suum est, fideliter tribuit, ut feliciter expressit doctissimus ille academicus, qui lucidissimum speculum appendens, brevem hanc sententiam apposuit, Cunctis æque fidum: Supremi Regis exemplo, qui reddit omnibus secundum opera sua. nec dicas quæso, quomodo jus suum unicuique tribuit, si ob temporalem, immo momentaneum lapsum perpetuas exigit pœnas? quomodo observatur illud, secundum mensuram delicti erit etiam plagarum modus? delictum enim est temporale, punitio autem delicti æterna. modica delectatione committitur, & pœna sine fine infligitur? hanc enim difficultatem egregie explicat Augustinus, In retributione, ait, justitiæ, non semper consideratur æqualitas temporis inter culpam & pœnam. nam & in civili republica pro brevissima adulterii culpa, capite plectitur adulter, & sic perpetuò privatur viventium societate. D. Gregorius aliter exponit & quidem optime. Conveniens est, inquit, ut qui in suo æterno peccavit contra Deum, in æterno Dei puniatur. dicitur autem aliquem in suo æterno peccasse non solum secundum actus continuationem in tota hominis vita durantis, sed quia hoc ipso quod finem in peccato constituit, voluntatem habet in æternum peccandi. nam voluissent iniqui, ait Gregorius, sine fine vivere, ut potuissent sine fine peccare. ostendunt quippe, quod in peccatis semper vivere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare, dum vivunt. ad magnam ergo judicantis justitiam pertinet, ut nunquam careant sup-

Aug. lib. 21 de civ. Dei cap. 2.

Greg. lib. 4 dial. c. 44.

D. Tho. lib. 3 cont. gen. c. 44.

supplicio, qui dum viverent, nunquam voluerunt carere peccato. Divus Thomas Gregorii explicat expositionem, Apud divinum judicium, ait, voluntas pro facto reputatur. qui autem propter temporale bonum aversus est ab ultimo fine, qui in æternum possidetur, præposuit illius fruitionem fruitioni ultimi finis. ex quo colligitur, quod multo magis voluisset in æternum illo bono temporali frui. mortaliter itaque peccans, sic puniri debet, ac si æternaliter peccasset. Et merito quidem, pœna infinita punitur peccator, quia culpa fuit infinita. in peccato quippe duo considerantur, aversio à bono incommutabili, & conversio ad bonum commutabile. ratione aversionis, peccatum est infinitum, quia privat bono infinito. Justus itaque Deus, qui ad neutram partem deflectit, sed pro meritis retribuit: proinde medium semper locum elegit, ut ostendat Principes, utpote judices populi, in medio debere consistere, ad extrema non declinantes. Siquidem Justitia inter virtutes morales est veluti terra inter elementa. hæc enim, ut placet Philosophis, æque librata in medio propriis consistit ponderibus. Sola quippe elementorum est immobilis, & cardo virtutum omnium est justitia, quę in medio virtutis locum occupans, ad neutram partem declinat, & est tanti ponderis inter alias virtutes morales, ut primum locum obtineat. Unde interrogatus Agesilaus Rex, utra esset perfectior, justitia, an fortitudo? respondit. Si omnes essemus justi, fortitudine non esset opus, nam ubi viget justitia, nunquam opus est viro forti: at ubi est fortitudo, ibi opus est justi viri præsidio. justitia enim est necessaria in omni tempore, in omni loco, & in omnibus hominibus; at fortitudo est necessaria tantum in bello & ad tuendam

dam

dam justitiam. Quod & facile conjici potest, ex ipsomet nomine Principis, qua enim de causa dicitur Princeps à capite? quia sicuti ex capitis partibus per universum corpus nervi omnes, & sensus distribuuntur, ita ex Principe per universum Imperium æquo jure justitia administratur. Cavendum est Principi, ne major sit pœna quam culpa, neve ex eisdem causis alii plectantur, alii vero impune dimittantur: nihil enim iniquius tulit Populus Romanus, quam ab Imperatore Domitiano in eodem crimine deprehensos, pauperes capitali supplicio damnari, divites autem pecunia mulctari & patrimoniis exutos absolvi. Hinc satis exploratum, nec amicorum, nec parentum, nec nobilitatis personam accipi debere, ubi justitię ratio habenda est. Sane ut sol non alius est pauperi, alius diviti, sed omnibus communis, ita Principes personam spectare non debent, sed causam. Nonne eadem trutina aurum ponderatur & plumbum? Sic eadem æquitate, parvis & magnis justitia administranda est. Hoc perbelle insinuavit Philosophus, cum Principem centro comparavit, quoniam sicut centrum est punctum in medio globi existens, à quo lineæ ad circumferentiam ducuntur æquales, ita Princeps medium locum tenet in administratione justitiæ ad neutram partem deflectens. prima enim pars æquitatis, est æqualitas. Quorsum Ægyptii cupressum statuebant pro symbolo justitiæ? quoniam hæc arbor à radice ad fastigium recto surgit stipite, æquales ramos æquo ordine protendens, ita ut alius alium non excedat, sed pari æqualitate consurgant, ita Princeps boni & æqui custos, à semita æquitatis non declinans, jus suum unicuique tribuit, utpote, qui neminem respiciens, ab omni affectu omnino est alienus.

Nam

Nam sicuti & lingua omni sapore est destituta, quò sensum habeat saporis universi, & acies oculorum expers est omnium colorum, quò possit colores omnes discernere; ita plane Princeps, ut queat de aliorum vitiis, & affectibus judicare, debet odio, amore, atque omni animi perturbatione carere. Quatuor siquidem animi perturbationibus judicium pervertitur, amore, timore, odio, & spe. Præ timore, Pilatus humani generis Salvatorem damnavit. primo enim agni innocentiam agnoscens, eruere cupiebat de luporum faucibus, postquam tamen in aure ei instillatum fuit
Joan.29. verbum illud, Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris; ac si dicerent, à præfectura cades. audito hoc verbo timuit, & mox turpiter pronuntiavit, Accipite eum vos & secundum legem vestram judicate. Pre amore, uxor Tlepolimi Helenam ob viri zelotypiam jussit suspendi. Proinde antiqui pingebant amorem puerum, & oculis captum, ut significarent locum judicio non esse, ubi amor mentem occupat. Unde non inepte quidam ait, Amantes amentibus, ut nominum similitudine, ita re ipsa affines esse. Hinc Publius mimus dictitabat, amare & sapere vix Deo conceditur; idcirco nunquam debet fieri judicium in conspectu ob-
Arist.2. ethic. jecti delectabilis. Præ odio, Medea filios ex Jasone susceptos interfecit. Præ spe denique & cupiditate Pigmaleon Rex Tyri Sicheum sororis suæ Didonis maritum occidit, ut auro ejus potiretur.
Amian. Marc. l. 14. Præclare Alexander Magnus in gyro rationis se continebat, is enim urgenti matri, ut occideret quendam insontem, & dictitanti se per novem menses portasse prægnantem, ita respondit prudenter, & pie, Aliam parens optima posce mercedem, hominis enim salus beneficio nullo compen-

penſatur. O verba ſane aurea, æternis ſæculis commendanda. En bonus Princeps, qui nec materno affectu ab honeſto deflecti potuit, in hoc regem ſe potius quam filium præſtitit. Nec minus egregium facinus, quod der Ataxerxe Xerxis filio veteres produnt hiſtoriæ. Cum enim quidam ex optimatibus Regni peteret ab ipſo quoddam minus juſtum, ſentiretque Rex hoc facere ſollicitatum triginta Daricorum millibus, ſtatim Quæſtori ærarii ſui mandavit, ut Daricorum triginta millia ad ſe referret, ea protinus dedit, dicens, Accipe, nam cum hæc tibi dedero, non ero pauperior; injuſtior quidem futurus, ſi illa quæ tu petebas, feciſſem. En Rex æquitatis amans, nec amicum contriſtavit, nec à juſto deflexit, precibus illectus, quaſi referens Periclis oraculum, qui ab amico rogatus, ait, Oportet me amicis accommodare, ſed uſque ad aras. hoc eſt, amici cauſa minime violandam religionem. Nec amicus ille dicendus eſt, qui te ab honeſtate, divinaque amicitia ſejungit, nec juſtæ humanæ leges ſine divina, quia terrenum Regnum quod cæleſti non fulcitur, non regnum, ſed publicum latrocinium jure nominatur. amicus Socrates, amicus Plato, ſed magis amica veritas, vetus eſt adagium, quo docemur, nullum hominem tam charum nobis eſſe debere, ut in illius gratiam veritas ullo ſupprimatur modo. Ad hanc rem pulchre facit Tullianum illud oraculum: Hæc igitur prima lex in amicitia ſanciatur, ut nec rogemus res turpes, nec rogati faciamus. Hinc celebratur Vitellii Imperatoria ſententia, plane aurea. Cum enim amicus injuſtę petitioni importune inſiſteret, nec orando exoraret, abiens indignabundus dixit, ecquid tua prodeſt amicitia, ſi non facis quod rogo? cui Imperator, Et mihi quid tua, ſi

Aul. Gel. lib. 1. Noct. Attic. c. 3.

si propter te aliquid contra honestum facturus sum?exuit homo personam amici, qui induit personam judicis. Princeps namque neque pro justis orandus,neque pro injustis exorandus.Fredericus Imperator cum Ladislaum Hungarię & Bohemiæ regem educaret, non defuerunt, qui perdendum suaderent puerum, cujus vita ingentes molestias Cæsari, mors regnum & opes allatura esset. ad quos ille, Ergo me, inquit, opulentum magis regem, quam pium & justum cupitis? at ego justitiam, bonumque nomen divitiis cunctis antepono. An silentio involvam aureum magni Themistoclis dictum? non ita plane nec rationi consonum. Simonidi petenti ut injustam causam diceret, prudenter respondit, Neque tu bonus Poëta fueris, si præter musicæ modulos caneres, neque ego Princeps bonus, si contra leges pronuntiem. Ita prorsus sentiebat Antiochus,tertius Asiæ Rex, qui omnibus regni sui civitatibus scripsit, si quid in litteris,quæ ejus nomine scriberentur, esset, quod legibus adversum videretur, crederent, se inscio ejusmodi epistolas scriptas esse, & idcirco iis non obtemperarent. Egregie se gessit Trajanus Imperator, fertur enim dixisse, Imperatorem esse debere juris atque justitiæ cultorem,cujus ipse adeo studiosus fuit, ut cum Præfecto prætorii gladium traderet,quo accingi moris est Imperatorem, in conspectu omnium illum stringens, nudatumque tenens, talia verba tanto Principe digna dixerit: Cape ferrum hoc, si recte imperium gessero, pro me; si aliter, contra me utere. Simile quoddam legitur de Regibus Ægyptiorum: nam magistratibus præcipiebant, illos juramento devincientes, ne quid gererent contra leges, etiamsi ab ipsismet regibus mandaretur,

Æneas Silvius lib. 3. in res gestas Alphonsi.

Fulgos. l.6, c.4.

Niceph. 3. hist. ecclesi. cap. 23.

Plut. in Apoph. Roman.

hoc

hoc monimento monentes, quod ſecundum leges omnino vivere volebant, licet legibus non eſſent adſtricti. Non enim Rex imperando plus poteſt; quam jus & ratio, cum nihil aliud ſit Regis authoritas, quam loquens juſtitia, & lex animata. Quid de Cleone dicemus? is ut primum Rempublicam attingere deſtinavit, vocatis amicis omnibus, ſolvere ſe velle dixit amicitiæ vincula, ſubdiditque rationem, quia ſolent amicitiæ recta ſubvertere: homines enim Rempublicam adminiſtrantes, utpote affectu quodam occupati, non raro deducuntur à via recti officii. videantur annales Anglici, & ſtatim ſe offeret memorabile exemplum Henrici Quinti Anglorum Regis, is enim ſuos omnes, quibus cum vivente patre diſſolute vixerat, ad ſe vocatos, & quibuſdam muneribus affectos, ſic à ſe ablegavit, ut ſub pœna capitis interdiceret, ne unquam, niſi mores in melius mutarent, ad aulam regiam accederent, ne eorum corrupta familiaritate, vel ipſe corrumperetur, vel judicium, & juſtitiam ſæpe corrumperet. perit namque omne judicium, cum res tranſit in affectum. Pro tuenda juſtitia afferamus in medium Ariſtidis reſponſum. Themiſtocles advocato populo in concionem, magnum aliquid in animo ſe habere, ajebat, quod Rempublicam concerneret, efferre tamen id nolle, priuſquam alicui id communicaſſet, quem populus deligeret. delectus eſt Ariſtides. re Ariſtidi per Themiſtoclem communicata, conſcendens ſuggeſtum Philoſophus, ut quid eſſet, populo referret; ait, Themiſtoclis conſilio nihil reipublicæ Athenienſi utilius, ſed eodem nihil injuſtius. hoc audito, tacere eum populus jubet, nec vel auribus excipere conſilium maxime utile voluerunt, quod ab honeſto, & recto diſ-

Sotus de juſtit. & jure l. 4. q. 4. a. 7.

Plut. in polit.

Plut. in vita Ariſtidis.

discreparet. En surgent Ethnici in judicio, & nostros politicos condemnabunt. Sed quid pluribus? nonne personam fratris accipere noluerunt ipsi Ethnici, ut candorem justitiæ colerent? Timoleon Corinthius, ubi fratrem, quo tyrannide abstineret, monitis atque precibus monere, ac persuadere nequivit, his subinde navavit operam, qui illum interemerunt, non fratris odio, sed reipublicæ & justitiæ amore. Non tamen in ferenda sententia cursu feratur præcipiti, sed gravi maturitate procedat, ne facti aliquando pœniteat, ad pœnitendum autem properat, qui cito judicat. Hinc Cæsar consuevit dicere, omnia cavenda, prævidendaque, ne quandoque dicendum sit, Non putaram, quo nihil turpius ab Imperatoribus dici potest. Quot Principes ira perciti, ea efficiunt, quorum deinde pœnitentia ducti, ut infecta essent, magni emerent? Nonne Alexandet Magnus ira insaniens, Clitum peremit paternæ militiæ, ac suæ fidissimum, ac tutissimum custodem? Nonne etiam ira commotus Dionysius Syracusanus dilectum pusionem, & in deliciis habitum, pugione transegit? quorum tamen utrumque adeo facti pœnituit, ut vix à seipso manus abstinuerit? Proinde Vespasianus Princeps laudatissimus pro insigni gestavit Delphinum anchoræ alligatum, adjuncto elogio, Festina lente, ac si dixisset illud Sallustii, Antequam incipias, consulto, ubi consulueris, mature facto opus est. Quod pulchre insinuarunt antiqui sapientes sub quadam eleganti Justitiæ pictura, fingebant justitiæ currum à duabus mulieribus trahi, quarum altera fractum ensem manu gestabat, altera vero conto innitebatur. Quid quæso, perfractum ensem, eumque retusum, qui nec cito, nec facile secat? Quid

Mut. in Polit.

Quid per mulierem conto innixam, quæ lento gradu vix movetur ad gressum? tarditatem plane in dandis suppliciis, & magnam in deliberando maturitatem indicabant; non enim credendum est omnibus quæ audimus, siquidem certiora sunt quæ videmus; veteri adagio teste, Melior est testis unus oculatus, quam decem auriti. hinc pulchre Poëta.

Segnius irritant animos demissa per aurem, Horat. de arte poëtica.
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.

Non raro tamen decipit & visus, & non modo hebetiores, sed acutissimos quosque, quod uno hoc exemplo patebit. De pictura certamen aliquando fuit inter Zeuxim, & Parrhasium, Zeuxis itaque pictas à se uvas in scenam detulit, veris adeo similes, ut ad eas aves advolarent. Parrhasius autem pictum protulit linteum, tenuissimo velo contectum, illud tamen finxit adeo simile, ut omnino verum videretur. Tum Zeuxis judicio avium elatior, rogavit, ut amoto velo picturam ostenderet, subrisit Parrhasius, qua ex re errorem suum intellexit Zeuxis, ingenuoque pudore suffusus, victori cessit dicens, Heri aves ego decepi, tu me hodie, licet artificem. Non itaque omnia credenda quæ audimus, sed quæ videmus, & vix quidem, quando etiam visu decipimur. Nonne, ut tradunt Philosophi, stellæ sunt majores tota terra? & tamen oculis nostris videntur rotula qualibet minores. Unde hoc? quia inter objectum & potentiam non est debita distantia. Cum videmus baculum, cujus medietas in aqua, & medietas in aëre, nonne judicamus illum fractum, & obliquum? & tamen re vera integer est, & rectus. Unde hoc? quoniam oculus videt rem per diversa media; videt enim

unam partem baculi per medium aëreum, & alteram per medium aqueum,& ideo male judicat, quod baculus ſit confractus. nonne glacies videtur cryſtallum? tamen re vera non eſt. nonne putamus littora recedere, & navem quieſcere? quieſcunt tamen littora, & movetur navis. In Iride nonne judicant oculi veriſſimos eſſe colores? non ſunt tamen niſi lumen reflexum. Non ſunt ergo temere judicanda, quæ non videntur, imo nec omnia quæ videntur; ſæpe enim fallitur & viſus: proinde judex non facile credat, ſed prius optime diſcutiat, quia probationes debent eſſe luce meridiana clariores. Cujus aureæ doctrinæ præclarum habemus in ſacris litteris monimentum, Clamor Sodomorum venit ad me de terra. Quid facies ô Domine? deſcendam, & videbo, utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint, an non? Nunquid Deum omniſcientem aliquid latere poteſt? minime quidem. Cur igitur mittit Angelos, qui prius ſummam rei exacte explorent,antequam civitates evertat? ut doceantur Principes, ait Philo, ne de abſentibus rebus, iiſque incertis, temere ſententiam proferant, niſi prius introſpecto negotio, cuncta ſedulo perluſtrent. Vidit Moyſes rubum qui ardebat, non tamen conſumebatur: at hoc non ſatis eſſe duxit, ſed propius acceſſit, ut rem melius diſcuteret. Vadam, & videbo viſionem hanc magnam, quare rubus ardeat, & non comburatur. Quid hinc colligendum, ô Princeps? quando de re aliqua judicandum eſt, adhibe prius oculos, quam linguam, & propius accede, ut rectius examines. cui alluſit Seneca in Medea,

Gen. 29. Philo l. de conf. ling. Exod. 3.

Qui ſtatuit aliquid parte inaudita altera,
Æquum licet ſtatuerit, haud æquus fuit.

Nar-

Narrat Fulgosius, quod cum duo nobiles coram Ferdinando quarto, Rege Castellæ & Legionis, de proditione accusarentur, Rex pręcipiti judicio jussit eos præcipitari de altissima rupe: illi tamen sese innocentes asserebant. quare cum humanum deesset auxilium, ad divinum confugerunt, & propter injustam mortem Regem citarunt, ut intra triginta dies coram summo compareret tribunali, rationem de iniqua morte redditurus. adveniente igitur die citationis, cum Rex esset apud civitatem Gienensem post somnum meridianum, repertus est mortuus. Quid hinc? ex hoc monimento colligere debent Principes, non cæco casu, nec opinionis temeritate duci debere, sed vero judicio judicare. Quamobrem Alexander Rex prudentissimus, cum in causis capitalibus sederet judex, accusatori aurem unam occludebat; rogatus autem, cur id faceret? Servo, ait, alteram integram reo. hoc quippe boni Principis munus est, ad neutram partem deflectere. dixit aliquando adversarius Cæsari, ecquis nocens esse poterit, si negare sufficit? tunc Cæsar, & quis innocens erit, si accusare sufficit? Hinc Robertus Princeps invictus, quia intelligebat nihil esse ita accommodatum ad conciliandos populorum animos, sicut æqualitas, pro insigni gerebat hirundinem, quæ pullis in nido æqualiter distribuit escam. apposita nota, Concordia regnorum. hoc autem nunquam continget, nisi Princeps jus suum unicuique tribuat, re prius mature discussa. Unde ad hoc innuendum existimat Seneca, inventam fuisse à Poëtis fabulam, qua fingebant, Jovem universum deorum senatum consulere solitum, cum de plectendis hominibus ageretur: cum autem de miserendo, neminem nisi se solum

Fulgos. lib. 1. c. 6.

adhibere. quo ſane apologo admonentur Principes, ne in pœnis infligendis præcipites ruant, ſed ſano adhibito conſilio delinquentes puniant. Quam appoſite convenit Principi hac maturitate procedenti cognomen illud, quod impoſitum fuit cuidam Duci Muricæ nomine, qui cognominatus fuit remora ſalutaris, ſumpta metaphora à piſce, de quo tradunt naturæ indagatores, quod licet quantitate molis ſit parvulus, tantæ tamen eſt virtutis, ut navim velis, remiſque volantem, diu ſiſtere faciat. Ratio autem ob quam honorifico illo nomine ducem illum appellarunt, hæc fuit, quod cum miſſus eſſet à Rege in civitatem Guido ad juvenes omnes eunuchos reddendos; ſtatuerat enim Rex, nimio furore percitus, gentem illam penitus extinguere, ipſe quam potuit moram in itinere traxit, ut ſufficiens eis ſuppeteret tempus ad placandum Regem, & ſententiæ revocationem obtinendam. Quod quia ſucceſſit ex votis, idcirco ſalutarem remoram illum ſalutabant, utpote, qui ſua mora eorum vitæ, & ſalutis cauſa extitiſſet. Quorſum Senatus Romanus inſtituit, ut ſecuribus, quæ præferebantur magiſtratibus, virgarum alligarentur faſces? nimirum, ut dum ſolverentur, ſpatium cogitandi daretur magiſtratui, ne iratus ea fieri imperaret, quorum poſtea fruſtra pœniteret. Quam maturitatem apprime conſulebat Athenodorus philoſophus; cum enim ab Auguſto poſtulaſſet, ut ſenectutis cauſa ſibi liceret ad domum propriam ſe conferre, annuit Auguſtus, rogans in poſtremo congreſſu, ut aliquod ſcitu dignum apud illum deponeret, tunc philoſophus ait; ô Cæſar, cum fueris iratus, nihil prius dicas, vel agas, quam Græcum alphabetum recitaveris. mox Cæſar philo-

Pier. Valer. l. 30. Plin. l. 31 c. 1.

Plut. in apoph. Roman.

losophi dexteram apprehendens, Adhuc, inquit, te præsente mihi opus est, totumque etiam annum apud se detinuit, aureum illud documentum observans, quippe qui intelligeret, maximum iræ remedium dilationem esse. Proinde Ambrosius sanctarum legum observantissimus antistes, Theodosio Imperatori præcepit, ut ante trigesimum diem nullus damnaretur ad mortem. Noverat enim vir sanctus, quantum judiciis obsit præpropera festinatio. Deinde illum objurgavit his verbis, Quoniam furori judicium tuum commisisti, & non ratio sententiam protulit, sed iracundia, scribe legem, quæ decreta furoris evacuet, & triginta diebus sententia necis in litteris maneat, judicium rationis expectet, quibus transactis diebus, ira jam cessante, ratio causam judicans, quid sit justum, disponat. quam admonitionem libenti animo suscepit Imperator, & legem scribi jussit, propriaque manu regia confirmavit. Quocirca mos apud Romanos inolevit, isque laudabilis, ut Judices ferendo sententiam sederent, adeo ut jure esset cautum, sententiam à Judice stando, non sedendo prolatam, nullius fere momenti esse, ea propter statutum arbitror, ut externa corporis quies pacatum judicis animum præ se ferret, pariterque indicaret, quod maturo, non præcipiti consilio ad ferendam sententiam duceretur. Hoc sane laudabile institutum si observasset Philippus Macedonum Rex, utique non fuisset opus mutare judicium; is enim cum Machetæ causam, pro tribunali sedens perperam judicasset, exclamaretque Macheta, & se provocare diceret, iratus admodum Rex ait, Ad quem provocas? ad te ipsum, inquit, cum attentius audieris, tunc quidem Philippus quasi indignatus surrexit, &

Sen. l. 3. de ira c. 12.

Theod. l. 5 hist. ecclesi.

Aul. Gel. l. 7. c. 1.

judicium distulit. Cæterum cum causam melius examinasset, intelligeretque Machetæ factam injuriam, judicata quidem non rescidit, sed pecuniam, qua damnatus fuerat, ipse persolvit, ut regia Majestas neminem læderet, jusque suum unicuique daret. Noverat quippe egregius Princeps, quam bene Principi conveniat Justitia, sine qua, neque Reges regnant, neque potentes justa decernunt. propterea Rex David illam sibi necessariam comitem advertens, exclamabat, Deus judicium tuum Regi da, & justitiam tuam filio Regis. Justitia namque in Principe debet esse accidens inseparabile, & individua comes; si enim Princeps non est justus, nec Princeps jure dicendus. hinc Saul duobus tantum annis regnasse dicitur, cum tamen quadraginta annis regnaverit: quia in reliquo tempore, cum non fuerit justus, nec inter Reges numerandus. quod divini oraculi testimonio facile comprobatur: nam Matthæus dicit, multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis. Lucas vero, multi Prophetæ & justi. Quorsum hoc? quia non est Rex, qui non sit justus. Huc accedit apposite, quod de Ranutio Farnesio duce præstantissimo tradunt scriptores; matronæ enim cuidam importunius postulanti, pro filii flagitiosi libertate, & querenti quod orando non exoraret, objectanti etiam, Octavii Ducis clementiam, ita respondit, Octavius avus meus profitebatur se ducem gratiarum, Alexander pater meus ducem bellorum, ego autem profiteor me Justitiæ ducem. regium plane responsum, quasi quoddam oraculum ex arcanis philosophiæ penetralibus depromptum. princeps enim, si Philosopho credimus, est quidam publicus justitiæ minister.

Psal. 71.

Quo-

Quomodo autem Juſtitia rite adminiſtrari debeat, dialogus iſte miro artificio elaboratus, uſquequaque declarabit.

Quæ Dea? juſtitia. ecquid torvo lumine? Flecti
Neſcia ſum, lachrymis, vel prece, vel pretio.
Quod genus? à ſuperis. ex quo genitore? modo. qua
Matre? Fide. nutrix quæ tua? pauperies.
Quis gremio infantem fovit? prudentia. quonam
Freta Duce agnoſcis crimina? judicio.
Cur gladium tua dextra gerit? cur læva bilancem?
Ponderat hæc cauſas, percutit illa reos.
Aurium aperta tibi cur altera, & altera clauſa?
Hæc ſurda injuſtis, panditur illa bonis.
Paupere cur ſemper cultu? juſtiſſimus eſſe
Qui cupit, exiguas ſemper habebit opes.

Juſtitiam itaque veram regnorum cuſtodiam, non inficior, colere debent Principes omni ſtudio, ſed illam manſuetudine, clementia, ac prudenti examinatione moderari, ne populis tranſeat in odium, & de illis non decantetur, quod de Dracone legiſlatore; huic enim, quia leges omnes inſtituit ſub pœna capitali, dictum fuit, nec ſine probro; Iſte ſcripſit leges ſanguine. Proinde Salomon Rex ſapientiſſimus, Principi conſulens Eccleſ. dicebat, Noli eſſe nimium juſtus, ſed clementiam c. 7. comitem individuam adhibe. aſperum quippe ac nimis grave eſſet, omnia ad calculos revocare. Rex apum ſine aculeo eſt, ait Seneca, Divus Ariſt. l. 3. autem Baſilius aculeum in Rege ponit, ſed illo de hiſt. non utitur ad vindictam: quoniam præcipua pars animal. Principis, eſt juvare, non nocere. ſint ergo c. 16. Principes apiani, non veſpaſiani, melliferi agmi- Hom. 8. nis Imperatorem æmulentur, non veſpas, quæ in exam. non niſi ad nocendum exercere norunt aculeum. Vis ergo ô Princeps juſtè & feliciter Rempubli-

 cam

cam adminiſtrare? obſerva diligenter mandatum, quod dedit prudens pater Icaro filio ceratis pennis volaturo,

Inter utrumque vola, medio tutiſſimus ibis.

Hoc autem non præſtabis, niſi virtutibus moralibus tanquam ſororibus, honorifice ſtipatus procedas, iſtæ namque mutuis nexibus inter ſe colligatæ, nullo unquam tempore debent disjungi. quippe, quod una ſine aliis perfecta eſſe nequit, quin manca omnino langueſcit. ita ſentit Ambroſius, Connexæ ſibi ſunt, & concatenatæ virtutes. ita ſcribit Hieronymus, Virtutes morales ita ſibi cohærent, ut qui unam habuerit, omnes habeat,& qui una caruerit, cunctis careat. ita confirmat Auguſtinus, Virtutes quæ in animo noſtro ſunt, nullo modo ſeparantur ab invicem. ita concludit Gregorius, Una virtus ſine aliis, aut nulla eſt, aut imperfecta eſt. ita denique Clemens Alexandrinus, Virtus, quia ejus uſus multiplex, multis nominibus nuncupatur. eo nimirum modo quo drachma, ſi detur nauclero, dicitur naulum, ſi publicano vectigal, ſi pro re empta, pretium, ſi operario, merces appellatur, ita virtus, ut ad varios ſenſus adhibetur, modo juſtitia, modo prudentia, modo aliis nominibus vocatur; dum enim conſiderat, quid ſit agendum, vel non, prudentiæ nomen ſortitur, dum moderatur cupiditates, temperantiæ, dum in perferendis rebus verſatur, fortitudinis, dum æqualitatem conſtituit, in his quæ ſunt ad alterum, juſtitiæ. Hinc Plato teſtatus eſt, virtutes omnes mutua invicem amicitia vinciri. Quid fortitudo ſine prudentia? temeritas. Quid prudentia ſine juſtitia? calliditas. Quid temperantia ſine fortitudine? ignavia. Quid juſtitia ſine tem-

Amb. l. 5 in Luc.
Hieron. ſuper Iſa. c. 1.
Aug. l. 6 de Trin. c. 4.
Clem. Alexan. ſtrom. 1.
Ariſt. 6 Ethic.

temperantia? crudelitas. Verum eſt enim illud Ennii adagium longo uſu comprobatum, Summum jus, ſumma injuria. Et præcipue quidem cum ſumma legum auctoritas, non in omnes æquo jure animadvertat. Tunc enim non leges, ſed aranearum telas appellabat Anacharſis, quas muſcæ grandiores evolando perfringunt, at minus validæ irretiuntur incluſæ. De qua re eleganter Poëta.

Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas. Juven. Satyr. 7.

Hoc porro iniquum regimen, ipſene Regnum dixerim? non ita profecto. Remota enim Juſtitia, dicebat Auguſtinus, quid ſunt Regna, niſi aperta latrocinia? Huc facit ad amuſſim, quod olim Alexandro Magno, totius orbis imperium ſitienti, reſpondit pirata comprehenſus. Siquidem cum Rex hominem interrogaſſet, Dic homo perditiſſime, quoſcelere impulſus, mare habes infeſtum? ille intrepidus ait, eodem, quo tu orbem terræ, ſed quia exiguo navigio ipſe hoc facio, latro vocor, quia tu magna claſſe, Imperator.

Auguſt. de civ. Dei l. 4. c. 4.

Marc. Tull. l. 3. de rep.

Imperii quicumque ſacras moderaris habenas,
Jus cunctis tribuas conditione pari.
Sic populis charus, fama ſuper æthera clarus,
Sic verus Princeps, nomine, reque ſimul;

Caput III.

Firmamentum Regni Clementia Principis.

Prover. c. 30.

Misericordia, & veritas custodiunt Regem, & roboratur clementia thronus ejus. Divinum hoc sane oraculum apprime noverat Severus Imperator. Nam cum Memmia ejus uxor, animadverteret Severum non esse, ut nomẽ præ se ferebat, ac proinde objiceret, quod nimia facilitate regalem auctoritatem minueret, protulit dignam tanto viro sententiam: Imo, ait, regiam potestatem, & securiorem, & diuturniorem reddo. Pulchre quidem, & sapienter. Quoniam non sufficit Principi regna parere, sed summa debet adhiberi diligentia, ut parta serventur diu. Hoc autem non præstabitur, nisi justitia duce, & comite clementia. Proinde Augustum Cæsarem valde admiratum fuisse, refert Plutarchus, quod Alexander trigesimum secundum agens annum, post devictam Asiam, & Europam, subjectum prope orbem terrarum, dixisset, Quid in reliquo vitæ meæ cursu faciendum sit, nescio, cum jam nullum Regnum supersit acquirendum. hanc sententiam improbavit Cæsar his verbis, Majus opus est, ô Alexander, partum gubernare imperium, quàm magnum acquisivisse.

Plut. in apoph. Rom.

Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.

Hoc autem fuit præsidio clementiæ, quæ populorum animos in amorem Principis modo incredibili accendit. Proinde antiqui amorem pinxerunt armatum, & dormientem, ut significarent, tuto

tuto dormire posse dilectum, cum ad ejus custodiam amor assistit. Huc optime facit Antigoni regis responsum; hic enim interrogatus, quid causæ esset, quod cum initio regni durior fuisset, senex deinde factus, ita placide regnum gubernaret? Prius, inquit, opus erat Regno, nunc gloria & benevolentia. quibus verbis sapienter admodum indicavit, quod quamvis regnum armorum vi soleat sæpius comparari, non diu tamen conservetur, nisi animi mansuetudine, morum facilitate, & civium benevolentia. siquidem nihil ad mortalium animos vinciendos magis accommodatum, quam clementia. Auream hanc regnandi institutionem iterum comprobavit. Cum enim amici suaderent, ut si Athenas caperet, validis illam præsidiis communiret, egregie respondit, Ego fui semper in hac sententia, ut crederem nullum esse Regni præsidium firmius benevolentia. Hæc est tutissima Regum custodia, dicebat Isocrates, quæ non turribus, non propugnaculis, non armis continetur, sed amicorum præsidiis, & amore populorum: quibus quidem opibus regna, & imperia, non modo servantur, verum in dies late propagantur. Pulchre Sallustius ad Cæsarem, Qui benignitate ac clementia imperium temperavere, his candida, & læta omnia fuere. Quoniam non exercitus, neque thesauri præsidia Regni sunt, sed amici; quos neque armis cogere, neque auro parare queas, officio, ac fide præstantur. Hac vivendi ratione tutus in Regno Princeps, tunc enim non erit opus construere in altum editas arces, non in excelsum arduos colles emunire, non latera montium abscindere, non se multiplicibus muris, turribusque sepire, salvum Regem in aperto clemen-

Sen. l. 1 de clem.

mentia præſtabit. Verum enim eſt inexpugnabile munimentum amor civium. Quid pulchrius, quam vivere optantibus cunctis? Quid optabilius, quam ſi paululum valetudo titubaverit, non ſpem hominum excitari, ſed metum? at contra, quid miſerius, quam ita vivere, ut neminem videas, qui te ſalvum velit? Nulla re Imperium pluribus firmabit præſidiis Princeps, quam ſi ſe præſtabit Principem, hoc eſt, Dei vices gerentem, eſt autem mitis Deus, mitem quoque decet eſſe Principem. Ad hanc rem appoſite faciunt aurea verba oratoris Demoſthenis ad Alexandrum Regem, Nulla de virtutibus tuis, licet multæ ſint, vel glorioſior miſericordia, vel admirabilior clementia, nec per aliud propius ad Deos accedere potes, quam ſi ſalutem conferas hominibus, vel dando, ſi eguerint, vel parcendo, ſi deliquerint, vel indulgendo, ſi ſupplicaverint. Cum enim vincamur à Diis omni in munere, ſola clementia eſt, quæ Deos nobis reddit æquales. Tale conſilium dedit apud Claudianum Theodoſius Honorio filio,

Sis pius imprimis, nam cum vincamur in omni
Munere, ſola Deos æquat clementia nobis.

Hinc Philippus Macedo dicere ſolebat, Oportere Regem ſemper meminiſſe ſe hominem eſſe, & per clementiam ſimilem ſe Deo fieri. Siquidem clementiæ nomen Deo maxime convenire, divina paſſim oracula teſtantur. Martinus Doyza Hiſpanus refert, quod Veſpaſiani Imperatoris tempore, Romæ in Senatu diſceptatum fuit, Quis Deorum eſſet optimus? Et quonam nomine foret nuncupandus? cenſebant aliqui eum potentem eſſe nominandum, quod ejus virtus & potentia cuncta perfringat. Alii vero putarunt nomen

men divitiarum ei tribuendum, quod pecuniæ obediant omnia: nonnulli Deum ſcientiarum appellari debere affirmabant, quod norit omnia, & quem nullum lateat ſecretum. Porro nullum horum apte convenire viſum eſt, atque ideo in varias ſententias diſtracti, ancipites Senatores hærebant. Conferebant enim ad invicem, ſi Deus potentiæ, armorum, bellorumque debet appellari, quem Deum timidi & puſilli habebunt? ſi Deum divitiarum, inopes & egeni ad quem confugiant, Deum non habebunt. Si Deum ſcientiarum, Oratores & Philoſophi felices erunt, non vero ignari & rudes. Cum itaque hærerent anxii, ecce mox adſtantem viderunt juvenem, qui Dei, quem cæteri adorarent, imaginem collo ſuſpenſam gerebat, quam unicuique demonſtravit. Pictus autem erat quidam, extenſis brachiis, in cujus dextera legebatur, Promitto, in ſiniſtra, Expecto. latus quoque apertum habebat, adeo ut pateret, cui inſcriptum erat, Remitto. circum latus veluti elogium inſculptum erat, Deo clementiæ. Hanc cum Senatores imaginem conſideraſſent, cœperunt ſinguli exclamare, hanc veram Dei imaginem eſſe, quem adorare vellent, firmiterque aſſerebant nullum alium Deum ſe agnoſcere velle, quam qui probis felicitatem promitteret, improbos ad pœnitentiam expectaret, cuique nomen foret, Deus clementiæ, nomen divinitati maxime proprium, quodque omnes ad ſe ſine ullo diſcrimine alliciat. En clementia, nomen Dei proprium, quod & vobis convenit, ô Principes, quia Dei vicem gerentes eſtis, & divinitatis imagines. Hinc Philippus Macedonum Rex clementiam appellabat gloriæ ſuæ theatrum. Clementia enim hominibus eſt neceſſaria, maxime

me autem decora Imperatoribus. Proinde doctissimus Aristoteles inter multas institutiones, quas Alexandro Regi præscripsit observandas, hanc unam præcipue tradidit, Pateat omnibus clementia majestatis tuæ. Hinc Reges antiquitus ungebantur, ut hac observatione admonerentur, quod lenes, pii, ac clementes essent futuri. Debet quidem Princeps omni studio incumbere, ut populus ad rectam rationis formam instituatur, sed leniter ac leviter, non mordendo, sed ursæ instar lambendo. Hæc enim, ut ait Plinius, parit catulos informes, quos postea linguæ linctu conformat, & paulatim figurat. Decreverunt olim Athenienses in Areopago, ut civitatis dominium alicui deorum committeretur, qui eam protegeret. contendunt Neptunus & Minerva, quis potiatur dominio? tandem statuêre Athenienses, adhibito prius consilio, ei dominium concedendum, qui insigne aliquod prodigium patraret. Extemplo Neptunus tridente aquas percutiens, duos equos repente prodire fecit. inauditum sane prodigium. At Minerva benignitatis amans, virga leviter humum tangit, & ecce ramus surgit virentis olivæ. hoc autem non tanta admiratione dignum censebat vulgus, re tamen apud sapientes maturius discussa, longe præstantius fuit judicatum. Equi enim quid portendunt? bella utique & seditiones. Oliva vero præ se fert clementiam. Non mirum igitur si præclarum illius civitatis dominium omnium votis, & vocibus soli Minervæ fuit dedicatum. Quorsum autem hic apologus? ut ediscant Principes imperii clavum sustinentes, magis studere benignitati, quam severitati, & magis clementiæ, quam sævitiæ, quo Imperium firmiores agat radices, æternitatique deman-

mandetur. Hinc in ſacris litteris monarcha principum omnium, habet ſtellas in manu, gladium in ore, quia ſupplicia comminatur verbis, beneficia autem reipſa confert, idcirco de ejus manibus dicitur, manus ejus tornatiles, virtus enim omnium rerum effectrix tornatilis eſt propter ſummam in benefaciendo celeritatem. Qui enim tuto & diu regnare appetit, ſummo ſtudio niti debet, ut clementia, non armis ſtipatus regnet. Quotidiano namque experimento compertum habemus, quod Principes qui nimio tumore elati, quaſi ſuper cardines cæli perambulantes, inacceſſibiles ſe exhibent, tantum abeſt, ut à ſubditis amentur, quod etiam capitali ab omnibus habentur odio. Quot enim ſunt, hac noſtra tempeſtate, Principes, qui propter nimiam eorum inhumanitatem, ſubditorum animos adeo perturbant, ut, eis debitum honorem præſtare recuſent, & cum præſtant, inviti tamen ac reluctantes. Porro qui ſe humanos ſubditis exhibent, illorum animos facile conciliant, divino oraculo ita atteſtante, Fili in manſuetudine opera tua perfice, & Eccl. 23. ſuper hominum gloriam diligeris. Loca munita, aggeres, valla, arces, tutum faciunt Principem, ſed non omnino. Hæc ſiquidem proditionibus, & arte, poſſunt alterius dominio ſubdi, aut armorum vi diſſipari, at hominum corda ingenui amoris vinculo colligata, nullatenus poſſunt everti. hæc eſt cuſtodia invincibilis, amor populi erga Principem. hoc eſt inexpugnabile munimentum, munimento non egere. Longe valentior amor ad obtinendum quod velis, quam timor, nulla major ad amorem invitatio, quam prævenire amando. amore Imperia durant, ſubvertuntur terrore; amore nectuntur, ſecantur metu.

solus amor ex invalido, validum imperium statuit. Peragit quandoque tranquilla potestas, quod violenta nequit, mandataque fortius urget imperiosa quies, quam acris nimium, & sæva auctoritas. Imperia enim crudelia magis acerba, quam diuturna sunt, & Princeps ad sævitiam natus, nunquam & nusquam tutus erit, semper autem, & ubique in metu. Illa, illa potentia tuta est, quæ viribus suis modum imponit, & cum punitione opus est, non tamen cum omni rigore, supremi Judicis exemplo, qui, cum posset de rigore justitiæ, peccatorem ad nihilum redigere, illi relinquit esse, quod bonum & pulchrum est: ita intelligitur illud axioma Theologicum, Deus punit citra condignum. Ideo dicitur Dominus, quasi do minus. Apologum huic instituto satis accommodatum affert Plutarchus, ait enim, Inter solem & ventum aquilonem non parvam ortam fuisse contentionem, quis prius altero viatorem vestibus expoliare posset. cœpit aquilo pedestrem viatorem vehementer impetere, ut fere galerus è capite, & pallium ex humeris decideret, quanto tamen ipse acrius flabat, tanto viator diligentius galerum capiti, & pallium scapulis aptabat, unde non ventus aquilo de viatore, sed viator de aquilone victor evasit. Sol vero potentiam suam ostentans, cœpit ardentes radios viatori immittere, quibus ille adeo cœpit incalescere, ut ad deponendum pallium cogeretur, deinde invalescente solis calore, & illum acrius premente, exteriori tunica se expoliavit, atque hoc modo Phœbus de aquilone triumphavit. Quid hinc? hoc nimirum, quod facilius vincuntur, & vinciuntur hominum ingenia clementiæ, & beneficiorum calore, quam nimiæ severitatis violentia.

Valer. l. 4. c. 1.

Plut. in apoph.

Quod

Quod egregie comprobatur Augusti Cæsaris testimonio. Hic, cum jam quadragesimum excessisset annum, delatum est ad illum, Lucium Cinnam adolescentem nobilem, ac magni Pompeji nepotem, sed hominem turbulentum, insidias illi struere. dictum est, ubi, quando, & quomodo aggredi vellet, dictabatur proscriptionis sententia, sed Augusto interim varias edente voces, ingressa Livia uxor, Fac, inquit, quod medici solent, qui, ubi usitata remedia non prosunt, tentant contraria, severitate nihil adhuc profecisti, ignosce, Cinna deprehensus vitæ tuæ nocere non potest, famæ prodesse potest. Protinus Imperator Liviæ consilium secutus, Cinnam accersi jubet, tum demissis omnibus è cubiculo, sic eum allocutus est, Hoc Cinna primum abs te peto, ne me loquentem interpelles, dabitur & tibi loquendi tempus. hic, commemoratis pluribus in Cinnam beneficiis, enixe rogavit, quare putarit ipsum occidendum? sed perturbato Cinna, sic finiit objurgationem, Vitam tibi Cinna iterum do, prius hosti, nunc insidiatori, ac parricidæ. ex hodierno die inter nos incipiat amicitia. Contendamus utrum ego meliore fide vitam tibi dederim, an tu mihi debeas. Posthæc ultro detulit consulatum, questus quod non auderet petere. vis exitum? Cinnam habuit perpetuo amicissimum, & solus illi fuit hæres. Porro ex tanta clementia quem fructum cepit Augustus? non solum mens Cinnæ omnino mutata, sed omnes postea in eum conspirationes ita compressæ sunt, ut nemo unquam ejus vitæ deinceps insidiari ausus fuerit. Noverat quippe optimus Princeps, non paucas ex nimio rigore seditiones excitari, excitatas autem sedari clementiæ beneficio. Pro-

inde Isaias propheta sedulis votis expostulabat hanc sane regiam dominandi institutionem, Emitte agnum Domine dominatorem terræ. non petit leonem, qui dilaniet; non taurum qui percutiat; non elephantem qui terreat, nec cervum qui fugiat: sed petit agnum, qui clementer imperet. Cur quæso, propheta non petit leonem, qui fortissimus animalium, & petit agnum ad omnia trepidantem? ut innuat quod qui constituendus est Rex terræ, debet habere clementiam agni. Hinc alia littera legit, Emitte ducem. quoniam qui feliciter, & diu regnare appetit, populos regere debet, non leonis sævitia, sed mansuetudine agni. Non enim Principi ideo datur potentia, ut damnum inferat, sed salutem; non ut destruat, sed ut construat; non ut obsit, sed ut prosit, ut de apum Rege tradunt naturæ indagatores, qui licet habeat aculeum, non tamen ad vindictam. Huic rei satis apposite facit quod refert Plutarchus, Unus ex primariis, ait, laudavit Philippi potentiam, quia magnam urbem Olyntum solo æquavit: at quidam philosophus hoc audiens dixit, atqui non potuit tam bellam struere. Unde longe digniori encomio celebrandus Augustus Cæsar qui postquam superbis ædificiis Romam decorasset, dixit, Romam lateritiam accepi, marmoream relinquo. Magnanimi quippe Principis partes sunt, prodesse, non obesse; juvare, non perdere. hinc Juppiter quasi juvans pater. Athenis consilium contra Alcibiadis honorem, & fortunam convocatum fuit. ut autem id cum majori omnium assensu fieret, convocarunt etiam sacerdotes omnes, & virgines Vestales: interrogatæ autem de opinione, & sententia, una earum respondit, Ad nos supplicatio pertinet, non exe-

Isa. 26.

execratio. Quorſum è Davidica turri pendebant clypei, arma ad defenſionem, non ad offenſam ſpectantia ? quia Princeps verè pius, in ſalutem, non in perniciem potentia uti debet, & tamquam pater vitia quidem corrigere, at ſubditos ſervare, veluti alter Alco, qui cum eſſet peritiſſimus ſagittarum jaculator, & videret ingentem colubrum, corpus filii ſui cingentem undequaque cum magno vitæ illius diſcrimine, paterna pietate commotus arcum tetendit, impulſumque ſagittæ tam ſingulari arte temperavit, ut colubrum transfigens, filium indemnem omnino reliquerit. quod factum admiratus Manilius dixit, Mirabile fuit hoc opus, ſed ars erat eſſe patrem. ita Principes mittant ſagittas ſuas, quibus vitia diſſipent, ſubditos autem tanquam filios, ſi fieri poteſt, non perdant. ita ſe gerebat Rex David, proindè dicebat, Perfecto odio oderam illos, hoc eſt, vitia, non naturam perſequebar. Unde Auguſtinus ajebat, Oderam in eis iniquitates eorum, diligebam conditionem tuam; hoc enim eſt perfecto odio odiſſe, ut nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas. cui doctrinæ ſubſcribens Gregorius dicebat: Quid eſt inimicos Dei perfecto odio odiſſe? quod facti ſunt diligere, & quod faciunt increpare.

Pſ. 138.

Non tamen credas in Principe ſolam clementiam deſiderari, quia etiam ſuo loco in adminiſtranda juſtitia ſeveritate opus eſt. ſic docuere optimi quique politici, & ita nimirum vivendum eſt Principi, ut nec ſeveritas amorem diminuat, nec facilitas auctoritatem. Siquidem tam omnibus ignoſcere crudelitas eſt, quàm nulli. Acutè olim Frontonius Conſul in Nervam jam ſenem & enervem nimis indulgentem, Malum quidem eſt

Senec. lib. 1 de clem. c. 2.
Fulgoſ. li. 2, c. 2.

Principem habere, ſub quo nihil liceat, ſed longè pejus, ſub quo omnia omnibus liceant. Scitè admodum Lactantius, Princeps qui commovetur intempeſtiva lenitate, vel ſæpius quam eſt neceſſe, vel etiam ſemper ignoſcit, is planè & illorum vitam perdit, quorum audaciam nutrit ad facinora majora, & ſibi ipſi nunquam deficientem moleſtiarum materiam ſubminiſtrat. Nam qui mitior eſt, dum paucorum tolerat ſocordiam, multorum adverſus imperium invitat inſaniam. Hinc laudatur tertius Otho Imperator, hic enim, cum vicennalis adoleſcentiæ vix adhuc exceſſiſſet ætatem, inter inſignia multa quæ geſſit, tribus regni proceribus Rempublicam perturbantibus oculos eruit, Rodulpho, Raimundo, & Arimundo, quo facto ita omnium aliena diripientium viſcera tremefecit, ita totum Regnum in pacis tranquillitate compoſuit, ut nemo deinceps juris proprii terminos per inſolentiam tranſilire auderet, unde communi voce proclamabatur, In evulſione ſex oculorum unum pacatum eſt regnum. ſiquidem enervato rigore juſtitiæ, ſtatus evertitur diſciplinæ, & dum ultoriæ ſeveritatis cenſura reprimitur, temeraria delinquendi licentia relaxatur: inordinata ſanè pietas nutrit impietatem, & timida manus medici, vulnus auget ægroti. Proinde ſolebat dicere Cato ſenior, Mallem mihi pro collato beneficio gratiam non haberi, quam pro maleficio perpetrato culpam non expiari ſupplicio. Hujus ſententiæ fuit Antiſthenes, rogatus enim, quæ res portenderet civitatibus exitium? Quando, inquit, non eſt bonorum ac malorum diſcrimen; ſentiens eam Rempublicam non poſſe conſiſtere, ubi nec eſſet honos virtuti, nec improbis pœna. Noverant quippe ſapientes viri, ſpem impunitatis magnam ille-

Lact. li. de ira c. 18.

Petr. Dam. Card. li. 7. epiſt.

Laërt. li. 6. c. 11.

Senec. lib. 1. de clem.

illecebram esse peccandi,& nihil in republica perniciosius esse impunitate, qua sontes ad deteriora semper invitantur. satis apposité pertinet ad Principem illud insigne Academicum, ciconia nimirum serpentes deglutiens, adjecta inscriptione, Conficere est animus. Quid quæso per serpentes? sicarios, sanguini inhiantes. hos debet Princeps omni conatu de terra viventium radicitus evellere, hæc verba pro stemmate gerens, Dabis improbe pœnas. siquidem illud regimen præclarum censetur apud veros politicos, ubi insontibus præmium, at sontibus pœna. Hinc Democritus consuevit dicere, & quidem prudenter, Duo esse in sinu justitiæ Numina, quæ cuncta gubernant, pœna nempe, & præmium; si enim crimina impunita, quis securas noctes habebit? quis innocuos dies? Quorsum in admirabili Transfigurationis mysterio, supremus Monarcha voluit inter Moysem & Heliam constitutus videri; ut colligant Principes, quorum exemplar Christus, inter Moysem mansuetum, & Heliam severum debere collocari, ne vel nimia mansuetudine languescant, vel nimia severitate excandescant, sed lenitatem cum majestate conjungant, ne regendi frangatur auctoritas: nam familiaritatem matrem esse contemptus, commune testatur adagium. Nemini itaque se tam familiarem exhibeat Princeps, quin possit, si opus fuerit, sine periculo succensere, aut sine rerum mutatione: deterrimi namque consilii est, amicos ad parem usque potentiam efferre. Ama tanquam osurus, oderis tanquam amaturus. Pulchrè admodum Tragicus.

Nulli te facias nimis sodalem,
Gaudebis minus, & minus dolebis.

Nec erit absonum, imò valdè consonum, si proferamus

feramus aurea quædam verba, quæ Lupus Abbas Ferrarienſis ſcripſit ad Carolum Calvum Imperatoris Ludovici filium, Pro regno optimè adminiſtrando inter cætera hoc ſit aureum documentum, Videte, ne vos cuilibet ita ſubjiciatis, ut ad ejus arbitrium omnia faciatis. Cur enim regium nomen prætenditis, ſi regnare neſcitis? certè non expedit vobis, & populo, ut aliquem vobis æquetis, nedum præponatis. non admittantur ergo à vobis in ſupremo culmine primarii, ne gloriam veſtram ipſi inter ſe partiantur, & meliorem amorem alienent à vobis. Tandem, ut omnia uno verbo perſtringamus, In ſumma rei adminiſtranda oraculum Solonis præ oculis tenendum, Ne quid nimis. Nam ſicut nimia ſeveritas nunquam prodeſt, ſic nimia indulgentia ſæpenumero obeſt. Quod egregiè noſtris temporibus obſervavit Henricus hujus nominis quartus Rex Galliæ, qui pro inſigni regio ſuſcepit malum granatum, nec penitus acre, nec dulce omnino, appoſito hoc brevi titulo. Subacre. quo inſinuare volebat, Principes in excelſo regimine ſedentes, partim manſuetudine & dulcedine, partim juſtitia & rigore uti debere. Egregium planè inſigne, Leo ſedens, regiam majeſtatem præ ſe ferens, appoſita notula, Metuenda voluptas. in omni imperatorio munere ita ſe gerat, ut & amabilem, & formidabilem ſe præbeat. unde Gregorius, ſit amor, ſed non emolliens, ſit rigor ſed non exaſperans, ſit zelus, ſed non immoderatè ſeverus, ſit pietas, ſed non pluſquam expediat parcens. pulcrè docet Seneca, pœnam ſi tutò potes, donabis; ſin minus, temperabis, Monarchæ cæleſtis exemplo, qui nunquam admittit miſericordiam ſine juſtitia comite, miſericors Dominus, & juſtus.

Crinitus li. 1. hon. diſp. c. 3.

De Tamberlano Scytharum Imperatore insignem historiam narrat Petrus Crinitus, Dux iste, ait, toto orbe celebris, ut majorem hostibus metum incuteret, triplici tentorio in bellis uti consuevit, ita tamen ut in unoquoque dispar color appareret, quo animi quoque mutatio intelligeretur. Prima igitur die tentorium exponebat, albo colore. Ex colore tentorii belli conditiones insinuebat, cum quibus ad certamen descendisset. prima itaque die tentorium colore albo explicabat, ut ostenderet, quod civitati nullam injuriam esset illaturus, modo sponte se traderet; at si alteram diem hostis expectasset, tunc coloris rubei tentorium educebat, quasi ad sanguinis effusionem vocaret. Quod si ad triduum res protraheretur, per colorem atrum, atra omnia futura portendebat, & extremam cunctis perniciem prænunciabat. Quid hinc colligere debet Princeps? clementiam in regimine adhibendam, sed cum severitate conjunctam. Cujus etiam instituti normam manifestè præscribunt oracula divina: nam in Deuteronomio habentur hæc verba, Si quando accesseris ad inpugnandam civitatem, offeres ei primum pacem; si susceperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in ea est, salvabitur, & serviet tibi sub tributo; si autem fœdus inire noluerit, & ceperit contra te bellum, oppugnabis eam. Hoc itidem apud Romanos in more positum erat. Legati enim Romanorum ad Athenienses profecti, aurea hæc verba proferebant, Aut pacem, aut bellum eligite, mors & vita in manibus vestris sita est. Hanc regendi institutionem observabat Philippus Macedonum Rex. Nam filium Alexandrum frequenter admonere solebat, ut cum Macedoni-

Pet. Crinitus li. 1. c. 1. de hon. disc.

Deut. 10.

bus comiter haberet consuetudinem, quia intelligebat, nulla re melius constabiliri imperium, quàm civium benevolentia, ita tamen ut scelera suppliciis coërceantur. Regibus enim eatenus temperanda est humanitas erga cives, ut interim regiam tueantur auctoritatem. quoniam immodica benignitas sæpe contemptum parit. Qui enim videri volunt nimium civiles, fiunt viles, & nimia conversatio gignit contemptum, raritas autem conciliat rebus admirationem. Legantur oracula divina, & videbimus Deum diversimodè armatum; modò enim gestat gladium in femore, Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime; modò mucronem in ore, Ex ore ejus exibat gladius ex utraque parte acutus; modò gladium in manu, Gladium suum vibravit. Quid diversa hæc armorum gestatio designat? Varios Dei puniendi modos. arma quippe lateri accincta gerit, ut delinquenti metum incutiat, seque illi reddat formidabilem. in ore, ut minas intentet, at, ubi verba non proficiunt, ad verbera deveniendum, proinde in manu ensem, ut percutiat. ita planè se gerat Princeps, verbis prius mulceat, at si populus non resipiscit, ad pœnas prodeat. Mirabi-
Dan. 10. lis visio Danielis, Facies ejus sicut facies fulguris, oculi ejus ut lampas ardens, brachia ejus, & quæ deorsum sunt usque ad pedes, quasi species æris candentis, & ecce vir indutus lineis, & renes ejus accincti auro obrizo. Quidnam hæc sibi volunt? Facies fulgure, oculi flamma, brachia ære armantur, & tamen lineo vestitur. Quid linea vestis cum armis? thorace opus est in bello, non lineo amictu. Quid zona aurea cum vultu fulminante? En justitia & misericor-

dia ſimul, quibus orbis totus ſuſtinetur. Duobus polis univerſam totius mundi machinam inniti dixerunt philoſophi, quorum alterum arcticum, alterum antarcticum appellarunt, ita Theologi in duos polos, ut ita dicam, diviſere divinæ eſſentiæ operationes, quorum unum miſericordiam, juſtitiam alterum nuncuparunt, ita canente divino Vate, Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine. Hoc idem inſinuare voluit dilectus, dum narrat ſe vidiſſe Angelum ponentem unum pedem ſupra mare, alterum ſuper terram. omnium Patrum conſenſu, Angelus ille eſt Filius Dei, gemini pedes, miſericordia & judicium. Proinde de eo dicitur, Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. Licet in Deo ſint quatuor attributa æqualia, potentia, ſapientia, miſericordia, & juſtitia; miſericordia tamen primarium locum obtinet, Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus. Quod etiam indicare voluit Paulus, cum Deo hoc attributum quaſi præcipuum tradit, dicens, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis. ac ſi diceret, quemadmodum Princeps variis decoratus inſignibus, nobiliora ſibi ſolet adſcribere, ita Deus inter varia divinitatis attributa, illud pro ſtemmate ſibi aſſumit, quod ſuæ maximè convenit majeſtati, miſericordiam nimirum, nunquam tamen ſine juſtitia comite. Clementia quidem proprium opus Dei, ſed quando & ratio, & tempus expoſtulant, ſeveritatem induit. Hinc in arca teſtamenti erant duo ſimul, virga, & manna, virga correctionis, & manna dulcedinis; virga propter malos, manna propter bonos, quo pertinet illud, Deſcendi in hortum nucum, ut viderem poma

Pſ. 100. 1 Cor. 1. Cant. 6.

ma convallium. Per hortum figuratur Ecclesia, in qua sunt nuces, hoc est, mali, ad quos colligendos & excutiendos, opus est virga. sunt etiam poma, id est, boni, qui non percussione virgæ, sed levi manu carpendi sunt. Virga itaque sit in manu Principis, sed egrediatur de radice Jesse, hoc est amoris. Ab ore, & manu Principis debet quidem egredi virga justitiæ, sed de radice amoris. Discipulus Elisei, admovit baculum, sed nihil profecit; at Eliseus suavi spiritu, & tantum oscitando, viduæ filium ad vitam revocavit. Giezi posuit baculum super faciem pueri, sed non surrexit puer; Eliseus os suum super os ejus. quid hinc? calefacta est caro pueri. Ecce quem terroris virga suscitare non valuit, per amoris spiritum puer ad vitam redit. Quoniam non in spiritu Dominus, non in commotione Dominus, non in igne Dominus; sit sibilus auræ tenuis, ibi Dominus. Cur olim Deus adversus Moysen adeò indignatus, ut terram promissionis ingredi prohibuerit? Quid commiserat sanctus ille propheta, ut tam rigidè à Domino puniretur? Dixerat Dominus, Loquere ad petram, & illa dabit aquas: at Moyses bis virga percussit silicem, & egressæ sunt aquæ. Indignatus Dominus dixit, Non introduces hos populos in terram quam ego dabo eis. sed quod, nam peccatum fuit? Augustinus ait, arguitur Moyses voce divina, quod ejus fides ad aquam de petra eliciendam titubaverit; ideo dixit, Quia non credidisti mihi. Lyranus credit, non dubitasse Moysem de Dei potentia, sed non credidit tam rebelli populo aquas Deum daturum. Alii dicunt Moysen peccasse, quia petram percussit, non verò ad eam locutus est, ut Dominus

[Marginal notes: Gulielmus Peraldus lib. 4. — 4. Reg. 4. — Isa. c. 2. — 4. Reg. 4. — Petr. Dam. ep. 12. c. 28. — Num. 20. — Lib. 16. contra Faustum super nu. 26.]

nus

nus præcepit, & ſic verbum illud, non credidiſti mihi, intelligendum eſt, non obediſti mihi. Ego autem ſi meam licet proferre ſententiam, dicerem, Dominum indignatum eſſe, quia Moyſes conatus eſt aſſequi virga, quod ſolo verbo poterat efficere. Hoc ſanè monimento erudiens, Principes non debere uti virga, & verberibus, cum poſſunt verbis, & monitis æquè bene præſtare, Herculis invicti conſilium ſequentes. hic enim contendebat hydræ caput abſcindere, ſed uno capite abſciſſo pullulabant ſeptem, juxta illud, Uno avulſo non deficit alter, nec unquam negotium perficere valuit, donec aſſumpto igne abſciſſo capiti applicaret. Quid hinc? quod gladio rigoris non potes, amoris igne perficies. Vidit olim propheta Cherubinum, qui hinc humanam, illinc leoninam faciem habebat. en Principis conditio; debet enim inſtar Cherubini, faciem hominis habere, ad clementiam erga ſubditos demonſtrandam; aliquando leonis, quo juſtitiæ amatores ſe oſtendant ad improborum delicta digno ſupplicio plectenda. Hinc Ægyptiorum Reges ſceptrum geſtabant, cujus ſummitati caput ciconiæ, clementiæ ſymbolum; extremitati caput equi marini, pro nota juſtitiæ adjunctum erat. Quorſum hoc? ut Principes intelligant, quod licet manſuetudine inſignes eſſe debeant, juſti tamen rigoris non debent obliviſci, mente ſæpius revolventes, ſe Dei vice fungi. At Deus ſumma quidem clementia cuncta moderatur, non tamen abſque juſtitia. Licet enim Deus voluntate antecedente omnes homines ordinet ad gloriam; voluntate tamen conſequente illos tantum vult ſalvos eſſe, qui vivunt ex præſcripto Legis: ita Princeps debet quidem omnes ſubditos incolumes ſer-

Ezech. c. 1.

Pier. Valer. li. 9.

D. Th. 1. p. q. 21. a. 4.

ſervare, non autem omnino omnes, ſed tantùm rectè viventes. ſatis appoſitè huc ſpectat, quod de Caſſio produnt hiſtoriæ. is, poſtquam unà cum ſociis conjuratis Cæſarem interfecit, quod patriam libertatem proditum iret, cæde peracta, nummos ſignavit viola & gladio inter ramos olivarum interpoſito. Quid hoc inſigne portendebat? viola Rempublicam, gladius juſtitiam, oliva clementiam deſignabat, quibus ipſa, veluti vinculo quodam continebatur, adeo, ut qui ſine his dominari vellet, non Rex, aut Conſul, ſed tyrannus & prædo foret dicendus, utraque enim virtus ad Reipublicæ adminiſtrationem in primis neceſſaria eſt. Siquidem pura juſtitia, non comite clementia, mera crudelitas eſt; ſola clementia, altera ſocia deſtituta, parum, aut nihil proficit ad regimen. cui quadrat nota academica, Altera non ſufficit. Non tamen pro qualibet re levi juſtitia à Principe exercenda, ne ſimilis judicetur Pharaoni Regi non minus inſipienti, quàm crudeli, de quo referunt peritiſſimi Hebræorum Rabbini, quod piſtorem & pincernam in carcerem conjecit, quia ille panem unico, eoque minutiſſimo terræ grano coxit, iſte vero in vini calice ciniphem ſibi propinaverat. ſanè ſi pro rebus nullius ferè ponderis in populos ita deſæviunt Principes, & pœnarum illos fulmine feriunt aſſiduè, quis poterit diu æquo animo ſuſtinere? oporteret eos fulminum copia Jove locupletiores eſſe, nec ſatis eſſet. Hinc eleganter Poëta.

Gen. c. 40.

Si, quoties peccant homines, ſua fulmina mittat
Juppiter, exiguo tempore inermis erit.

Ecquiſnam Regum tutus evaderet, ſi ſtatim delicta potentium illatis è cælo fulminibus Deus perderet? Placatur ille omnipotens, & uno gemitu

gemitu placatur, & homo homini implacabilis erit?

Sis pius, ô Princeps; nam, si clementia regnat,
Fœlix, atque diu regia sceptra feres.
Non tamen in pœnis languescat summa Potestas,
Ne nimis indulgens, Regia virga cadat.

CAPUT IV.

Potius amari quam timeri studeat Princeps, & gloriosè dilatabitur Regnum ejus.

AMOR populorum custodia tuta Regnorum. Adagium sanè aureum, experimento probatum. Quod apprime intelligebat Octavius Augustus Imperator, proinde nihil magis timebat, quàm quod vehementer à populis timeretur. Noverat quippe egregius Princeps, quod malus custos civitatis metus, at benevolentia custodia fidelis ad perpetuitatem. Quocirca imperii clavum sustinentes, fugiant, tanquam detestabilem Regni perniciem, vocem illam tyrannicam, quam frequenter jactare solebat Cæsar cognomento Caligula, Oderint, dum metuant. totis autem viribus complectantur aurea illa verba, seu potius oracula ex ore Romani oratoris prolata, nempe, Laudari, diligi, coli, gloriosum est; at metui & odio haberi, invidiosum, detestabile, non diuturnum: quippe, quod amore populorum septum esse oportet Principem, non opulentia, aut armis. Optimum sanè Catonis senioris consilium, admonebat enim frequenter, ut qui potentes essent, parcè uterentur sua potestate, quò semper uti possent, sentiens potentiam clementia

(Plut. in Apoph. Rom.)

mentia

mentia fieri diuturnam, ſævitia brevem. cui convenit Senecæ Tragici dictum.

Qui vult amari, languida regnet manu,
Iniqua imperia non retinentur diu.

Perinde ac ſi diceret, nulla contra hoſtes arx firmior, quàm populi erga Principem benevolentia. Siquidem ad incolumitatem imperii, nec aptius quidquam, quàm eum diligi, nec alienum magis, quam timeri. Nulla eſt enim tanta vis Imperii, quæ premente metu poſſit eſſe diuturna: quia quem metuunt populi oderunt, & quem quiſque odit, periiſſe expetit.

Cic. 2 de offic.

Juſtitia & charitas validæ ſunt Principis arces,
Nulla tyrannorum vis diuturna fuit.

Ad hanc rem pulchrè Tragicus,

Qui ſceptra duro ſævus imperio regit
Timet timentes, metus in authorem redit.

Aureum planè documentum, & quidem multo ſale aſperſum Alexandro Magno oblatum. Cum enim ad Alexandrum ducerentur nonnulli captivi inſignes, natu majorem interrogavit Rex, Quidnam agendo diu tutus in Regno foret? Si nemini, reſpondit, te formidandum tradideris. quo audito Alexander eos dimitti juſſit, & multis muneribus affectos quàm maximè laudavit. Opportunè huc facit, Agaſiclis Lacedæmoniorum Regis teſtimonium. Cùm quidam ab eo ſciſcitaretur, quo pacto poſſet aliquis tutò imperare? hæc aurea verba deprompſit, quaſi ex Ariſtotelis fonte potarit, Si imperet ſuis quemadmodum pater imperat liberis. Egregium plane inſigne, nimirum, vitis parvula, quæ tenaci vinculo adhæret trunco, & truncus brachiis illam excipit, & amanter ſuſtinet, adjecta nota, Vix nata ſuſtentor. En Princeps vere politicus, qui plebem

ſibi

ſibi commiſſam debet fulcire, fovere, & clementiæ brachiis benignè complecti. Pulchra ſanè reſponſio. Ecquis unquam poterat plura dicere majore compendio? Hinc namque regium dominium diſtinguitur à tyrannico. Tyrannus quippe, ſævitia & feritate cordibus ſubditorum odioſum ingenerat metum. At Rex amore populos regit, verbis favet, ac beneficiis fovet. Tyrannus efferata immanitate regnum debilitat, & uſque ad interitum proſternit. At Rex clementia, & moderata juſtitia quaſi quibuſdam anchoris Regnum corroborat. tyrannus proprium commodum reſpicit, præterea nihil. Rex populis tanquam filiis proſpicit, conſulit, invigilat. tyrannus ſanguini inhians ad pœnas infligendas curſu fertur præcipiti. Porrò Rex ad ſupplicia procedit invitus, & gemens, ut pulchre monet Poëta:

Ariſt. l. 8 de moribus c. 10.

Sit piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox,
Et doleat quoties cogitur eſſe ferox.

Ovid. lib. 1 de Ponto.

Sic Neronem aliquando feciſſe, refert Seneca, initio Regni ſui non ſine magna admiratione. Cùm enim de ſupplicio cujuſdam capite damnati, ut ex more ſubſcriberet, moneretur, ſuſpirans exclamavit, Utinam litteras neſcirem! Vox quidem generoſa fuit parſimoniam ſanguinis promittens, ſi ex animo prodiiſſet. de quo Trajanus ſolebat dicere, ut refert Sextus Aurelius, procul diſtare cunctos Principes à Neronis quinquennio. Hac pia regendi inſtitutione florebat Pericles. hic enim in extremo vitæ termino dicebat gaudens, Nemo mea opera pullatus unquam inceſſit. O quam bene Alphonſus Rex Neapolis, admirantibus enim & quærentibus, cur erga omnes etiam malos ita lenis eſſet? ſic reſpondit, Bonos juſtitia conciliat, malos clementia. Quid de Conſtantino verè Magno?

Sen. de Clem. lib. 2 c. 1.

Cùm ad ultionem aliqui familiares illum concitarent, contra eos qui ſtatuam ejus lapidibus appetiiſſent, dicerentque, Faciem Imperatoris à ſceleſtis hominibus fœdè vulneratam. tùm ille manu faciem, & caput palpans, Ego verò, inquit, & os & caput ſana mihi perſentio. Quid plura? nonne Adrianus eo ipſo die quo ad Imperium aſſumptus, cùm in quendam incidiſſet olim ſibi infenſum, Evaſiſti, inquit, quia factus ſum Imperator. In ſumma enim poteſtate imminutam ille ſibi nocendi facultatem animo planè imperatorio cenſuit, quam viliſſimus quiſpiam totam pleno impetu ad ultionem effudiſſet. Hanc regiam virtutem reſcripto egregiè probarunt Theodoſius, Arcadius, Honorius, cujus reſcripti hæc erat formula: Si opprobrium ex levitate proceſſerit, negligendum; ſi ex furore, & inſania, condolendum; ſi ab injuria, remittendum. Hæc eſt aurea regendi ratio, quam frequenter docebat Divus Bernardus ad Principes terræ ſcribens, Erudimini, qui judicatis terram, diſcite vos ſubditorum patres eſſe debere, non dominos. ſtudete magis amari, quàm metui. & ſi interdum ſeveritate opus eſt, paterna ſit, non tyrannica. exhibeatis vos matres fovendo, patres corripiendo. manſueſcite, feritatem ponite, ſuſpendite verbera, producite ubera, pectora lacte pingueſcant, non elatione turgeant. Patris tandem officio fungimini, & tunc Regnum veſtrum benedictionibus redundabit. Quid pater pro filiis? anxius eſt ſemper, ut nihil eis ad bene, beateque vivendum deſit, unus pro omnibus excubat, ratione cum illis agit, non poteſtate, mavult eos emendare, quàm punire. ita Rex quaſi pater communis ſuis civibus indulgere debet, medici prudentis inſtar,

Bern. ſuper Cant. ſerm. 23.

ſtar, qui oleum potius adhibere ſolet quàm ferrum. Nec niſi tentatis omnibus ad ſectionem deſcendit, non enim minus turpia ſunt Principi multa ſupplicia, quàm medico plurima funera. Non eſt ſemper accepta poteſtate utendum, ſed in tempore ea diſſimulanda, multa quidem tolerando, in quæ ſtatim animadvertere non expedit, Chriſti veſtigia ſequendo, qui abſcondit ſe & exivit de templo. Perdere illos poterat, noluit. ſed expectavit, ut ipſi reſipiſcerent, quibus deinde miſericordiam præſtaret. Ad rem ſatis egregiè accommodatur, quod Ariſtoteles docuit de recto Principe; ſit in ultione gravipes, in beneficio delphinus. Inſignis eſt velocitate delphinus, illud verò animal quod gravipedem vocamus, ita tardo incedit greſſu, ut teſtudinis tarditatem ſuperet. per diem enim integrum gradiens, unius palmi ſpatium conficit; ita ſanè ſe habeant Principes, in benefaciendo veloces, in puniendo lenti, divinam inſtitutionem pro viribus imitantes. Ecce ego ſtridebo ſuper eos ſicut ſtridere ſolet plauſtrum fœno onuſtum; hoc eſt Dei ingenium, ad puniendum pergit contracto ac brevi paſſu, ad juvandum ita expeditis greſſibus properat, ut cervorum velocitatem longè ſuperet. Hæc eſt virtus regia, quæ ad pietatem prona: at illa improba poteſtas, quæ valet ad nocendum. Hinc apes illum ſibi in regem conſtituunt, qui ſit inter cæteros manſuetudine clarior, nec aculeum habet; vel ſi habet, non ad vindictam. Utinam non pudeat Principes ab exiguis animantibus trahere mores. Rex apum ſine feritate in medio ac tutiſſimo loco quieſcit, amico grege ſtipatus, nec tibi ô Princeps, erit opus armato exercitu, qui latera undique cuſtodiat, ſi ætatem agas clementiæ clypeo circumſeptus. Proinde

Plin de animal. lib. 10.

Amos c. 2.

Cæsarem primum Romanorum Imperatorem laudavit antiquitas, quod detectas conjurationes non ultra arguit, quam ut edicto ostenderet sibi notas. hujus etiam Imperio dejectæ Pompei statuæ, restitutæ. Litteræ in scriniis repertæ, igni traditæ. poterat intus cognoscere conspiratores, noluit. Nec minori elogio dignus Vespasianus, qui monitus, ut ab insidiis Metii caveret, consulem fecit, Erit, inquit, tanti beneficii aliquando memor. Augustus post Liviæ monita, dixit, Ego judico plus clementia, quàm sævitia proficere. Dignum æternis præconiis illud Rudolphi Imperatoris oraculum; Severum, & immitem fuisse, me aliquando pœnituit; lenem ac placabilem, nunquam. Egregium sanè apophthegma Alphonsi Aragonum Regis, Malo multos mea clementia servare, quàm paucos mea sævitia perdere. Temperanda itaque clementiâ justitia est, ita præscribit optimum quoque regimen. sed ita, ut primum locum obtineat clementia, si fortunatum, si firmum, si diuturnum volumus Imperium. Certiora enim ab amore, quàm à terrore obsequia nascuntur. misera quippe veneratio, quæ metu paratur. Quorsum Lacedæmonii priusquam ad bellum moverentur, victimas amori immolabant? cur non potius Marti bellorum duci? credebant victoriam in bello magis subditorum affectu, quàm ab armorum robore dependere. ô quam eleganter olim Claudianus,

Plin. lib. 8. epist.

Alexan. ab Alex. lib. 4. c. 7.

Non sic excubiæ, nec circumstantia tela
Quàm tutatur amor, peragit tranquilla potestas
Quod violenta nequit, mandataque fortius urget
Imperiosa quies.

Hanc regnandi institutionem probè noverat Philippus Macedonum Rex; is enim cum audisset aliquan-

aliquando Pithiam pugnatorem quendam ſtrenuum, à ſe prorſus alienatum, quod filias tres inops vix aleret, nec à Rege adjuvaretur, hortantibus quibuſdam, ut eum è medio tolleret, Dicite quæſo, inquit, ſi partem corporis ægram habeam, abſcindendamne, an curandam ſuadebitis? ſanè curandam. Pithiam itaque tam præclaris donis ornatum à ſe demiſit, ut ſumma fide Philippum deinceps coluerit. En glorioſus clementiæ fructus, qui Principem apud omnes amabilem reddit. Nam ſicut hoſtes armis, ita ſubditi beneficio vincuntur, & vinciuntur. Beneficiis quippe qui afficitur, compedibus quibuſdam adſtringitur, qui non ferri retinent naturam, ſed obſequii & obligationis. Quid enim aliud eſt Principis donum, niſi veluti quoddam ſervitutis vinculum? Nam beneficium accipere, libertatem vendere eſt. Toto cælo aberrat, qui exiſtimat, tutum eſſe ibi Principem, ubi nihil à Principe tutum eſt. Multos metuat oportet, quem metuunt multi. Securitas ſecuritate mutua fovetur, & amore conciliatur amor. magnes amoris amor. ita ſcribit Auguſtinus. Dogma naturæ eſt, ut amatus ames. Ita teſtatur Nazianzenus. Oſtendam tibi potiſſimum remedium, ut ameris, ama. ita docet Seneca. Si vis amari, ama. notum eſt proverbium apud omnes receptum. Hinc eſt quod variæ amoris etymologiæ à probatiſſimis authoribus circumferuntur. omnes tamen in hoc conveniunt, quod amor amorem pariat, & mutuo quodam nexu amantes liget ad invicem. Plato exiſtimabat hoc nomen deduci à verbo quodam, quod ſignat furari, eò quod amantis cor deprædetur, & in poteſtatem alterius traducat. Alii deducunt à verbo quod importat ſequi, quod amans rem amatam vehementer ſequatur.

Seneca de Benef.

tur. Alii deducunt ex verbo, quod fortitudinem designat, ut innuat amorem super omnia fortem esse, Omnia vincit amor. Alii dicunt amorem trahere originem à verbo quod significat dicere; amor enim dicaces & eloquentes facit. Alii verò, & bene à verbo quod significat vincire, eò quod amantes vinciat, & in vincula trahat, & amatos quoque ad amandum alliciat. Scio quidem varias esse circa amoris causam doctorum opiniones.

2,2.q.28 a. 2. Angelicus doctor arbitratur causam amoris effectivam esse bonum, quoniam omnis amor ex bono gignitur, & in bonum tendit, nec aliquid diligitur, nisi in quantum habet rationem boni.

De div. nomin. c.4. Dionysius Areopagita sentit præcipuam causam amoris esse pulchrum, nam pulchrum idem est cum bono sola ratione differens.

Augustinus opinatur cognitionem esse causam amoris, nam voluntas non potest ferri nisi in bonum cognitum, proinde dicebat, Invisa amare possumus, incognita nequaquam.

Platonici volunt similitudinem esse causam amoris: omne enim simile diligit sibi simile. hinc Academici, Dissimilium infida societas. ea namque similitudo quæ inducit te, ut ames me, ipsa eadem inducit me, ad tui amorem.

Sed meo judicio sententia Philosophi moralis omnibus votis est complectenda, & nostro instituto magis consona; ipse enim asserit veram & propriam causam amoris, esse amorem. Si vis amari, ama. Huc pulchre facit apologus Porphyrii Græco idiomate conscriptus, à Celio Calcagnino in Latinum redactus. Quo tempore Venus Cupidinem peperit, venustus erat puer, & forma insignis, nec tantillum à matre pulcherrima

degene-

degeneraba. Cæterum ſemper erat ſtatura puſillus. anxia igitur eam ob rem, & inops conſilii mater, affligebatur non parum, nec minus Gratiæ infantis nutrices; itaque oraculum Apollinis adeuntes orabant ſupplices, ut ad inſolitam calamitatem remedium aliquod inveniret; at Apollo hujuſmodi habuit reſponſum, Poteſt quidem, ô Venus, amor ſolus naſci, at creſcere ſolus non poteſt. quod ſi cupis, ut adoleſcat, Anterotis opera opus eſt, hoc eſt mutui amoris, qui reciproca benevolentia reſpondeat, eritque conditio fratrum talis, ut alter alteri mutuetur incrementum, ſi ſe mutuò intueantur, æquali propagine germinabunt. Porrò ſi alter deficiat, ambos pariter deficere oportebit. Hoc uſa conſilio Venus Anteroten parit, quo vix in lucem edito, ſtatim Cupido adoleſcere cœpit, & jam procero corpore incedere, ſed cum huic ſorti obnoxius ſit, multis plerumque conflictatur ærumnis; nam interdum pullulat, interdum defloreſcit, rurſus augetur, ita tamen, ut nunquam nòn præſentia fratris indigeat; quem ſi grandeſcere animadverterit, longè grandior ipſe effici contendit; ſi verò puſillum eſſe deprehenderit, ſæpe vel invitus elanguet. Sed quid hinc? egregiè utique docemur, nulla alia ratione amorem conciliari, & alios ad noſtri amorem pellicere, quam ſi nos diligentes diligamus, & amantes redamemus. ſic & divinæ docent Scripturæ, Ego diligentes me diligo. Pulchre quoque Martialis, Martialis lib. 6. epigram.

Vt præſtem Pyladen, aliquis mihi præſtet Oreſtem,
Hoc non fit verbis, Marce, ut ameris, ama.

Tunc ſiquidem ſtabilis, tunc diuturna Poteſtas Principis, quando mutuo amore proſequitur populos, tanquam pater filios, quando communi commodo

modo

modo consulit, quando sermone est affabilis, accessu facilis, vultu amabilis, quem populi ad commune auxilium natum prædicant, quem excubare pro salute singulorum quotidie experiuntur. quo procedente non tanquam aliquod noxium animal è cubili prosiliret, diffugiunt, sed tanquam ad clarum, ac beneficum sydus certatim confugiunt. hic ab omnibus amatur, defenditur, colitur; hic tutus in Regno nullis præsidiis eget, solus potest incedere in qualibet urbis parte, sine ullo prorsus timore, etiamsi nullus sequatur comes, nullus ad latus gladius. Tunc enim populi vicissim pro salute tanti Principis mucronibus se objiciunt, corpora sponte offerunt, & ad necem, incurrentibus periculis libenti animo se opponunt. At ubi animadvertunt Principem sævitiæ deditum, truci aspectu minitantem, sanguine gaudentem, sono catenarum delectantem, necibus inhiantem, & tandem ferina rabie agitatum, execrabile illud verbum jactantem, Oderint dum metuant; mox populorum animi concitantur, seditiones parantur, pullulant odia, nullibi quies, utrinque timores. Quoniam qui se metui volunt, & ipsi metuant necesse est. nec mirum, si ingenia principantium præcipuè improborum, prona sint ad formidinem; percurrendo enim historias passim inveniunt plurimorum Regum tragicos, ac miserabiles exitus. alios namque vident nudos & catenis vinctos ante victoris triumphum duci, alios tanquam feras cavea inclusos, ossa à mensa projecta corrodere, alios denique superbo ac barbaro Principi equum conscensuro, pro scabello subservire. Et quis non horreret, audiens Reges, & Imperatores à vilissimis hominibus, quin & à suismet militibus trucidatos? Legantur annales.

&

& videbimus ſuorum gladiis cecidiſſe Cæſarem, Neronem, Claudium, Heliogabalum, Galbam, Caligulam, Vitellium; ferro autem ſuo, Catonem, Brutum, Antonium, Othonem, & alios propè innumeros, quos omnes enumerare ſupervacaneum eſſet. omnino illud Curtii veriſſimum eſt; Nihil tam firmum; cui periculum non ſit, etiam ab invalido. Huc facit opportunè, quod noſtræ tempeſtatis ſcriptor inſignis refert. Princeps quidam Italus, ait, cum gravi tyrannide ſuos premeret, jugumque intolerabile civibus imponeret, illi tyrannidem deteſtantes, quo eum ad benignitatem excitarent, Legatum miſerunt virum rebus gerendis idoneum, ſummique ingenii arte medicum, qui diſerta & gravi oratione civium calamitatem exponeret. hic mox ut in Principis conſpectum venit, ſertum è baſilica herba contextum eidem obtulit dicens, non alia de cauſa ſe à populo legatum, quam ut herbam illam, verum reipublicæ afflictæ ſymbolum, Principi offerret. Princeps igitur cùm ænigmaticam legationem non intelligeret, Legatus ſic expoſuit. Huic herbæ ſubditos tuos perſimiles crede, quæ cum leviter tractatur, ſuavem & jucundum ſanè emittit odorem; ſi premitur, & violenter avellitur, non modo malè olet, ſed ſcorpios etiam, & viperas progignit. ita prorſus ſubditi tui; ſi enim placidè habeas, tibi omnem exhibebunt fidelitatem, ſicque amorem, & gloriam apud omnes conſequêris; ſi verò crudeliter opprimas, præterquam quod perperam de te ſentient, & obloquentur, conſpirationes viperis deteriores, in caput tuum excogitabunt. ô præclaram planè Legationem! Ecquid unquam poterat prudentiùs afferri? hinc diſcant Principes non ſævos, & inexo-

Curt. lib. 7.

rabiles, sed mites & humanos, subditis se exhibere, memores illius adagii per omnium ora decantati, Ab alio expectes, alteri quod feceris. Quid est enim, ait Boëthius Romanus, quod quisquam in alium possit facere, quod sustinere ab alio ipse non possit? Nonne accepimus Busiridem necare hospites solitum? ab Hercule hospite, & ipsum fuisse mactatum legimus. Regulus plures Pœnorum bello captos in vincula conjecerat, mox & ipse vinctorum catenis manus proprias præbuit invitus. In prima Isthmi fronte locus est, ubi Sinis latro curvatis ad terram diversarum arborum ramis, ad eos quos pugnando vicisset arctis utrinque vinculis alligabat, ut cum in suam naturam arbores rediissent, miserabilem in modum illi distraherentur. Eodem ipse postea supplicii genere à Theseo affectus est. Cùm ad Hercei Jovis aram Neoptolemus Priamum jugulasset, ipsi postea accidit, ut ad Apollinis Delphici aram interimeretur. Impius Achab & ejus uxor Regina Jezabel interfecerunt Nabot injustè, sed in eodem loco in quo linxerunt canes viri innocentis sanguinem, linxerunt etiam sanguinem Achab. Pharao tyrannus impius suffocabat in aquis Hebræos, ipse pariter in mari rubro obrutus aquis, cum curribus suis interiit. Adonibezech dixit: Septuaginta Reges amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias; sed sicut feci, ita reddidit mihi Deus. Iason multos de patria sua expulerat, peregrè & ipse periit, & qui insepultos multos abjecerat, ipse quoque & illamentatus, & insepultus abjicitur, sepultura neque peregrina usus, neque patrio sepulchro participans. Herodias illa saltatrix, quæ ab impio Herode caput Joannis Baptistæ petiit amputari, & amputatum accepit,

Boëth. de consol. Phil. l. 2 prosa 6. Plut. tom. 1 opusc. Pausan. lib. 2.

Pausan. lib. 4.

3 Reg. 22. Exod. c. 1. Jud. c. 1.

Lib. 2 Machab. c. 5.

Niceph. lib. 1. c. 20 hist. eccles.

cepit, postea fluvium quendam glacie constrictum pedes transiens, glacie rupta demergitur capite tenus, quod glacie statim à reliquo corpore resectum, talem ei vitæ finem dedit, qualem crudelis in alio expetiverat. De Duce Annibale historiarum produnt monimenta, quod tanta strage apud Cannas Romanum exercitum affecerat, ut equestrium annulorum tres modios cum dimidio Carthaginem miserit, at ipsemet coactus est venenum haurire, quod secum in annulo gestabat. Eutropius Arcadii Imperatoris cubicularius auctor legis fuit, nè quis ad ecclesiam confugeret alicujus criminis convictus, si autem confugisset, vi extraheretur: sed non longo temporis spatio interjecto, cùm Imperatorem ipsemet offendisset, ad ecclesiam supplex confugit, sed inde extractus capitale tulit supplicium, iniquæ legis æquam ferans pœnam. De quo, jure potest dici, Patere legem, quam tu ipse tuleris. Malum consilium consultori pessimum. Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis. Apud Ludovicum XI, Francorum Regem, Episcopus quidam Verodunensis inventor fuit, carceres quosdam & cancellos ferreos, aspectu terribiles, horrore ac tenebris plenos, clausuris autem munitissimos construendi, sed ipse primus in eos conjectus fuit, & quatuordecim illic annis jacuit. Trasilus qui Busiridi tyranno persuasit, hospite immolato placandos esse Deos, immolatus statim ipse, quia hospes erat. Perillus qui taurum æneum fabricavit, in quo subjecto igne, qui poneretur, vocem bovinam ederet, ut Phalaridi Siculo tyranno crudelissimo obsequium præstaret, eodem jubente & cogente tyranno, primus ipse omnium, ut canit Claudianus, sensit opus, docuitque suum mugire juvencum. Thomas Cromvellus Henrico octavo Angliæ

Lucius Florus lib. 2.

Niceph. lib. 13. c. 4.

Philip. Comineus hist. suæ c. 126.

Ovid de trist. lib. 5.

Angliæ regi, cui à consiliis erat, author fuit, ut legem ferret, qua caveretur, ne quisquam læsæ majestatis suspectus, aut delatus, ad colloquium Regis admitteretur, nisi causa prius in Senatu regio cognita: at ipse paulò post omnium primus, hujus legis rigorem sensit, & omni ad Regem, cui carissimus erat, aditu interdicto, capitalem sententiam accepit, & subiit. ecce quod incidit in foveam, quam fecit. Ioannes Andreas Genevæ homo primarius, ut aliquod spretæ Catholicæ religionis specimen daret, Senatui Genevensi author fuisse narratur, ut quæ in ara maxima extaret tabula marmorea, ad carnificinam deinceps adhiberetur. placuit perditis hominibus execrandum consilium, verum non multò pòst decretum ea de re factum, in consultoris caput recidit; nam sceleris convictus primus lapidem sacrum impurissimo sanguine cruentavit. Verissimum itaque adagium longo usu comprobatum, Ab alio expectes, alteri quod feceris. Hinc est quod tyranni sanguinem sitientes jugi timore percutiuntur, trepidant ad omnia, Iob. c. 5. pallent semper, semper pavent. de quibus Job vaticinatur, Sonitus terroris semper in auribus illorum, & cùm pax sit, semper insidias suspicantur. Hoc stimulo torquebatur Caïnus, qui Deo interroganti, cur concidit vultus tuus? respondit; Omnis qui viderit me, occîdet me. ita mali Principes jugi timore affliguntur ob conscientiam malefactorum, quæ semper illos torquet. Quoniam, ut verbis utar Labentii equitis Romani, Necesse est, ut multos timeat, quem multi timent. Hanc verò doctrinam, ut omnibus pateat, multorum exemplis comprobare operæ pretium duco. Dionysium tyrannum proponamus in primis, cujus assiduum timorem quis ignorat? adeò dire angebatur

Tull. lib. 5. de offic.

batur Rex impius, torquente conſcientia, ut candente carbone ſibi adureret capillum, ne collum, ac guttur tonſori committeret, & allocuturus populum, cum ſingulos quoſque formidaret, ex alta turri concionaretur. Sed quid? nonne Valerius Maximus de hujus tyranni anxio timore loquens, ſcriptum reliquit, quod præ nimia formidine, proprios etiam filios expaveſcebat? imò ut ſecurius dormiret, ligneum pontem, quo tranſitus erat ad aulam regiam, nocturno tempore amoveri præcipiebat? Quid de Clearcho Pontico tyranno? nonne, ut quieſceret, in arcam ſe abdebat? Argivus Ariſtodemus, teſte Plutarcho, in cœnaculum habebat portam penſilem, ſupra quam lectum locaverat. in eo autem dormiturus, utebatur ſcala qua lectulum conſcenderet, quam poſtea mater cum aſcendiſſet, mox auferebat, mane demum ut deſcenderet, afferebat. An ſilentio comprimam, quod de Alexandro Phereo tradunt ſcriptores? is non audebat ingredi uxoris cubiculum, quin prius unus de ſatellitibus diſtricto gladio ante iret. De Maſſiniſſa refert Valerius, quod quia timeri, non amari ſtudebat, proinde anxius, & tremens ſalutem ſuam non hominum, ſed canum cuſtodia vallavit. O longe feliciores Principes, qui Regni præſidia, non in timore, & ferro, ſed in populorum benevolentia, & in divini numinis præſidio firmant; his enim omnia cooperantur in bonum, & diu, & feliciter cuncta ſuccedunt ex votis. Quod facili negotio comprobabitur, ſi volumus memoriam refricare temporum. Conſtantinus Imperator, quia ſemper Chriſtianam coluit religionem, ad eam amplificandam acri ſtudio incubuit, ejuſque ſplendorem ad ſummum perducere laboravit. proinde rerum omnium

Tull. lib. 2 de offic.

Val. Max. lib. ult.

Hiſtor. eccl. lib. 2.

omnium moderator. Deus tantis illum terrenis implevit muneribus, quanta optare nullus unquam auderet. Nam diu feliciterque imperavit, universum orbem Romanum unus Augustus tenuit, ac defendit, in administrandis bellis gloriosus, in tyrannis opprimendis invictus, & grandævus senectute defunctus, filios imperantes reliquit. Theodosius Imperator strenuè ac fortiter pugnando, quot hostes prostravit? quot victorias obtinuit? quot triumphos celebravit? hoc autem an copiarum viribus? an ducis peritia? an Imperii auctoritate? non ita quidem. sed quia clementissimus, proinde amore populorum circumseptus, & quia piissimus, proinde divino præsidio stipatus. Hinc tela hostium, sic jubente Deo, in ipsos retorquebantur ad eorum exitium. Pro cujus rei elogio cecinit Claudianus,

Aug. de civ. Dei lib. 5. c. 25.

Aug. de civ. Dei lib. 5. c. 26.

Fulgos. lib. 2.

Te propter gelidis aquilo de monte procellis
Obruit adversas acies, revolutaque tela
Vertit in authores, & turbine repulit ictus.
O nimium dilecte Deo, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti.

Quid de Carolo Magno Francorum Rege? is cùm bellum gereret adversus Saxones, quia oculi ejus erant ad Dominum, affuit ei cœlitus auxilium. Siquidem cum fanum vellet destruere, & oporteret ibi per triduum commorari, dum ingenti aquæ penuria laboraret, statim media die cuncto exercitu quiescente, apparuit ei torrens aquas salubres ebulliens, ut exercitus, & jumenta abunde reficerentur, & tamdiu aqua ebulliit, donec fanum funditus eversum. Pro tam ingenti beneficio, divino Numini plurimæ gratiæ peractæ, ac omnia benedictionibus repleta. Sed quis unquam Trajano & potentior, & felicior? cur autem tam feliciter

Baron. in annal. an. Christi 773.

citer omnia? quia in tractando Imperii clavo fuit ei clementia comes ſemper individua. quod ex hoc conjici poteſt, ut plura id genus omittamus, Is enim amicis aliquando incuſantibus, quod parum memor imperatoriæ majeſtatis, nimium eſſet omnibus expoſitus, prudenter & aptè reſpondit, Talem præſtabo Imperatorem privatis, qualem optarem ipſe privatus. aureum oraculum tanto Imperatore dignum. Alphonſus Aragoniæ Rex feliciter & ipſe regnavit, quoniam omnibus prodeſſe, nulli obeſſe ſtuduit. Is admonitus, ne nimia lenitas exiret in contemptum, & ex contemptu pernicies; Magis, inquit, cavendum, ne ſeveritas pariat invidiam, unde longè majus exitii periculum. O præclaros Principes, dignos ſanè, ut omnibus ſæculis divinis laudibus celebrentur. Sed quid de Regibus Galliæ, qui olim in toto Orbe victores floruere? quorum egregia facinora Homeri præconio digniſſima, in omnem poſteritatem perſonabunt? quorum nomina immortalitati cònſecranda, apud omnes gentes gloriosè prædicantur? Cur quæſo tot victorias adepti? tot triumphos conſecuti? tot coronis decorati? quia pietatis amatores, Apoſtolicæ Sedis propugnatores, Eccleſiaſtici principatus ditatores; adeò ut inter Reges ſacro fonte renatos Chriſtianiſſimum nomen meritò obtinuerint. Clodoveus in provinciis Gallicanis, nonne Chriſtianæ fidei ſemina mandavit? Childebertus Arrianorum inſecutor acerrimus, nonne Arrianam peſtem è ſuis finibus exterminavit? Carolus re & cognomento Magnus, nonne nequiſſimum Saracenorum gregem prælio fortiter devaſtavit? nonne Saxones ſævos veræ religionis hoſtes, tandiu armis fatigavit, donec perdomitis eorum cervicibus, fidem denuò amplecterentur?

Pipinus nonne Hunnorum Regem Romani Imperii fines longe lateque vaſtantem profligavit? Aſtulphum etiam, Summum Pontificem acriter inſectantem, nonne penitus debilitavit? Pontificemque in priſtinam dignitatem reſtituit? Ludovicus Pius Apoſtolicæ Sedis amplitudinem, perditorum nequitia deturbatam, nonne ad priſtinum dignitatis ſplendorem erexit? Quid de illa penè incredibili Regum Galliæ liberalitate proferam? qua Eccleſiaſticam hierarchiam ditaverunt, ditatam auxerunt, auctam ſempiternis monimentis ornaverunt, ornatam victricibus armis defenderunt. nonne ipſi Romanæ Eccleſiæ largiti ſunt Ducatum Spoletanum, Ravenatum Exarchiam, ac unicum toto orbe Pontificatus quondam domicilium Avenionem. Unde experimento comprobatum eſt, inclytam Galliæ Regum virtutem Romanæ Eccleſiæ fuiſſe ſecundis temporibus ornamento, turbulentis & aſperioribus præſidio. Proinde ſub divinis auſpiciis floruere, & ſemper florebunt Lilia. Si enim Deus pugnat pro eis, quis contra eos? pugnabit autem & quidem dextera potenti, ut protegat aſſiduè Chriſtianæ fidei protectores, inter quos inſignem locum obtinet Ludovicus XIII, Galliarum nunc Rex digniſſimus; is namque tertium ante annum Bearniam Galliarum provinciam victor ingreſſus, cum ſibi ab iis populis Umbella auro gemmiſque contexta fuiſſet oblata, ſtatim rejecit, eamque addixit Euchariſticæ hoſtiæ triumphali pompa eas per urbes circumferendæ. Quo in facinore quis non videt modeſtiam, & pietatem pari victoria regio in pectore triumphare? An loquendum de florentiſſimis Hiſpaniarum Regibus? Percurre annales, & illos videbis unius orbis monarchas, tot victoriis coro-

coronatos, tot coronis ornatos, tot triumphis decoratos; sed quia omnes penè innumeros enumerare nimis longum esset, nec sermo explicaret, ad Philippum Regem nostrum Augustum, & semper invictum convertamus sermonem, & dicamus adinvicem, cur ad hunc Principem potentissimum tot Regnorum coronæ devolutæ sunt, numero plures, quàm sint ejus anni? quia susceptum Catholicæ fideï patrocinium inviolata religione semper complexus est; quia ad Ecclesiæ tutelam natus, & ad Catholicæ sedis robur de cælo datus, omnia quæ in eo sunt auxilia, pro Ecclesiæ salute nunquam prætermisit; quia in summis angustiis Ecclesiasticam hierarchiam, tanquam alter Gedeon eximia pietate, & invicta virtute sublevavit; quia hierarchas suo semper præsidio munivit, & Apostolicam Sedem singulari quadam observantia veneratus est. Hunc igitur militantis Ecclesiæ clypeum imitamini, ô Principes, & hujus præstantissimi Regis exemplo, etiam usque ad sanguinem ecclesiasticam observate libertatem. Hac enim, regnorum jurisdictio non infirmatur, sed confirmatur; Principatus dignitas, non dejicitur, sed erigitur. Imperii amplitudo non coarctatur, sed dilatatur; splendor Regius non obscuratur, sed illustratur. Et unde Austriaca familia ad tantum potentiæ culmen pervenit, ut ejus Imperio sol numquam occidat? Rudolphum clarissimum virum memoria repetite, & responsio in promptu erit. Ejus enim religioso, & jam omnibus noto facinori, cum sacerdoti occurrit in venatione sacram hostiam ad ægrotum ferenti, tam ampla Monarchiæ moles prædictione promissa, & ejus posteris unà cum religione commissa est.

Bene sit tibi, ô Rudolphe, & stemmati tuo; vi-

vent, vincent, & regnabunt, qui à te descendunt Reges, quamdiu fidem Catholicam tuebuntur; quia benedictio Domini firmat domos divina Numina colentium.

Videamus modò, si lubet, miserabiles exitus potentium, qui humano sanguini inhiantes, & Deum post terga habentes, sævitiam pro voluptate, & libidinem pro lege sibi præscribebant, qui intrarunt ut vulpes, regnarunt ut lupi, occubuerunt ut canes. Prodeat primo loco Sextus Nero Imperator impius, qui sibi illo die datum Imperium dictitabat, quo matrem jussit necari. quæ ut vidit Centurionem jussu tyranni ferrum in mortem distringentem, protinus ventrem manu ostendens, cum ejulatu, & lachrymis exclamavit; Hunc percute, hic est ferro fodiendus qui portentum illud genuit. defuncta Agrippina, ad visendum interfectæ cadaver accurrit Nero, attrectavit, alia vituperavit, laudavit alia, sitique interim oborta bibit; parricidio matris junxit amitæ necem; sed nec populo, aut mœnibus patriæ pepercit. Vere in hoc scelesto, improbissimoque viro, tanquam in suo domicilio crudelitas ad suas vires ostentandas consedisse, suumque vexillum sustulisse videtur. Belluæ feritatem audivimus, respicia-
Tac. l. 13 annal. mus modò finem. Post occisum Claudium patrem, post interfectam Agrippinam matrem, post Britannicum fratrem veneno necatum, post Octaviam uxorem turpiter abdicatam, post Senecam præceptorem de medio sublatum, post innumera flagitia perpetrata, tandem omnibus & odio, & despectui habitus, rebus jam desperatis, cum fuisset hostis judicatus à Senatu, ne ab hostibus trucidaretur, adigens ipse jugulo ferrum, extremum clausit diem, tam horrendum

sævitiæ

ſævitiæ portentum trigeſimo ſecundo ætatis ſuæ anno.

Caligulæ feritatem ad cædes nati quis non perhorreſcat? impius iſte tyrannus humano ſanguini adeò inhiabat, ut aliquando dicere auderet; Utinam Populus Romanus unicam cervicem haberet, ut uno ictu omnes ſimul perderem: omnibus infenſus, quid mirum ſi & omnibus inviſus turpiter occubuit perditiſſimus homo. In Tiberii principatu quam latè graſſata crudelitas, quandoquidem cum his redibatur in gratiam, quorum cædes maturabatur; cùm enim cuſtodias recognoſceret, rogatus, ut ſupplicium maturaret, reſpondit, Nondum tecum redii in gratiam; humanitatis officium ducens, ſi damnatum citò occidiſſet. Ipſemet audivit quendam ex reis nomine Servilium ſibi mortem conſciviſſe, priuſquam eſſet damnatus, protinus exclamavit, Servilius me evaſit; adeò leve ſupplicium eſſe judicabat mortem. Quid ſi dixerim in principatu Tiberii ſub pœna capitali interdictum, mortuos deflere? ô ferreum tunc ſæculum, quando ipſæ matres accuſabantur, quod filios ultimo ſupplicio affectos cum ejulatu deflerent, & convictæ juſſu Senatus necabantur. ô quam miſerum eſt lædi ab illo, de quo queri non eſt tutum. Horrendum dictu! Ecquis crederet? ſed percurre annales, & videbis abominationes majores. Quis unquam barbarus, aut Scytha viperino ſanguine cretus, adeò crudelis, qui imperaverit ſilentium his, in quos animadverti volebat; iſte Impius eò ſævitiæ devenit, ut juberet os inſerta ſpongia includi, ne vocis emittendæ haberet facultatem. Cui unquam morituro non eſt relictum, quò gemeret? timuit ne liberiorem vocem extremus dolor mitteret. ne quid audiret, quod nollet.

Fulgoſ. lib. 9, c. 11.

Corn. Tac. li. 5. annal.

Sen. li. 3. de ira.

nollet. Sciebat autem innumerabilia esse, quæ objicere illi nemo auderet, nisi periturus; sed audiamus aliam immanitatem prorsus incredibilem, veram tamen. Cùm vellet quidam tyrannus, nomine Thyrsus, omnem viam præcludere ad fovendam conjurationem contra se initam, publico edicto cavit, ne quisquam nec publicè, nec privatim colloqui auderet, æquè tulit populus duram legem, loquelam tamen supplebant nutus, quibus internos animi conceptus quoquo modo exprimebant. hoc autem cum ad tyranni notitiam devenisset, mox signa, & nutus eis interdixit. Porro cives molestissimè ferinam hanc rabiem ferentes, cœperunt plerique publico foro tristes singultus profusis etiam lachrymis emittere, calamitatem Patriæ amare flentes. Hoc ad Principem illico relatum fuit. Ipse verò magis periculosam sibi judicans, lachrymarum quam verborum conjurationem, & timens, ne vehementius fletibus, quam vocibus animi contra ipsum incitarentur, multis ipse militibus stipatus, ad forum perrexit, ejulatus, & lachrymas prohibere contendens, ut non solum linguam constringeret, sed etiam oculis à natura tributam libertatem eriperet. At res non cessit ex votis, quia non ipse, sed lachrymantium fletus prævaluerunt. Siquidem repentè veluti leones summa rabie insurgentes, illum dilaniarunt, interfecerunt, trucidarunt. Eandem penè fortunæ mutationem expertus est Amasis Ægyptionum Rex, cum enim plerosque ex suis extremo supplicio affecisset, alios fortunis spoliasset, imperium ejus aliquantò toleratum est, Actisanes tamen Æthiopum Rex, vix in eum armis & potentia irrupit, & ecce statim odia occulta erupere, cumque multi ab eo descivissent, Regno tandem pulsus est.

Etrav. de var. hist. li. 4.

Diodor. lib. 4.

En

En miserabiles exitus Imperatorum sævientium, qui magis timeri, quàm amari appetunt, quorum colla propria virtute calcat Deus ad terram usque prosternens: sic divino attestante oraculo: Sedes ducum superborum destruxit Dominus, & sedere fecit mites pro eis. Philippum Macedonum Regem ante oculos vestros proponite, ô Principes, & feliciter vobis omnia contingent; hic enim cum maledictis à Nicanore Macedone laceraretur, atque idcirco urgeretur ab amicis, ut in illum animadverteret, non solum non annuit Rex, sed ubi accepit Nicanorem magna inopia laborare, dono ei pecuniam misit; qua accepta, statim ex petulanti, & maledico, factus est Regis studiosus, & indefessus ejus gloriæ buccinator; tunc mirantibus, inquit Rex; Nonne videtis in manu nostra esse, ut quæ velimus à populo de nobis audiamus? Non est populi in Principem difficilis amor, modò adsit clementiæ umbra. Verum est enim vetus illud adagium; Ut hamo pisces, sic beneficio capiuntur homines. Noverat siquidem optimus Princeps, non paucas ex nimio rigore excitari seditiones. Quoniam quemadmodum arbores ferè omnes præcisæ, plurimis ramis repullulant, & multorum satorum genera, ut densiora resurgant, præscinduntur, ita regia crudelitas auget inimicorum numerum, tollendo præsentes. nam liberi eorum qui interfecti sunt, & amici in locum singulorum succedunt. Discite à Fabio Maximo, Duce prudentissimo, & res vestræ componentur felicius; hic in tolerandis adversis hominum moribus feliciter populo imperavit; asserebat enim, eum qui aliis imperaret, non verbis, aut verberibus sævire debere; sed tolerando, & mulcendo hominum corda in

Ecclef. c. 10.

suam sententiam adducere. Absurdum quippe & à ratione prorsus alienum, feras belluas à nobis, cibo & blanditiis reddi mansuetiores, homines verò morum asperitate, & metu, ad nostri amorem compelli. Quod divini oraculi testimonio comprobatur. Nam Dominus benedicens Noë ejusque filiis, hisce verbis usus est, Crescite, multiplicamini, replete terram, & terror vester sit super cuncta animalia terræ. Gregorius allegoricum hujus loci sensum enodans dixit: Deum non aliam ob causam hæc verba locutum, quam ut ostenderet terrorem & severitatem nobis non esse, nisi ad animalia domanda exhibendam; verum ad homines regendos, lenitatem desiderari cum majestate conjunctam. Decet quidem timeri Cæsarem, at plus diligi, quoniam ita natura comparatum est, ut homo non vinculis, sed amore trahatur; taurus funibus ligatur, catenis leo, at amore homo. libere enim agit, proinde ejus voluntas in actibus internis nequit cogi, neque trahitur nisi amore mutuo & mutuis obsequiis. Hinc Thales unus ex septem sapientibus interrogatus, quodnam rarissimum rerum omnium foret? respondit; tyrannus senex, quia iniqua & violenta imperia, non retinentur diu. Nunquam enim & nullibi tuta crudelitas, & quò magis secura sibi videtur, eò magis præcipitio proxima est. Quis enim ignorat longo usu & experimento probatum, illos, qui rerum potentia confidentes, terræ cæloque minantur, quasi nullius egentes, omnia contemnentes, temere regentes, perperam judicantes, tandem & semetipsos, & Regnum in præcipitium traxisse, extremumque diem infeliciter clausisse? sic ed Phaëthonte scribit eleganter anonymus quidam, sed egregius Poëta.

Gen. c. 59

Greg. in pastor. p. 1. c. 6.

Ausus

Ausus in æthereos juvenis conscendere currus,
Igneaque audaci sumere lora manu,
Oblitus pariterque sui, metæque paternæ,
Quos mundo sparsit, ignibus ipse perit.

Temperatus timor cohibet animos, non inficior, sed velim habeas persuasum, ô Princeps, quod assiduus, improbus, & extrema admovens in audaciam jacentes excitat, & omnia experiri suadet. Ultima namque desperatio vomeres & ligones. in enses vertit, odia parat, ad sanguinem invitat, & nihil crudelius timore, cùm induit odium; nullaque sitis implacabilior, metu excitata. Quisquis enim vitam suam contempsit, tuæ Dominus est. Siquidem patientia sæpius læsa fit furor, & tunc acerrima virtus, quam ultima necessitas impellit.

Sen. li. 1 de clem.

Sen. li. 4 epistol.

Augusti pietas Regnum firmavit, & auxit.
Funditus evertit improbitate Nero.
Si cupis, ô Princeps, in Regno tutus amari,
Dilige. sic namque conciliatur amor.
Hoc est præsidium, hæc Regni custodia tuta
Solus amor populi, non timor, atque metus.

CAPUT V.

Principum status laboribus, ac periculis obnoxius, proinde invigilandum.

QUANTIS laboribus, ac curis circumscripta sit Principantium vita, adamussim expressit Dionysius tyrannus; is enim cum audiret quemdam nomine Damoclem, ad cælum usque extollere ejus opes immensas, ædium regiarum magnificentiam, rerum omnium abundantiam, acclamaretque, nullum

Macrob. li.1.c.16. Dionysio beatiorem. Tunc, ait Rex, Vis ô Damocles, fortunam experiri meam, illamque degustare? illico annuit ille, & se cupere dixit quàm maxime. mox jussit Rex collocari hominem in aureo lecto, abacosque complures ornavit argento, auroque cælato, ad mensam deinde eximia forma pueros delectos jussit circumsistere, eosque ad nutum illius intuentes, diligenter ministrare: aderant unguenta, incendebantur odores, exquisitissimis epulis mensæ extruebantur. Tunc Damocles præ lætitia gestiens, fortunatum se prædicabat; sed in hoc medio apparatu, fulgentem gladium è laqueari seta equina appensum demitti imperavit, ut impenderet illius beatuli cervicibus; itaque mox in alium mutatus, nec pulchros illos amplius aspiciebat, nec plenum artis argentum considerabat, non amplius manum porrigebat ad mensam, jam ipsæ defluebant coronæ, odores non fragrabant, & tandem profusis lachrymis exoravit tyrannum, ut abire liceret, quod jam beatus nollet esse, feliciorem judicans Damoclis fortunam. Quippe quod cerneret omnia periculis plena, & in Regnis administrandis, plus fellis quàm mellis inesse. ô egregiam historiam veritatis plenam! Ita planè sentiebat Saturninus vir ingenuus; nam hortantibus amicis, ut Imperium susciperet, ait, Nescitis, ô milites, quantum mali sit imperare; gladii cervicibus imminent, hastæ undique & spicula, ipsi quoque custodes timentur, ipsi comites formidantur; non cibus pro voluntate, non iter pro auctoritate, non bella pro judicio, non arma pro studio. aurea planè verba Hieronis Siciliæ tyranni. Potus ac somnos non aliter quam insidias caveo, timeo

(Cic. li.5. Tuscu-lan. qu.)

(Brus. in lib. 3. c. 13.)

cele-

celebritatem omnium, timeo solitudinem, timeo incustoditos aditus, timeo ipsos custodes, neque inermes illos habere velim circa latus, neque armatis confido. Quid plura? varia Principum incommoda, & pericula vulgo incognita, experimento probat, qui imperat. Hoc optimè noverat Julianus Cæsar, qui cum initio Imperii sui, Gallico tumultu premeretur, dicere solebat, nihil se amplius assecutum esse propter Cæsaris dignitatem, nisi quod occupatus viveret. Antigonus itidem Rex Macedonum, cùm de majestate regia incidisset sermo, dixit filio heredi, an ignoras fili, regiam nostram potestatem nihil aliud esse, quàm splendidam servitutem? Ecquid cordatius unquam dici poterat? Nam Princeps non minus observire cogitur populo, quam populus Principi, nisi quod Princeps id facit cum dignitate, alioqui re vera mutua servitus est. Siquidem Rex, qui propriè rex est, non suam, sed populi utilitatem quærit, proinde minister & servus dicendus est, & hoc ad litteram significat illud euangelicum; Qui voluerit inter vos primus fieri, erit omnium servus. Hinc summus Pontifex servus servorum Dei se nominat. Adeo ut si ulla est servitus in politico principatu, magis propriè servus dici debeat, qui præest, quam qui subjectus est. Huc aptè accedit Senecæ moralis auctoritas; is enim alloquens Neronem, sic ait; Possum ego in qualibet urbis parte incedere solus, sine timore, quamvis nullus sequatur comes, nullus ad latus gladius, tibi in tua pace armato vivendum est, turba militum ubique te obsidet, & quocunque descendis magnus apparatus sequitur, hoc autem quid est? Nonne summæ magnitudinis servitus est? oblatum fuit olim, narrant divinæ hi-

Ælian. lib. 2 d. var. hist.

Matt. 20.

Aug. lib. 1 de civ. Dei, cap. 14.

Sen. li. 1. de clem.

næ hiſtoriæ, cuidam viro inſigni Regium diadema. Legationis autem verba ſunt hæc : Veſtimentum tibi eſt, Princeps eſto noſter ; ille verò renuit dicens : Non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis, neque veſtimentum, nolite conſtituere me Principem populi. Loco illius, non ſum medicus, verterunt Septuaginta, Non ero Princeps. Pagninus legit ; Non ero dominus: alia littera; Non ero ligatus. & quidem optime. Nam Princeps re vera ſervit vinculo cujuſdam ſplendidæ ſervitutis ligatus. Hinc antiquitus loco coronæ regiæ, vittam capiti Regis circumdatam apponebant ; bonus enim Princeps ſervus eſt publicus, nec ad ipſum ſumma defertur poteſtas, ut delitiis diffluat, ſed ut pro omnibus vigilet, conſiderans regiam coronam crebris curarum aculeis eſſe cuſpidatam, & regiam purpuram quaſi roſam ſpinoſo ſatellitio circumvallatam. Hanc miſeram Principum ſervitutem deridebat Plato, quandoquidem videns Dionyſium multis ſeptum cuſtodibus, joci gratia dicebat : Quidnam mali feciſti, ut à tam multis neceſſe habeas cuſtodiri ? Quid mirum ſi tot Principes prudentia, & probitate inſignes, ut tam grave ſervitutis jugum devitarent, vitamque beatiorem traducerent, ſponte imperio ſe abdicavere ? non deſunt monimenta ex hiſtoriis deprompta. Pericles inter Græcos multis nominibus celebrandus, cùm Athenienſibus imperaret, humanorum fluctuum inconſtantiam conſiderans, & ingentes curas, quibus premitur Imperator, Athenienſium ducatum contempſit, & quaſi de quodam naufragio evaſiſſet, ad portum ſolitudinis ſe contulit, in remota & exigua domuncula vitam quietam ducens, in cujus primo limine hoc diſtichon inſcribi juſſit,

[Margin: Iſa. c. 3.]

[Margin: Policratus li. 4. c. 4.]

Inveni

Inveni portum, spes, & fortuna valete,
Nil mihi vobiscum, ludite nunc alios.

Scitè admodum quidam Aulicus cùm sero tandem sapiens ab aulæ tempestatibus, ad privatæ & proinde tranquillæ vitæ portum se recepisset, septimo pòst anno moriturus sepulchro inscribi voluit hoc epitaphium,

Hic jacet septuagenarius, qui septem vixit annos.

Diocletianus Romanorum Imperator mente volutans regni fastigia, nihil aliud esse, nisi pretiosa quædam pericula, aureos compedes, splendidas infelicitates, catenas adamantinas ad certam ruinam trahentes, post plurimas res præclarè gestas, post multas victorias adeptas, post superbum illud Romæ ædificium peractum, quod thermas appellavit, ultronëus, & nullo cogente, imperio se abdicavit, & ad parvam villulam circa Solonam Liburniæ civitatem se contulit, ubi à mundi tumultu separatus, lætus aliquandiu vixit. Quin etiam dicere solebat, Nunquam solem tam jucundum & splendidum intuitum fuisse, quam post Imperii abdicationem. imò adjiciebat, quod Imperatori condolendum, agricolæ verò invidendum foret; sed quid pluribus immoror? Cùm aliquando Romani Legatos misissent, ut ei denuo imperii coronam afferrent, invenissentque eum in hortulo suo lactucas colligentem, nequaquam se eam accepturum respondit; quippe quod volebat ille lactucis cum tranquillitate vesci, quas ipsemet plantaverat; ac si diceret, hoc vivendi genus optandum, nempe, urbium tumultus vitare, curas curiæ aliis linquere, nemorum umbras amare, pratis virentibus gaudere, paucis servis; sed multis comitatum libris, nunc querula in ripa sedere, nunc tenero in gramine quiescere. pulchre & appositè tragicus,

Stet

Stet quicunque volet potens
Aulæ culmine lubrico,
Me dulcis saturet quies,
Obscuro positus loco,
Leni perfruar otio.

Quod & Ovidius eleganter docuit,

Ovid. de tristib. lib. 3.

Vsibus edocto si quidquam credis amico,
Vive tibi, & longè nomina magna fuge.

Hoc idem Seneca scribens Lucilio, Vaco mi Lucili, vaco, & ubicumque sum, meus sum; rebus enim non me trado, sed commodo; magnam potentiam ambit inexpers, sed odit expertus.

Divus Augustus, cujus Imperium verè augustum, enixè quietem sibi precabatur, vacationem à Republica instanter petebat omnis ejus sermo ad hoc semper revolutus erat, ut sibi pararet otium, hinc labores suos etiamsi falso, dulci tamen oblectabat solatio, aliquando se victurum sibi. tanta res visa est otium, ut illam, qui usu non poterat, cogitatione præsumeret. Res sane miranda. Qui omnia videbat ex se uno pendentia, qui omnibus gentibus fortunam dabat, qui alios voti compotes facere poterat, illum diem lætissimum putabat, quo magnitudinem suam exueret. Expertus quippe erat egregius Imperator, quantum illa bona per omnes terras fulgentia, sudoris exprimerent, proinde otium optabat, in cujus spe, & cogitatione labores ejus residebant. Ad rem nostram perbelle facit, quod de Vespasiano spectatæ probitatis viro, produnt historiæ. is cum esset in obsidione Hierosolymitana, & increbuisset rumor, Neronem fuisse occisum, & Galbam interfectum, tunc viri primarii veteris militiæ elegerunt Vespasianum, rogantes, ut susciperet Imperium. ille verò refugiebat, indignum se existimans.

Senec. de brev. vitæ, c. 5.

Ægesippus lib. 4.

mans. Instabant illi, renuebat ipse. Tandem ipsum reluctantem gladiis armati circumsistunt, mortem etiam minantes. In angustia positus, animadvertens vir egregius sibi ingens discrimen imminere, si diutius resisteret, at grave periculum si reciperet, cessit tandem potius imponentibus, quam accepit voluntarius. Urgebant milites, suadebant duces, curam potius, quàm honorem induit. De hoc præstantissimo Principe, memorandum illud, refert Valerius, Quo tempore militum applausu traditum fuit diadema, prius quàm capiti imponeret, diu manibus retentum consideravit, & protinus emisso suspirio dixit: ô nobilem magis, quàm felicem pannum, quem si quis penitus agnosceret, ne humi quidem jacentem dignaretur tollere. Val. lib. 7, c. 2.

Si scires quanti plenum est diadema pericli,
Malles Sisiphii ponderis esse reus.

Vide an sit felix imperandi genus, in ipso nomine felicitatis syllaba fel propinat. Quocirca Otho Romanorum Imperator sæpe ad suos dicere solebat, Nescitis amici, quid sit Romanum gubernare Imperium, mihi credite jam experto, qui jam mori malo, quàm imperare. Pompa quidem admiranda, & magnifica majestas; sed cruciatus, quibus angitur Princeps, acerbissimi. Foris tantum lustramus, non introspicimus. Voluptates videmus foris apparentes, sed non angustias intus latentes, dæmonis fraude decepti, qui ostendit regna mundi, sed non vepres & spinas quibus torquentur Reges, & hoc in momento, ut ambientes fallat. Apelles tam singulari arte pinxit Bucephalum, ut alium equum ad hinnitum concitaret; Zeuxis uvas tam simili forma figuravit, ut aves certatim advolarent; Parrhasius linteum in tabella tam mira artis peritia formavit, ut verum prorsus Bruson. li. 3. cap. 13. Volateran. lib. 10. Ælian. lib. 4.

appa-

appareret; ita honores mundi decipiunt incautos, quia videntur veri, fucati tamen ſunt. Orator Græcus Iſocrates dictitabat de urbe Athenienſi, Pulchra quidem viſu, & ad ambulandum amœna, ad habitandum verò periculis expoſita. Demetrius quoque Lacedæmonum Rex non ignarus, quid ſit Principis perſonam ſuſtinere, ſæpius dicebat; Si quis noſſet, quam grave foret ſceptrum manibus tractare, & quæ in regum tentoriis curæ, anxietates, & pericula verſentur, vix eſſet in mundo aliquis, qui Regnum ambiret, Imperium acciperet, & à terra diadema ſuſtolleret. Hinc notatur illius ſtultitia, qui dixit, Villam emi, & vado videre illam. Quid ſtolidius quam emere non viſam? Si dignitatibus inhiantes, mundi villam viderent, priuſquam emerent, non illam profectò tantis periculis emerent, ſed cum Demoſthene dicerent; Non emo tanti pœnitere. Ad rem egregiè facit, quod de Paulo Æmilio legitur apud Plutarchum. Nobilis Romanus nuntium remiſerat uxori, ſed amicis divortium diſſuadentibus, quærentibuſque nonne caſta? nonne formoſa? prolato calceo, mox, inquit, Nonne ornatus? nonne pulcher? at nemo veſtrûm novit, ubi pedem meum urgeat. Ego quidem ſentio. rident principantes, & ſæpe, ſed non verum riſum; gaudent, ſed non germanum gaudium; non hercle magis, quàm hi qui capitis damnati in carcere attinentur, & talis interdum, aut teſſeris fallere ſe conantur, nec fallunt; manet enim impreſſus imminentis ſupplicii terror, nec tollit ſe unquam ab oculis imago luridæ mortis. jactant felicitatem foris, ſed intus torquentur cruciatibus. At quomodo felix qui timere non deſinit? Num potentem cenſes, & felicem, qui ſatellite latus ambit, qui quos terret, ipſe plus metuit?

Aul.Gel. lib. 1. noct. attic. c. 8.

Plut. in vita P. Æmil. tom. 1.

Lipſius lib. 2 de conſt. c. 14.

Boëthius li. 3 proſa. 5.

tuit? Recte Aulus Gellius, Multis eget, qui multa habet. at quæſo quæ poteſtas, quæ omnium curam gerit, & omnium ope indiget? quæ præeſt omnibus, & omnes timet? quæ quo in loco eminentiori, tanto in periculo majori verſatur? Recumbunt quidem in purpureo ſtrato, non tamen placidè quieſcunt, quoniam aſſiduis timoribus anguntur. ut eleganter Tragicus,

Aurea rumpunt tecta quietem,
Vigileſque trahit purpura noctes.
Pectora pauper ſecura gerit,
Tenet è patula pocula fago,
Sed non trepida tenet ipſa manu.
Carpit felices, vigileſque cibos,
Sed non ſtricto reſpicit enſe.

Qui ad coronam Regiam auro, & gemmis rutilantem lumina convertit, ad pauca reſpiciens, facilè beatos Principes pronuntiabit, porrò qui curas aſſiduas, quibus tanguntur, qui pericula, quibus urgentur, qui onera, quibus premuntur, proculdubio inveniet miſeros gigantes gemere ſub aquis. Quid eſt autem gigantes gemere ſub aquis? niſi quia potentes hujus ſæculi gemunt, & tremunt ſub regimine dignitatum, & ſæpe ſub onere ſuccumbunt. Unde Martialis, Greg.li. 17.c. 11. Job. cap. 20.

Quæris onus magnum, magnum dum quæris honorem.

Hinc eſt, quod Iſaïas loquens de Principe dicebat: Factus eſt principatus ſuper humerum ejus. ut nimirum intelligatur, quantum ponderis ſuſtineant, qui præſunt. Proinde Regi fuit appoſitus armus ad manducandum. Comede, quia de induſtria ſervatum eſt tibi. Siquidem qui regnum adminiſtrat, quaſi Atlas ſuis mundum ſuſtinet humeris, ſub quo pondere gemit, nec rarò deprimitur. Ecquid mirum, ſi pauci Principes bene imperant, Iſa.c.9. 1 Reg. c. 9.

cum

cum bene regere, hoc eſt, rectè agere, ſit multi ponderis, & exacti laboris. Eſt enim magnum quoddam, in ſumma fortuna non abripi licentiæ ventis, & in mari illo undoſo curſum rectum ſemper tenere. O quam multis, & quam ſæpe contingit, quod olim evenit Imperatori Galbæ, qui omnium judicio dignus imperio, niſi imperaſſet. hoc idem de aliis multis, qui poſt multos exantlatos labores, adepti denique Imperium, oſtendunt eo ſe minores. nec temere à Pittaco dictum, Magiſtratus oſtendit virum. Quocirca non inepte mimus ille Claudii Neronis dictitare conſueverat, bonorum Principum facies in unius annuli pala facilè inſcribi poſſe, ſentiens magnum quidem numerum Imperatorum eſſe, ſed perpaucos bonos. At unde quæſo, tanta bonorum raritas, & virtutis inopia, ut verum ſit dicere.

Corn. Tac. lib. 1. hiſt.

Rara avis in terris, nigroque ſimillima cygno
Vir bonus, & ſapiens, qualem vix repperit ullum
Millibus è multis hominum conſultus Apollo.

Unde tanta virtutum penuria, cùm virtutes ſint nobis ſecundum inclinationem naturalem, ut optimè docet Angelicus doctor? Pro reſponſione plurimæ rationes ſolent adduci ex ſacris Theologis excerptæ, quarum prima hæc eſt, quoniam bona ſenſibilia ſunt magis nota nobis, & magis nos movent, & alliciunt. Altera ratio eſt, quoniam hæc bona ſenſibilia afferunt ſecum præmium ſuum, nimirum voluptatem: bona verò honeſta promittunt in futurum; tertia cauſa eſt, quia voluptas carnis nobiſcum creſcit, nobiſcum alitur. propterea difficile eſt iſtum affectum à nobis avellere; addamus, & ſit quarta ratio, quoniam gerimus bellum contra hoſtes fortiſſimos, de quo bello dicit Paulus; Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſan-

D. Th. 1. 2. q. 63. a. 1.

ſanguinem, ſed adverſus principatus & poteſtates. Ac demum fortiſſima cauſa eſt, quia virtus conſiſtit in medio; medium verò, & ſcopum attingere, paucorum eſt; aberrare autem à ſcopo, multorum. Quam rationem pulchre inſinuavit David, qui inquirens cauſam, unde tanta malorum colluvies, dixit, In circuitu impii ambulant. ac ſi diceret, cuique facillimum eſt circulum, & circumferentiam attingere; medium verò, difficile eſt, & paucorum; at virtus conſiſtit in medio. Hinc eſt, quod pauciſſimi viam rectam percurrunt, & multi, præcipuè potentiores, ab æquitatis tramite declinant. Proinde cognita virium humanarum exiguitate, & graviſſima rerum gerendarum mole, ad auxilium divinum tanquam ad tutiſſimum aſylum confugere debet Princeps, ut virtutem bene regendi conferat, Salomonis ſapientiſſimi Regis veſtigia ſequens, qui in ipſo primordio Regni cognita ſui parvitate, pro tanto regimine, ſic oravit ad Dominum; Domine Deus tu regnare feciſti ſervum tuum pro David patre meo, ego autem ſum puer parvulus, ignorans egreſſum & introitum meum, & ſervus tuus in medio eſt populi, quem elegiſti, populi infiniti, qui numerari non poteſt. dabis igitur cor docile ſervo tuo, ut populum tuum judicare poſſit, & diſcernere inter bonum & malum. De Adriano, Pontifice optimo, referunt ſacri annales, quod aſſiduis precibus & lachrymis exorabat Dominum, ut dexteram apponeret, quò tam grave onus, tamque infelicem felicitatem ferre poſſet; is enim nihil ſibi infelicius in vita duxit, quam quod imperaret. Urbanus Septimus quoties lineam veſtem ſuperinduebat, ad purpuratos Principes converſus, hæc aurea verba depromebat, En tunica levis,

3 Reg. c. 3.

tanti tamen ponderis. Gregorius Magnus cathedram Pontificiam appellabat ſpinoſam,ſupremumque illud faſtigium, acutiſſimis uſquequaque conſertum aculeis. Hinc eſt, quod tot heroës præclariſſimi, ſponte dignitates oblatas recuſarunt. Cæleſtinus ad ſupremam apud mortales dignitatem aſſumptus, nonne ſponte lætior depoſuit, quàm quilibet alius ſuſcepiſſet? Divus Ambroſius quem lapidem non movit, ut Epiſcopatum Mediolanenſem refugeret? Superiorem locum in domo Dei non ambiebat Auguſtinus. Quas latebras non quæſivit Gregorius, ut ſummi Pontificatus apicem declinaret? Quid? nonne legitur apud eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptores, quod cum beatus Amonius ad regimen populi traheretur invitus, aurem ſiniſtram radicitus ferè ſibi ſecuit, dicens; Lex divina neminem præciſa aure permittit fieri ſacerdotem. Reverſi ſunt itaque populi ad Timotheum tunc temporis Patriarcham, qui Amonium non ſolum ſi auribus mutilatus, verum etiam ſi naribus truncatus eſſet, propter ſanctitatem ipſius cenſuit promovendum. Revertentibus autem illis, & iterum trahentibus virum Dei, atque cogentibus; Linguam, inquit, meam, propter quam vobis placeo, ſi me ulterius cogitis, propriis dentibus amputabo; & ſic tandem ſibi relictus eſt. Nec ſilentio involvendum, quod narrat Petrus Bleſenſis de Galfrido, viro doctrina & ſanctitate inſigni; hic electus in Epiſcopum Tornacenſem electioni nullatenus acquievit, qui poſtea defunctus, & apparens cuidam fratri inquirenti, quomodo ei eſſet? reſpondit; Revelavit mihi Trinitas ſancta, quod ſi ſuſcepiſſem Epiſcopatum, fuiſſem de numero reproborum. Sed quid pluribus immoror? Carolus Quintus Auſtriacus noſtra ætate,

Niceph. lib. 11. c. 37.

Pet. Bleſenſis epiſt. 103.

ætate, cum rerum in imperio præclarè gestarum gloria penè omnes mortales superasset, seipso major tunc extitit, cum amplissimis Regnis & Imperio se abdicavit,&, non sine lachrymis, dixit: Miseret me, Proceres, filii carissimi Philippi, cujus humeris tam grave onus imponitur, quod dum gesturus est, vita ei in summis laboribus, & molestiis est transigenda. Non latebat hos viros sanctitate præclaros, quam magna secum trahat pericula, sublimis loci dignitas, quam sanè frustra premit invidia, cum potius miseratio debeatur.

Quorsum totius mundi monarcha in cruce pendens inclinavit caput? Et inclinato capite emisit spiritum. Divus Athanasius ita exponit, Cum mors, inquit, sit effectus peccati, & Salvator omnis peccati esset expers, non audebat mors illum invadere,ipse tamen quia mori cupiebat,nutu capitis, illam accersivit, ut veniret. verba Athanasii sunt hæc: Impletis omnibus quæ pati debuerat, sola mors adhuc restabat, atque hæc quidem sibi metuens, appropinquare non audebat, ideo Christus inclinato capite, eam vocavit: nam antequam caput inclinasset,propius accedere verebatur. Augustinus rationem adducens, ait, Christum Dominum inclinasse caput,ad osculum nobis præbendum. Verba Augustini ex ardenti divini amoris pharetra deprompta, sunt hæc; Inspicite vulnera pendentis; sanguinem morientis, pretium redimentis, caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimendum. Chrysostomus docet; Christum inclinato capite tradidisse spiritum, ut non necessitate, sed voluntate, se mori ostenderet. quantum voluit, vixit; quando voluit, tradidit

Ioan. c. 19. D. Athan. li.4 ad Antioch.

August. lib. de Virgine.

Chrysost. hom. 104.

ſpiritum. Alii morientes primò emittunt ſpiritum, deinde caput inclinant: in Chriſto autem contra accidit, quoniam prius caput inclinavit, poſtea ſpiritum emiſit. cum igitur libere caput inclinaverit, utique inclinavit quando voluit, unde mortuus eſt, non quando inimici voluerunt, ſed quando ipſe voluit; proinde ſapienter ait Matthæus; emiſit ſpiritum; non amiſit: quod enim emittitur, voluntarium eſt; quod amittitur, neceſſarium. Aliæ quamplures ſunt Patrum explicationes, ſed brevitati
Mallon. 20. ſtudens, unam tantùm Danielis Mallonii adhibebo, utpote præſenti inſtituto magis appoſitam. Supra caput, ait, titulum habebat Chriſtus, quo Rex dicebatur, ut igitur oſtenderet, ſe Regnum temporale non ambire, caput avertit, & inclinavit, ut nos doceret, regios honores fugiendos, tanquam ſcopulos periculis plenos, & plurimo felle
Coaruvias in emblem. refertos. Proinde ſapienter ille, qui coronam Imperialem ſuper fimeto pinxit, adjuncta hac nota. Tollat te, qui te non novit; qui enim maturè perpendit, illam ſpinis undique circundatam reperiet. Quod divinarum litterarum teſtimonio facilè
Judic. c. 9. comprobatur. In libro Judicum legimus, quod cum arbores omnes ad Regem eligendum conveniſſent, neque vitis, neque oliva, neque ficus dignitatem regiam acceptare voluerunt, quod nativam quandam dulcedinem haberent, ſola ramnus ſpinis onerata, oblatum honorem ſuſcepit, dicens: Venite, & ſub umbra mea requieſcite. Quid hinc? ut diſcant Principes, dignitates Regias
Exod. c. 3. tribulis & ſpinis ſociari. Cùm Deus Moyſem decreviſſet Ducem populi ſui conſtituere, in medio ignis & rubi apparuit. Quorſum hoc? ad inſinuandum dignitates omnes ſpinis, & igne circundari. Populus Hebræus Chriſtum Regem conſtituere optabant,

optabant, at ipſe ſecedens in montem, ſe eis ſubduxit, cùm verò ſpinis coronaretur, lætus ſedit, & Regem ſe appellari permiſit. Quid hoc? ut innueret, Coronam ſpineam dignitati regali debere conjungi. Rex Saul in angu- 2 Reg.c. 3.
ſtia poſitus, dixit armigero; Sta ſuper me, interfice me, quia tenent me anguſtiæ. Hebræus legit; quia tenent me coronæ; quaſi anguſtia, & corona ſint idem. Hoc apprime intelligebat Veſpaſianus Imperator, qui rogatus à medicis, ut pro ſalute recuperanda tantillum ab audientiis abſtineret; An neſcitis, inquit, Imperatorem ſtantem mori oportere? De Tiberio nonne produnt hiſtoriæ, Oratorem quendam in exordio ſermonis proclamantem, inter ſacras occupationes tuas, mox correxiſſe his verbis, O quam aptius diceres: inter laborioſas occupationes. Alexander Severus arguit Alexandrum Magnum dicentem, ſe velle poſt adeptam monarchiam in pace vitam tranſigere. Falleris Alexander, quia in Regno non eſt quies, ſed aſſiduus & improbus labor. Philippus Rex Macedo, rogatus à vetula quadam, ut illam audiret, & dixiſſet, tunc temporis non habere otium, mox intulit mulier; Noli ergo regnare. En regia dignitas curis plena, quietis vacua, ſpinis undique circumſepta. Hinc Alphonſus Aragoniæ Rex dicebat: Principem eſſe jumentis deterioris conditionis; nam iſta dum capiunt cibum, non vexantur, at nos etiam inter pocula. Cui rei appoſitè facit adagium illud, Nec ad aures quidem ſcalpendas otium eſt. Huc ſpectat Salvatoris noſtri oraculum, Neſcitis quid petatis. Petitis & appetitis præfecturam, & vocatis ſedem? quaſi in prælatione requies? Quis enim tam mentis inops,

qui cum ex longo itinere fuerit defatigatus, ad requiem captandam gravissimum onus humeris suis superimponat? non minori stultitia notandus, qui cum vitæ hujus laboribus gravatus fuerit, onus prælationis supra dorsum suum imponit, existimans in ipso onere tranquillam mentis quietem sitam esse. Stultus planè nauta, qui relicto portu, in altum vela facit, tranquillitatem quærens; tutò quippe calcantur plana, pericula in edito sunt; nulla præcipitia in vallibus timenda; in excelso sunt.

In brevibus nunquam sese probat Æolus undis,
Nec capit angustus Boreæ certamina collis.

Quapropter dicebat Phocion Atheniensis, multò satius esse humi cubantem, quieto animo esse, quàm perturbatum, in purpureo lecto; sicut enim arbores in montis cacumine positæ, procellis ac ventorum flatibus sunt subjectæ, ita homines in dignitatum fastigio constituti, curarum ventis concutiuntur. Nonne legistis Horatianum illud?

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celsæ graviore lapsu
Decidunt turres, feriuntque summos
Fulmina montes.

4 Reg. 2. Huc appositè facit, quod olim Eliseo dictum fuit; Optima habitatio, sed terra sterilis, & aquæ pessimæ. Foris purpura, sceptrum, thronus, en optima habitatio; sed aquæ pessimæ & terra sterilis, quia omnia periculis plena, & ubique luctus, & mortis imago. Hoc fortasse volebat innuere dux ille egregius, qui pro stemmate gerebat pharetram sagittis vacuam; cum inscriptione, Hærent sub corde sagittæ. hoc est, intus dolor, intus angor, intus spinæ & timores. Proinde apud Romanos hoc erat in more positum, ut triumphum agentes

Sambucus in emblem.

agentes, tintinnabula, & verbera ante pompam triumphi geſtarent; inſinuare volentes eam felicitatem non eſſe doloris expertem. Quocirca verum ſcopum videntur attigiſſe, qui diadema regium ſpinoſum vocitarunt; ſpina enim cuſpidem habet adeò exiguam, ut viſu foris vix percipi queat; at intus vehementer pungit. In culmine dignitatis aliquis foris emicat radius honoris, non inficior, at tantis tamen adverſantium molibus obruitur, ut tam modica mella, tanto felle emi non debeant. Radius aliquis ſplendet gloriæ, ſed tantis illa venenis intingitur, ut nemo prudens tanto natantia toxico fercula amaverit. Imperare magnum & dulce videtur, ſed tanto abſinthio miſcentur hæc dulcia, ut caruiſſe dulcius ſit. magnitudinis comes veneratio, ſed tantis invidentium jaculis undequaque pungitur, ut inſaniæ quoddam genus ſit, Imperium amare. Quod probè intelligebat Bias Prienenſis: nam appellatus à Crœſo Rege irriſoriè, & minaciter; reſpondit: I, ô Crœſe, cæpas ede. ac ſi diceret: ô miſer, quid intumeſcis? neſcis te hoc ipſo, quod Rex es, ob infinitas Regnorum infelicitates, ab omnibus atque inprimis à te ipſo complorandum? Cæpas qui edunt, lachrymantur; qui regunt, ſi bene ſapiunt, lachrymas eliciunt. Unde non ab re exclamabat Gregorius Nazianzenus, vitam principantium conſiderans, tot laboribus & curis obnoxiam; Re vera mihi videtur ars artium, & diſciplina diſciplinarum regere hominem, qui inter omnes animantes, & moribus varius, & voluntate diverſus, & quod periculoſius eſt, infenſus ſemper eis, qui ſibi præſunt, qui die noctuque inſidias meditatur, fraudes molitur, noviſque rebus ſtudet. Leo in leonem non ſævit, nec pardus in pardum, ſed

Philo li. de Prob. liberta- te.

Franc. Sen. de Regno, & re- pub. li. 1.

ſed quælibet animalia in ſuo genere congregantur, ipſaque dimicant communibus viribus contra diſſimilia; homini verò inſidiæ ſemper, & ab homine plurima mala, adeò ut ſolus ex omnibus animalibus in ſuo genere tutus eſſe non poſſit. Verum ſanè eſt illud Ariſtotelis oraculum, ut optimum animalium eſt homo, cùm ratione regitur, ita deterrimum, cùm rationi non obſequitur. Tunc enim rabies hominis omnium ferarum excedit ſævitiam. Nam feræ beneficiis aliquando manſueſcunt, at homines, ſunt leopardis crudeliores, quibus cùm benefeceris, pejores fiunt. Quod ex oraculis divinis non erit difficile comprobare. Daniel Propheta cùm ad ſatraparum petitionem, in lacum leonum conjectus eſſet, Darius Rex credens mitiores eſſe leones, quàm ſuos, ingenti ſaxo locum munivit, regioque ſigillo obſignavit. Sed quid agis ô Rex? virum ſanctum leonibus objicis, & ab hominibus caves? Nunquid homo crudelior leone? ita plane. Proinde prudenter egit, ſciebat namque Rex nullum animal homine crudelius, qui nec agnatis parcit, modo appetitui ſatisfaciat, & optatum finem conſequatur; homo homini lupus, dixit quiſpiam, ſed multò aptius dixiſſet; homo homini homo. Huc ſpectat appoſitè inſignis locus ille Danielis, ubi volens Deus oſtendere Regi Chaldæo ſupplicii ſignum, quo eum affecturus erat, manum hominis ſcribentis immiſit. Scripſit autem mortis ſuæ ſententiam, & Regni ad Perſas tranſlationem ſub ænigmate, Manè, Thecel, Phares. Quid? ad inſinuandam mortis ſententiam manus hominis oſtenditur lenis, & levis? nonne magis opportunum, manum leonis, aut urſi porrigere, ut ſub his ferarum manibus majorem incuteret timorem? manum hominis oſtendit, quoniam non eſt manus

Ariſt. lib. 1 pol. c. 22.

Dan. c. 6.

Dan. c. 5.

ſuper

ſuper manum hominis irati, nec ulla rabies ita formidanda, ſicut hominis ad ſævitiam propenſi. mirabile dictu. Vir bellator egregius, qui non in præliorum æſtu, non inter pugnæ clangores, non in urſorum aprorumque venatione palluerat, ad ſolum manus humanæ conſpectum expaveſcens, & exanguis in terram concidit. Hoc apprime intelligebat Sereniſſimus David. Proinde, cùm Deus trium plagarum optionem illi dediſſet, peſtem nimirum, famem, & bellum; peſtem potius elegit, dicens, Coarctor nimis, ſed melius eſt mihi, quod incidam in manus Domini, quoniam multæ ſunt miſericordiæ ejus. Sciebat quidem Rex, ſatius eſſe in Dei, quàm in hominum manus incidere. Hinc fit, ut magna res ſit, & periculoſa, hominibus imperare, cùm homo ſit in cuſtodem & rectorem ſuum ingratiſſimus. Vetus eſt enim adagium, Lupum auribus tenet, qui imperium agit. Propterea mille præconiis ad cœlum extollendus, qui cum aliis imperat, meminerit ſe Principem eſſe, & ideo invidiæ, calumniiſque multorum obnoxium, in quem cives omnes ora obvertunt, linguaſque in Principes ſic vibrant, ut trilingues ſerpentes eſſe videantur, & in ipſos omnia invidiæ ſpicula dirigunt, tanquam ſagittarii in ſcopum intendentes. Jure quidem Princeps poteſt exclamare, Poſitus ſum, quaſi ſignum ad ſagittam. In maximis enim rebus adminiſtrandis, difficillimum factu omnino eſt, omnibus placere poſſe. nec Jupiter quidem omnibus placet, ait adagium. Siquidem cùm tot ſint ſententiæ, quot ſunt capita, quid eſt difficilius, quàm multis placere? cùm vix duos invenias, quibus idem placeat. Fieri non poteſt, publica agentem omnibus placere.

2 Reg. 24.

Persius satyra 5. *Mille hominum species, & rerum discolor usus,*
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

Princeps itaque qui aliis imperat, sibi metuat, multos timeat, ab omnibus caveat, neminem negligat, sibique persuadeat, non ad commoda & delitias, sed ad labores & pericula, ad summa fastigia elevatum esse. Hinc Joannes de supremo Rege loquens, divinis monimentis tradit, nomen ejus regium scriptum in femore, Rex regum, & Dominus dominantium. Sed cur in femore titulum regium habebat inscriptum? Nonne aptius esset in fronte, vel in pectore? jure quidem in femore, unde gladius pendet, ut ostendatur, quod quando Rex ad Regni apicem conscendit, tunc ad prælia se accingit; imò tot periculis anguntur imperantes, tanta curarum mole opprimuntur, ut nonnulli talem vitam sibi acerbam & odiosam putaverint. Julii Cæsaris testimonium proferam; is enim amicis obsecrantibus, ut in quodam imminenti periculo satellitum præsidio corpus suum tueretur, & ultrò ad eam rem operam suam pollicentibus, id omnino recusavit, affirmans, multò satius esse semel mori, quàm jugi timore, assiduaque animi anxietate torqueri.

Apoc.c. 19.

Regia quàm diræ lacerent diademata curæ,
Appenso gladio barbarus ille docet.
Elogiis multis meritò tollendus ad astra
Qui pro lactucis, aurea serta dedit.

C A-

Caput VI.

Vigilantia Principis populorum ſalus.

QUORSUM apud Ægyptios pro ſymbolo vigilantiæ, leo animalium imperator? quia populis invigilare, præcipuum Regis munus. Leo enim Græcè, Rex Latinè dicitur. & jure quidem. Nam leo quieti non multum vacat, & ſi aliquando dormit, oculis tamen apertis. proinde in templorum foribus ſolent frequenter inſculpi. ut pulchre & eleganter deſcribit Alciatus in ſuis Emblematibus, Ariſt.l. de ſomno & vig.

Eſt leo, ſed cuſtos, oculis quia dormit apertis,
Templorum idcirco ponitur ante fores.

Itá quoque Princeps pro ſumma rei ritè adminiſtranda ſemper invigilare debet. Quod præclaro divinæ Scripturæ teſtimonio perſpicuè declaratur; Vitam enim Principis diem appellare conſuevit, nulla noctis habita mentione. ita præſcribitur in regum annalibus, Nonne hæc ſcripta ſunt in libro ſermonum dierum regum Juda? Deum immortalem, quid hoc? Nonne & Principibus noctes concedendæ? an ipſis ſolis interdicitur, poſt laborioſas occupationes optata quiete frui? Cur ergo dierum & non noctium mentionem facit? Divina Scriptura nomine dierum comprehendit & noctem & diem ſimul; duplex namque eſt acceptio diei, ut egregiè ſcribit Florianus Nannius ex Canonico Regulari ad Epiſcopatum aſſumptus. una eſt, ſecundum quam dicimus diem naturalem, qui habet viginti quatuor Florianus Bonon. cat. arg. in Gen.

tuor horas, sic sumitur illud Gen. 1, Factum est vespere & mane dies unus; altera est secundùm quam dicimus diem artificialem, tempus nimirum, quo sol nostrum hemisphærium illuminat, & hoc modo sumitur, quando dicitur; Tenebras appellavit noctem, & lucem diem. Ego autem dicerem, si licet proferre quod sentio, nullam noctis mentionem factam fuisse in annalibus Regum, ut detur intelligi, quod Regis vita non quieti, aut somno, sed vigilantiæ & labori debet esse mancipata. Pulchre Poëta,

Excubias grus sola gerit, pars cætera dormit
Tuta, nec infido sperat ab hoste dolos.
Grus notat hæc Regem vigilantem pro grege, qui si
Dormiat, incautum vastat ovile lupus.

Hinc doctus Homerus eleganter cecinit.

Non decet integram noctem dormire regentem
Imperio populos, & agentem pectore curas.

Vigilantiam in Principe maximè necessariam, præclaro exemplo docuit Alexander Magnus. Hic enim cùm ad quiescendum se componeret, ne à somno deciperetur, extento brachio extra cubile dormiebat manu tenens globum quendam argenteum supposita ænea pelvi, eo consilio, ut cùm nervorum rigorem sopor laxasset, lapsæ pilæ tinnitus somnum abrumperet, & ejus sonitu excitaretur. Sciebat namque vir egregius, Principi proprium, & præcipuum munus, invigilare. Quippe quod in corpore politico cordis gerat vices. Unde populus optimo jure illud sibi posset accommodare; Ego dormio, & cor meum vigilat. Juliani Imperatoris cognomento Apostatæ, mira laudatur vigilantia; scribit enim Amianus, quod noctes dividebat ad officia tripartita, quietis, publicæ rei, & Musarum. Idem fecit Alexander, sed multò hic fortius. ille namque

Amian. Marcell. lib. 16. Cant. c. 5.

namque æenea concha ſuppoſita, brachio extra lectum portento, pilam tenebat argenteam, cujus lapſu evigilabat: hic verò abſque inſtrumento, quoties voluit, evigilavit, & nocte dimidiata exurgebat. Noverat enim vir iſte, hoc ſolo titulo laudandus, quod ſicuti corpori ſomno torpenti, aſſiduo motu cor aſſiſtit, ita Princeps, ut communi commodo conſulat, non modò diurnas, ſed nocturnas & perpetuas excubias agere debet: En Princeps cor populi, quo dormiente, vigilat; quo quieſcente, ſollicitat; quo otiante, laborat; adeò ut omnium domos illius vigilantia defendat; omnium otium illius labor, omnium delitias illius induſtria, omnium vacationem illius occupatio, & denique omnium actiones illius aſpectus, quaſi ſtruthio, qui ova aſpiciendo fovet, ſuoque intuitu fœtum ab ovis haurit; quæ ſi intueri deſinat, inania prorſus efficiuntur, & vacua; cui appoſitè illud academicum, Ex viſu ſalus. Nam ſicuti ſtruthio non incubando, ſed intuendo animat ova, ita Principis oculi ad virtutes populum inſtruunt. hinc illius laudatur reſponſum multo ſale aſperſum. Cùm enim Rex interrogaſſet alendis equis præfectum, quodnam redderet equum pinguem, & celeriter? Oculus domini, reſpondit. ſentiens equum optimè curari, ſi dominus frequenter adſit. ita planè Principum aſpectus, ſubditis ne pereant, perquàm neceſſarius. Huc ſpectant verba illa, Manè ſurgamus ad vineas, videamus ſi vinea noſtra floruit; quia qui vineæ præpoſitus eſt, ſummo manè debet ſurgere, ſomno non indulgens, ſæpius mente revolvens, paſtorem eſſe gregi, quod anima corpori. Hinc in Actis Apoſtolorum habemus, plurimos infirmos umbra Petri ſanatos. Quorſum hoc? ut inde manifeſtum fieret, quantum, vel ſola paſtoris umbra, Ec-

Sen. lib. de conſil. c. 26.

Cant. 7.

Act. Apoſt. c. 5.

cleſiæ

clesiæ adferat emolumenti. Cur Salvator noster permisit ipso in navi dormiente, tempestatem insurgere, ita ut navis operiretur fluctibus, ipso autem experrecto mox sedari? ut discant pastores, ipsis letargo oppressis, tempestates in Ecclesia exoriri, easdem tamen sopiri, cùm vigilias agunt super gregem. Quid est quod Ioannes scribit, se vidisse Angelum in medio candelabrorum aureorum? ut doceret pastores in medio Ecclesiarum semper hærere; ut Concilii Tridentini Patres apertissimo canone decrevere; sciebant enim ex pastoris absentia plurima damna evenire gregi. Luna inter planetas minima quidem, sed quia non procul distat, magis influit. Præsules quamvis minus docti, sæpius tamen visitantes gregem, ovibus suis utiliores sunt, quàm eruditi doctores in aulis versantes, procul ab ovibus errantes. Quare in sacris litteris Præsules appellantur nomine salis? Sal non condit nisi præsens, & ex Prælati præsentia multa commoda eveniunt Ecclesiæ, ex absentia plurima emergunt mala. Et quæ mala non acciderunt, dum Moyses ab universa populi multitudine fuit separatus? statim filii Israël vitulos aureos conflare, eisdem victimas immolare, & proni omnes adorare cœperunt, quamvis etiam Aaronem virum summa integritate ornatum præsentem haberent, nullo sermone explicari potest, quot damna in pastorum absentia contingere soleant, etiam vigilantissimis vicepastoribus constitutis. Damasus Romanus Pontifex, de pastoribus sermonem habens, qui substitutis vicegerentibus ab ecclesiis suis absunt, scitè admodum scripsit, Isti videntur mihi similes matronis, quæ statim ut pariunt, infantes suos nutricibus exponunt educandos, ut suam ci-

tius

Matth. c. 8.

Apoc. c. 1.

Conc. Trid. de reform. sess. 6. c. 1.

Matth. c. 5.

tius valeant explere libidinem. at istorum culpa, quot mala emergunt, animæ negliguntur, oves pereunt, morbi crescunt, schismata prodeunt, ecclesiæ destruuntur, sacerdotes vitiantur, & tandem innumera mala proveniunt. Non ita, non ita, docuit cælestis pastor, nam ipse ovem perditam diligenter quæsivit, ipse invenit, ipse propriis humeris reportavit, nosque id ipsum facere perdocuit. hinc est, quod præfecturam administrantes, solent in manibus annulos gestare, ut innuant, se in munere obeundo tanquam sponsos fideles esse debere. Ob quatuor præcipuè causas annuli aurei solent deferri; primò ad decorem, & nobilitatis insigne; sic Divus Jacobus ait: Si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, introierit autem & pauper in habitu sordido, intenditis in eum, qui indutus est veste præclara. secundò ob regiam magnificentiam, sic in libro Macchabæorum Antiochus Rex cum morti proximus esset, vocavit Philippum unum de amicis suis, præposuit illum super universum regnum, dedit ei diadema, stolam suam, & annulum. Deferuntur insuper annuli ad contestandam insignem sapientiam, proinde inolevit usus, ut doctoratus laurea insigniti, annulum in digitis deferant aureum. demum deferuntur ad fidelitatem protestandam, sic deferri solent à sponsis, pro mutua fide servanda: apposito titulo, Hos junxit amor. Hancque ob causam traduntur Episcopis in eorum consecratione, quando Ecclesiis desponsantur, quasi dicat Romana sedes, Sicut sponsi munus est, uxorem non dimittere, ita Prælatus animarum sponsus nunquam abesse debet, sed fideliter adesse, præesse, & prodesse. Idcirco Divus Petrus Apostolorum Princeps hortans pastores ad vigilantiam,

Jac. c. 2.

lantiam, dicebat: Facti forma gregis, pascite qui in vobis est gregem Dei. quid hinc? ut doceret, quod sicut materia sine forma nequit consistere, ita nec grex absque ductore. imò Doctor Angelicus unà cum pluribus, hisque probatissimis viris, arbitratur Deum non posse facere etiam de potentia absolutà, ut materia sit sine omni forma. ratio est, quoniam nihil implicans contradictionem subest divinæ potentiæ, at materiam esse sine omni forma actualiter in rerum natura, implicat contradictionem. Nam omne quod est actu, vel est ipse actus, vel est potentia participans actum. esse actum repugnat rationi materiæ, quæ secundùm propriam rationem, est ens in potentia. participare actum repugnat materiæ sine forma, quoniam actus participatus à materia, nihil aliud est quàm forma.

D. Tho. quodlib. 3. a. 1.

Scio tamen Doctorem Subtilem opinari, Deum posse facere materiam sine omni forma, hac autem ratione nititur: si mediante forma Deus conservat materiam in esse, quare non poterit conservare sine illa? Stante Philosophorum placito, quidquid potest Deus mediante causa secunda, potest & immediatè, sine illa. Magis tamen placet opinio D. Thomæ, utpote veritati, & præsenti instituto magis consona; illa autem propositio, quam pro se adducit Subtilis, non est vera, nisi in genere causæ efficientis, fallit verò in genere causæ materialis & formalis; non enim potest facere album, sine albedine, nec animal sine corpore; & ratio in promptu est, quonian materia & forma sunt intrinsecæ rebus, ideo ab ipsis excludi non possunt; at agens semper est extrinsecum, propter quod virtute divina à causalitate rei, absque contradictione excludi potest. Cùm itaque juxta opinionem Divi Thomæ communiter receptam, materia non

Flor. Nam. in sua cat. arg.

non ſubſiſtat ſine forma, & prælatus ſit forma gregis, neceſſe eſt, ut dicamus, gregem non poſſe ſubſiſtere ſine paſtoris præſentia. Proinde dicebat Apoſtolus; Attendite vobis & univerſo gregi, in 2 Tim.4. quo Spiritus ſanctus poſuit vos regere Eccleſiam Dei. Hoc autem implere nequaquam poſſunt, inquit ſacrum Concilium, ſi greges ſibi commiſſos deſerant, & eorum curæ non incumbant. Hinc per os Salomonis Dominus dixit: Agnoſce vultum pe- Prov.27. coris tui. at quomodo cognoſcet paſtor gregem ſuum, niſi oculis ſuis cernat? ſuis autem oculis cernere nequit, niſi præſens ſit. Et ideo Divus Athanaſius comparat paſtorem animæ, gregem corpori: Sciant, inquit, paſtorem eſſe gregi, quod anima corpori, at quis ignorat corpus diſſolvi ſine anima comite? ita ſine paſtoris præſentia diſſipabitur ovis. Nec objicias Salvatoris oraculum; Si vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam. Quoniam egregiè nodum ſolvit Auguſtinus in ſuis epiſtolis, dicens: Fas eſt aliquando Epiſcopis fugere, & deſerere gregem, quando ipſe Epiſcopus perſonaliter à perſecutoribus quæritur; tunc enim non fugit mercenarii more, ſed ſibi conſulens fugit, commiſſâ aliis Eccleſiâ, in quos perſecutoris rabies non fremit. Porrò in perſecutione non perſonali ſimpliciter, ſed omnium ovium communiter, non debent lupis oves relinquere paſtores, ne periclitentur, religionis cauſâ, & totum ruat ovile. Pulchre Ariſtoteles in Metaphyſicis, abſentia naucleri cauſa eſt periclitationis navis. ſic in re noſtra dicendum, Abſentia paſtoris cauſa eſt, ſine qua non, perditionis gregis. Prudens enim nauclerus, ad clavum ſedens, futuras tempeſtates prævidet, & ne obruant, providet. Sic Ulyſſes, atque Argus, Regum ſymbola

priscis fuere, quorum ille multiscius ab Homero appellatur, hic verò multioculus figuratur. Cur Deus pastores in duces populorum antiquitus præficiebat? Moyses enim tunc dux populi cooptatus, quando pascebat gregem in deserto. Jacob non prius ad summi regiminis apicem evectus fuit, quàm in munere pastorali jamdiu insudaverit, ipso attestante, Die noctuque æstu urgebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. David tunc in Regem constitutus, cùm patris sui gregem custodiebat. Sed quid? nonne Plato ille divinus more Homerico loquens; Regem in optima politia dominantem, vocabat humani generis pastorem? cur autem pastorum nomen ad magnos reges translatum? ut omnibus esset exploratum, tales erga populos debere esse Reges, quales pastores erga greges. Pastor gregem pascit, nec ab illo discedit, Rex populum sublevare debet, & præsens adesse. Cura pastoralis die noctuque in custodiendis gregibus intenta, & vita Principis ad vigilandum, non ad quiescendum instituta. Quod optimè noverat Augustus, proinde equite Romano defuncto, cùm res illius auctioni subjicerentur, ut ex pecunia creditoribus satisfieret: compertum enim fuit, tantum habuisse æris alieni, ut summam ducenties nummûm excederet, tunc Augustus jussit emi culcitram illius cubicularem, & cunctis mirantibus, hanc rationem reddidit, habenda est ad somnum conciliandum culcitra illa, in qua ille tanto ære alieno obstrictus, somnum capere potuit. Nam Augustus ob ingentes curas, maximam noctis partem sæpe ducebat insomnem. Cur Homerus Agamemnonem, cùm cæteri dormiant, constituit vigilantem? sic enim canebat.

[Margin: Gen c. 31.]

[Margin: Macrob. lib.2 Saturn. c.4.]

At

At reliqui Danaûm proceres noctem usque per omnem
Dormibant, placido correpti membra sopore:
At non Atridem pastorem Agamemnona plebis
Somnus habet dulcis, versantem pectore multa.

Quia Principatus tunc bonis omnibus abundat, cum inops est otii. Cæsaris accedit authoritas, cui nulla hora fuit labore & studio vacua; quique, adeò tenax fuit temporis, ut duobus pluribusve scribis epistolas alienissimi argumenti eodem tempore frequenter dictaret. Nec minus fuit vigilantiæ studiosus Pericles clarissimus Athenarum Princeps. Is enim quoties vestem prætextatam magistratui propriam induebat, eam aspiciens, his verbis seipsum alloquebatur, Attende tibi Pericles, liberis imperas, Græcis imperas, Atheniensibus imperas. Liberi sunt, proinde non mancipiorum more regendi sunt. Græci sunt, turbulenti, seditiosi, reluctantes. Athenienses sunt, omnium mortalium ingratissimi. Quapropter tibi prospice, ne capiti tuo periculum accedat. Noverat quippe vir egregius, respublicas summa vigilantia tractandas, & ideo ad eas minime accedendum, quasi otii fallendi gratiâ, ac si legisset Platonem, cujus aurea verba sunt hæc: Principes, qui noctu vigilant in civitatibus, malis civibus sunt formidabiles pariter & hostibus. Huc spectat opportunè, quod Ricardus Brixius memoriæ prodidit. Fabius Cunctator, inter Romanos Duces maximus, ut ostenderet, quas virtutum dotes in bono, ac strenuo duce requireret, in annulo suo gemmam gestavit, cui hæc præcipue insculpta erant: Caput equi, facies hominis barbati, caput galli, & pedes gruis. Hæc simul annexa, Chimæram quandam constituere videntur; at si bene discutiantur, ex istis simul collectis, plurimarum virtutum consurgit

Plutarc. in politica.

Plato li. 7 de legib.

hieroglyphicum, Imperatori mirificè conveniens. Caput equinum, strenuitatem innuit; vultus barbatus, prudentiam designat; caput galli, & pedes gruis, vigilantiam insinuant in populis regendis adhibendam. Cui sententiæ subscribit divinus Plato, Marsilio Ficino interprete, his verbis, Somnus multus, nec corporibus, nec animis, neque rebus gerendis conducit. nemo quidem dum dormit, alicujus pretii est, non magis, quàm si non viveret; quare quicumque vivere, & sapere cupit maximè, longo tempore vigilet, sola sanitatis commoditate servata. Ad hanc verò, non multo opus est somno si bene assueveris. Consentit & Ovidius hoc carmine.

Infelix, tota quicumque quiescere nocte
Sustinet, & somnos præmia magna vocat.
Stulte quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?
Longa quiescendi tempora fata dabunt.

Plutarchus in libello adversus ducem imperitum, narrat, quoddam non indignum memoratu, huic rei valde accommodatum; nimirum Regi Persarum hunc fuisse morem, ut semper unum quempiam haberet cubicularium, cui hoc munus erat demandatum, ut mane regium thalamum ingressus, his verbis illum excitaret, Surge Rex, somnum ab oculis excute, negotia populi cura. Perinde ac si dixisset, maximè Principibus convenit vigilantia, utpote, qui tantam negotiorum molem sustinent humeris. Unde Virgilius Æneam ducem aliis dormientibus vigilantem facit, & fingit cogitabundum,

At pius Æneas per noctem plurima volvens.

Qui præest, debet assiduè orare, cum Eliseo, Oro, ut fiat in me duplex spiritus tuus, duplici namque spiritu indiget, qui sibi, & aliis invigilare debet. De Epaminonda Thebanorum duce, nonne produnt

dunt historiæ, facinus insigne huic rei valde appositum? Cùm Thebani cives festis quibusdam diebus, licentius voluptatibus fruerentur; ille solus vigil, ac sobrius arma lustrabat, & urbis obambulabat mœnia. rogatus cur id faceret? respondit, Se vigilare, quò reliquis liceret dormire. Rem planè notatu dignam, observat magnus Theologus Robertus Olchot, nimirum, cur Christus in tristi passionis nocte, cùm Petrum in horto somno sepultum cerneret, & ad eum excitandum accederet, honorabile illud Petri nomen subticuit, quod illi imposuerat, dum Ecclesiæ caput constitueret, & alio nomine compellavit? Simon dormis? Quia Principis & custodis Matth. nomine indignus est, qui somno indulget. Quod c. 14. non ignorans Philippus Macedonum Rex, seipsum excusavit, quasi censurâ esset dignus, quod tempore pugnæ, somno vacasset, experrectus enim, Tutò, inquit, dormivi. nam vigilavit Antipater; subindicans, non esse regium indulgere somno, in bello præsertim, sed tamen interdum absq; periculo fieri, si Rex habeat fidum, ac vigilantem Præfectum; ita cum laude amici suam excusavit somnolentiam, simulque docuit præfecturam administrantes vigilantes esse debere, & fideles. Sunt enim sorores, quæ mutuis amplexibus se prosequuntur. Hinc pro insigni, canis & anser. adjuncta nota, Neuter solus. Siquidem vigilantia, & fidelitas debent esse comites individuæ, quarum una sine altera parum, ambæ simul plurimum prosunt; altera non sufficit. Interrogatûs olim Iphicrates Plut. in Atheniensium dux, cur tempore pacis excubias apoph. ageret, aciem explicaret, arma expediret, & mili- Regum. tes paratos haberet, non secus, ac si hostis à tergo instaret, & res in summo discrimine versaretur;

 respon-

respondit, Quia timeo ne obruar incautus, & tunc dicere cogar, Non putabam, quæ vox solet esse imprudentis, non hominis cordati, & publicæ salutis curam gerentis. Hinc divina oracula sceptrum Regium appellabant virgam, virgam vigilantem. Quid vides Hieremia? ait Dominus. Virgam vigilantem ego video, respondit Vates. Ubi advertendum, quod textus Hebræus legit; virgam amygdalinam ego video. Sed cur virgam, præcipuè amygdalinam? quia, ut scribit Procopius, cervicali dormientis supposita, quamprimum somnum abrumpit. At quid virga somni inimica? symbolum præsulis, qui semper invigilare debet pro communi populi salute. Hac ducti ratione Ægyptii ad exprimendum Principem, sceptrum quoddam pingebant, oculum apertum desuper habens, quod & virgam vigilantem appellabant. Sed quorsum hoc? ut vigilantiam Principis, nunquam deficientem insinuarent, quem oporteret esse Argum, centum oculos habentem; & hoc fortasse non sufficeret, de quo eleganter Poëta,

Hierem. c. 1.

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat,
Inde suis vicibus capiebant bina quietem,
Cætera servabant, atque in statione manebant.
Constiterat quocunque loco spectabat ad Io,
Ante oculos Io, quamvis aversus habebat.

Ovid. li. 1. Metam.

Sed quare Argus à Junone ad custodiam constitutus? quia omni ex parte oculatus. Cur Draco adhibitus est custos pomis Hesperidum, & aureo velleri apud Colchos? quia solus inter cætera animalia non dormit, assidueque vigilat, ita Princeps, quoniam custos populi à Deo destinatus est, proinde plenus oculis, die noctuque invigilare debet. Cujus præclarum insigne apud Ægyptios, Oculus in sceptro.

Excu-

Excubat assiduè pastor, custodia tuta,
Omnia prospiciens, ut bene pascat oves.
Quid faciet Princeps, orbem qui Atlantis ad instar
Sustinet, ut felix aurea sceptra regat?
Invigilet populis, vigili vigilantior Argo,
Pascua grata paret, gaudia vera ferat.

Caput VII.

Anima regiminis, silentium Principis.

AUREUM sanè oraculum, aureis litteris præ foribus inscribendum, Fieri quid debeat, cum multis tractato; quid facturus sis, cum paucissimis, vel potius ipse tecum. Quod enim intendis facere, paucorum fideï committendum. (Veget. de re milit. lib. 3.) Siquidem, nihil est difficilius, quàm secreta tegere silentio, tanta est linguæ volubilis incontinentia, Sapiente sic acclamante, (Eccl. c. 6.) Omnis labor hominis in ore ejus. Quod bene advertens Philippides comicus Poëta, interpellatus à Lysimacho Rege, ut aliquid peteret; ô Rex, ait, Aliud à te non peto, nisi ut reconditi consilii tui nunquam me facias conscium. Proinde non omnibus passim animi nostri arcana aperienda sunt.

Quod semel emittis, nunquam est revocabile verbum.
Cur, ubi, cui, quando, quidve loquare, vide.

Arbores, quarum radices sunt nudæ, citò arescunt, ac pereunt; is quoque nescit vivere, cujus cor temere omnibus patet. Prudentis Imperii regula præcipua, est silentium, quo qui destituitur, tanquam nauclerus gubernaculo destitutus, vento, ac fluctibus ludibrium fiet, & qui non servata opportunitate totum spiritum profert, facilè deci-

pietur, imò turpiter corruet: neſcit enim diu regnare, qui neſcit res gerendas ſilentio involvere. Quanti autem ponderis ſit, conſilia recondita ſilentio premere, Romanorum teſtimonio apprime comprobatur. Siquidem cautum erat apud illos, ne ullus Senator arcana conſilia Patrum enunciaret. quam legem ita exactè obſervabant, ut non unum, ſed neminem audiſſe crederes, quod tam multorum auribus fuerat commiſſum. Hoc idem apud Perſas magna cum laude obſervabatur. Cùm enim Alexander, quàm regionem Darius petiiſſet, omni cura veſtigaret, nunquam tamen explorare potuit, more quodam Perſarum, arcana Regum mirâ celantium fide. non metus, non ſpes elicit vocem, qua prodantur occulta. Lingua apud eos gravius caſtigatur, quam ullum probrum; ob hanc cauſam Alexander omnium, quæ apud hoſtem agebantur, ignarus. Hoc ipſum apud Ægyptios docuit olim Harpocratis imago, quæ digito labiis impreſſo, ſilentii fidem commendabat. ſed quid? Nonne etiam apud Philoſophos magna fuit ſemper ſilentii veneratio? Simonides, cùm ſervaret modeſtiam ſilendo, potius, quam dicendo, interrogatus cur id faceret? Nunquam, ait, tacuiſſe me pœnituit, pœnituit ſæpe eſſe locutum. Solon ex ſapientibus unus inter alios tacens, interrogatus, an id faceret ex ſtultitia, an ex ſermonis inopia? reſpondit; At ſtultus tacere non poteſt: imò quidam voce liberiori dixit; Hic, vel ſtultus, vel mutus eſt; cui Philoſophus reſpondit, & quidem acutè, Non utique mutus ſum, cùm loquar; nec ſtultus, cùm tacuerim, quia ſtultus tacere non poteſt. Socrates quærenti, quomodo quis hominibus placere poſſet? Si geſſerit, inquit, optima, & locutus fuerit pauca.

Valer. li. 2, c. 1.

Q. Curtius li. 4.

Zeno

Zeno dictitare solebat, Cur binas habemus aures, & os unicum? ut plurima audiamus, loquamur paucissima. Eloquii Romani pater Catonem suum laudibus extollens, hoc illi in primis adscripsit elogium: Nunquam verbum emisit, quod emissum doleret. Pythagoras nunquam adduci potuit, ut pisces comederet, quod naturâ muti essent, & proinde silentii symbolum, quod divinum quoddam esse arbitrabatur, tanti faciebat venerandam silentii majestatem. Periander discipulum monens dicebat, Audito multa, loquere pauca. Quod sedulò observabat Thomas Aquinas, qui mente multa volvebat, ex ore pauca promebat; non ut canalis, qui statim reddit, quod accipit, sed instar conchæ, quæ nihil effundit, nisi plena fuerit: hinc cum à sodalibus bos mutus vocaretur, Albertus Magnus ejus tunc magister, rem tacitus considerans, dixit: Bos iste mutus, talem mox edet mugitum, ut ipsius sonum totus admiraturus sit mundus. Sed quid pluribus immoramur? Nonne apud præstantissimos etiam Principes magna semper fuit silentii observatio? Tiberius Cæsar, cùm aliquando apud eum quispiam percunctaretur, quid causæ esset, quod sua consilia non committeret iis, quibus tutò fidere poterat, respondit; Aut nulli, aut paucis cognitum debet esse consilium Principis. Hoc etiam probè novit Metellus Macedonicus; is enim Tribuno percunctanti, quid postero die esset facturus? tunc ille, Si ipsam vestem scirem mentis meæ consciam, eam continuò cremarem: quippe, qui sciret Principis munus esse, plurima cogitare, summa operari, minimum autem loqui. Antigonus Rex Macedonum Philippo filio multis præsentibus percunctanti, Quando castra

Sur. lib. vit. tom. 2.

Bruson. lib. 6, c. 10.

movebimus? Quid, inquit Rex; num metuis, ne solus tubam non audias? innuere volens, consilia Principum silentio tegenda. Perinde ac si diceret Rex prudentissimus, res magnæ, ô fili, sustineri non possunt ab eo, cui tacere grave est. Non enim secreta Regni detegenda, nisi prout ratio temporis expostulat: divino sic attestante oraculo, Tempus loquendi, tempus tacendi. Propterea Isocrates cuidam loquaculo erudiri volenti, sic respondit; Libenter operam dabo, sed duplicem mercedem mihi dari posco, alteram, ut loqui; alteram, ut tacere discas. Innuebat quippe Philosophus, non minoris esse artis, bene tacere, quam bene loqui. Hinc regia Ranutii Farnesii ducis Pythagoricum Gymnasium vocitabatur; quia in ejus aula cuncta sub silentio servabantur. hoc idem quoque servatur in curia supremi Regis. Quis unquam hominum novit qua hora moriturus? ratio divini status sic exigit, ne ignavia torpeamus. diceret forte lascivus, Fruamur voluptatibus usque ad tempus præscriptum, deinceps resipiscam. at nescit homo finem suum, ut simus semper parati. Quis unquam novit certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se in gratia Dei constitutum? Nescit homo utrum amore vel odio dignus sit, sed omnia in futurum reservantur incerta. hoc arcanum sacro silentio tegit divina Majestas, quia sic exigit ordo status, ne turpiter deficiamus, sed fortiter pugnando proficiamus, & per bona opera certam faciamus vocationem nostram. Silentium quippe, est rerum gerendarum clavis aurea, in Regni præsertim administratione, & potissimum in re militari; omnis enim error emendationem recipit; sed error, qui in bello committitur, emendationem non suscipit; sed errorem Martis statim sequitur

Q. Curtius li. 4.

Bruson. li. 6, c. 6.

Eccl. c. 9.

Val. Max. de discipl. milit.

ſequitur pœnitentia. Quocirca Rex David orabat: Pone Domine cuſtodiam ori meo: ſubinde divino auxilio fretus ſtatuit ori frena injicere, ut omnem viam vitiis præcludat; Dixi cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. hîc autem non erit abſonum referre ex Caſſiodoro, ſequentem hanc hiſtoriam ſanè egregiam. Pambus cum ſine litteris eſſet, acceſſit ad quendam, ut ediſceret pſalmorum expoſitionem. qui cum audiſſet verſum illum; Dixi cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea: ad ſecundam lectionem accedere noluit, dicens; Si hoc opere implere potuero, hic verſus tantummodo mihi ſufficiet; cumque doctor quæreret, cur per ſex menſes ad ſe minimè veniſſet, reſpondit; quia verſum illum adhuc opere non implevi. Poſtea verò, cùm multos ſupervixiſſet annos, à quodam rogatus, an verſum didiciſſet? Quadraginta, & novem, inquit, annis vix eum implere valui, tantæ molis eſt lubricam linguam cohibere. non tamen Principem facimus, tamquam aliquem Harpocratem, neque ut terminum, in hortis figimus, ſed tantum ſuademus, opportuno tempore loquendum. Proinde David non ſilentium ſibi indixit perpetuum, ſed cuſtodiam, ut ſapienter docuit Poëta moralis,

Pſal.38.

Caſſiodor. trip. hiſt. li.8. c. 1.

Ambr. lib. 1 de offic. c. 2.

Proximus ille Deo, qui ſcit ratione tacere.

Idcirco Theophraſtus, cùm vidiſſet quendam in convivio nunquam loquentem, dixit: Si ſtultus es, rem facis ſapientem; ſi ſapiens, ſtultam, quia tempore, & loco loquendum. Prudenter tamen, ne lingua animum præcurrat, ſed cogitandum prius, quid loquaris, quam lingua prorumpat in verba, ex quibus plerumque plurima emergunt mala. Hinc fit, ut nihil Principis dignitati ſit magis conſenta-

sentaneum, quàm silentium opportuno tempore servatum,

Eximia est virtus, præstare silentia rebus:
At contrà, gravis est culpa, tacenda loqui.

Henricus Farnes. li. 1 de simulac. reip.

Proinde antiqui, templum consilii subterraneum esse voluerunt, ut docerent consilia, & arcana Principum, terra obrui, ac sepeliri debere, donec effectum sortiantur. Quorsum enim Aquila apud Romanos, aut Crocodilus apud Ægyptios, Principis hieroglyphicum constituebatur? nimirum, ut docerent, rem prorsus regiam esse silentium, atque agendo, non dicendo, administrari Imperium: illa namque sola inter alites volat sine clangore, hic autem lingua, & voce destituitur; ita Princeps, ac si esset elinguis, nunquam debet Regni secreta detegere, nisi prout ratio dictat, & temporis opportunitas postulaverit. Proinde Plinius duas linguæ venas tribuit, quarum una in cerebrum tendit; altera ad cor deflectit. Quid hinc? ut ostenderet, nil aliud esse loquendum, quàm, quod cor sentiat, neque semper loquendum; sed solum cùm ratio verba postulat, ne sermones nostri temere prolati, insipientiam redoleant. Siquidem frequenti experimento compertum est, flumina ibi majori silentio profluere, ubi profundiores sinus habent; ubi autem magno fragore, quasi se præcipitantes aquæ defluunt, minor ibi adest aquarum copia, & profunditas; ita prorsus, ubi adest silentii majestas, ibi cordati sensus latet ubertas; sic acclamante sapientissimo Rege: Qui moderatur labia sua, prudentissimus est. Cui appositè accedit vetus illud adagium, apud omnes celebratissimum,

Prov. c. 10.

Verbum prius ad limam, quàm ad linguam,

In Principe præsertim, quem & aures, & oculi omnium

omnium ſemper ſequuntur,& inſequuntur; imò in quem ſolum, tanquam in ſolem, ſolent populi ora convertere, non ut præclara geſta aſpicientes elogiis extollant; ſed ut nebeculam, licèt leviſſimam, in eo inſpicientes, deſpiciant, ſic habet inſigne academicum, addita nota, Niſi cùm defecerit, non habet inſpectorem.

Vis regnare diu? digito compeſce labellum.
Hoc prudentis opus. qui tacet, ille ſapit.
In rebus magnis, magna eſt doctrina Tacere,
Sermo tuus tecum, ſic age, tutus eris.

Caput VIII.

Continentia Principis, felicitas Regni.

NULLUM Imperium durabile, ubi regnat Principis intemperantia. Hinc Romanum Imperium exhau- Policra.
ſtum eſt Nerone imperante, cujus lib.6. c.
gula omnia devoravit, maculavit 12.
avaritia, fregit ignavia, luxuria cum ſuperbia exanimavit. Quod optimè intelligebat Cato, vir ille inſignis. Proinde orans in Senatu verba hæc planè aurea, quaſi oracula deprompſit, No- Aug. de
lite exiſtimare majores noſtros, armis rempubli- civi. Dei.
cam ex parva magnam feciſſe; ſi enim ita eſſet, lib.5, c.
multò pulchriorem nos haberemus, quippe, quod 12.
armorum & equorum copia major nobis, quam illis, ſed alia fuere, quæ illos magnos fecerunt, quæ tamen nobis nulla ſunt; domi induſtria, foris juſtum imperium, animus in conſulendo liber, & potiſſimùm non delicto, neque libidini obnoxius. Eapropter Anacharſis inter barbaros natus, quale malum hoc eſſet, mente revolvens, ſtatuis, ac ima-

imaginibus illius inſcripſit, Linguæ, ventri, pudendis temperandum. hoc eſt enim maximum Imperium, imperare ſibi; hic eſt verus principantium triumphus, carnis illecebras expugnare, quas qui contemnit, heroicam animi virtutem demonſtrat. Hoc probè noverat Rex ille inclytus, qui gigantes devicerat, leoni ora diſcerpſerat, fortiſſimos hoſtium duces ſubjugaverat, qui tot triumphorum genere inſignis erat, ad unius tamen mulieris intuitum proſternitur. Proinde rubore ſuffuſus, quoties recordabatur, toties infinitis gemitibus omnia replebat, inclamando, Cur timebo in die mala? iniquitas calcanëi mei circumdabit me. Scio quidem hujus loci varias eſſe Patrum explicationes; porrò illam tantum proferam, quæ noſtro facit inſtituto. Quid, quæſo, intelligit vates Regius per iniquitatem calcanëi? voluptates habitas cum Berſabea; quam iniquitatem calcaneum appellat, nec ineptè; quia ſecundùm medicorum placita, vena quædam à calce prodit, quæ libidinis fomitem excitat. Hinc Poëtæ finxerunt Achillem ſtrenuum ducem, in ſortilegis aquis in calce fuiſſe vulneratum, hoc commento innuentes, eum qui cæteris in rebus, fortiſſimum ſe præbuerat, à ſola ſortilega, ſenſus voluptate fuiſſe proſtratum. Fuit quidem Græcus miles providæ matris auxilio aquis ſtygiis intinctus, quæ membra obdurantes, contra omnia pericula muniebant, ſed talum non tetigit aqua, & in talo, à Paride telo occiditur. En ſtrenuus miles invictus ad omnia, libidinis ictibus ſuccubuit, quia amore Polyxenæ inglorius occubuit, quoniam licèt hoſtes millies ſuperaſſet, ſeipſum tamen ſuperare non valuit. Porrò, hoc eſt verum triumphandi

phandi genus. Quod quidem nec paganos, latuit, siquidem Alexander Macedo oblectationis gratiâ à philosophis inquirens, quodnam maximum esset in rerum natura? varias à variis expositiones accepit, primus dixit, montem Olympum cætera omnia, quæ in mundo sunt, magnitudine superare: secundus autem asserebat aquam esse, cui virtutem ignis extinguendi potestas data esset: tertius verò arbitrabatur solem esse, qui radiis totum orbem illustrat. sed hi omnes à veritate aberrarunt; quartus autem meo judicio scopum attigit, dicens; Nihil in orbe majus animo magna contemnente, & carnis illecebras conculcante. Propterea Diogenes Alexandro se orbis Dominum venditanti, audacter respondit; Nequaquam, ô Alexander, es dominus, sed servorum meorum es servus: illis enim cupiditatibus, quibus ego impero, tu mancipium es. ecquid turpius, quàm fœdæ libidinis mancipium fieri? numquid ille princeps dicendus est, cui leges imponit impudica mulier? numquid ille dominus, qui imperanti mulieri nihil negare potest? numquid ille est liber? cui mulier turpiter imperat? poscit illa? dandum est; vocat? veniendum; ejicit? abeundum; minatur? extimescendum: istum ego non modò servum, sed etiam nequissimum servum appellandum puto, licèt clarissimâ familiâ prognatus sit; bonus etiamsi serviat, liber est; malus etiamsi regnet, servus est, nec unius hominis; sed quod gravius est, tot dominorum, quot vitiorum. Imperare itaque sibi, maximum imperium est. Nec dissimile, quod ëidem Regi scripsit Bracmanus quidam; Quid tibi prodest totius orbis dominum fieri, cùm infimæ rei interim servias? inimicos externos subvertis, ut internos foveas. Pulchre Poëta.

Laërt. lib. 6.

Aug. li. 4 de Civit. Dei.

Q. Curtius in vita Alex.

Fortior

Fortior eſt qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit
Mœnia, nec virtus altius ire poteſt.

Multò enim glorioſius eſt Principi, ſeipſum vincere, quàm hoſtes ſuperare, eo quod illud ſemper ſit virtutis, hoc ſæpe fortunæ. Hinc dicebat ſapientiſ-
Prov. 16. ſimus ille inter Reges; Melior eſt vir patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium. Fortior David, inquit Chryſoſtomus, dum à cæde Saul abſtinuit, quàm cùm gigantem proſtravit; quia tunc ſeipſum victorem gigantis vicit. ô quàm egregiè ſacer ille Vates,

Boëth. de conſolat. li. 2, metro 5.

Qui ſe volet eſſe potentem,
Animos domet ille feroces,
Ne victa libidine colla
Fœdis ſubmittat habenis:
Etenim licèt Indica longè
Tellus tua jura tremiſcat,
Et ſerviat ultima Thule,
Tamen atras pellere curas,
Miſeraſque fugare querelas
Non poſſe, potentia non eſt.

Hinc Carolo Quinto Imperatori ſemper invicto inſigne elogium fuit adſcriptum, litteris aureis inſcriptum. Cujus memoria ſemper erit in benedictione,

Hoſtem, teque ſimul ſuperas, ſed major in ipſo
Eſt te vincendo laus, minor in hoſte tuo.
Namque quod ingentes populos evertis, & urbes,
Non hæc debetur gloria tota tibi.
Sors & miles habent, tormentaque bellica partem,
Et partem virtus, conſiliumque tuum.
Hoſte ſed evicto, quod te quoque vincis & iram,
Non eſt communis gloria, tota tua eſt.

Princeps enim qui diu & feliciter regnare exoptat, debet inſtar Ulyſſis, Sirenarum voces negligere,

gere,hoc eſt cupiditatum ſpernere voluptates: ille malo navis adhærebat, iſte rationi debet eſſe alligatus, & ita ſapienter ſe gerat, ut nullo Circeo poculo poſſit deformari, poſſit verò eo deformatos, non tam arte, quàm exemplo vitæ, ad priſtinam formam revocare. Quod quidem feliciter eveniet, ſi Epicteti philoſophi doctrinam verè auream corde retineat, dignam profectò, quæ omnibus parietibus inſcribatur; duobus autem verbis comprehenditur, Suſtine, & abſtine. quorum altero monemur, ut adverſa fortiter toleremus; altero, ut ab illicitis temperemus voluptatibus. Proinde dicebat Ariſtot. Conſiderandæ ſunt voluptates, non advenientes, ſed abeuntes; ſi enim cum labore honeſti quidpiam egeris, abit labor, honeſtum manet; ſi cum voluptate turpe feceris quidpiam, quod ſuave eſt, abit; quod turpe eſt, manet. Adeò execranda Venerea voluptas, ut quidam doctores, coitus fœditatem conſiderantes, poſuerint, quod in ſtatu innocentiæ non fuiſſet generatio per coitum. Unde Gregorius Niſſenus in libro de homine ſcribit, quod in paradiſo fuiſſet multiplicatum genus humanum, ſicut multiplicati ſunt Angeli abſque concubitu, per operationem divinæ virtutis. at pace tanti viri; nullo modo poteſt ſuſtineri hæc poſitio, quia Deus ante peccatum fecit maſculum & fœminam, nihil autem eſt fruſtra in operibus Dei; ergo etiamſi homo non peccaſſet, adhuc fuiſſet coitus, ad quem diſtinctio ſexuum ordinatur. Pro majori autem explicatione, duo ſunt in coitu conſideranda; actus nempe generationis, & hic fuiſſet in ſtatu innocentiæ, & quædam deformitas immoderatæ concupiſcentiæ, porrò hæc in ſtatu innocentiæ non fuiſſet, quando vires inferiores omnino rationi ſubdebantur. Unde

D. Tho. 1 p. q. 98, a.2.

Florianus Nan. Bon. cat. arg. in Gen.

Aug. lib. 14 de civ. Dei.

Auguſtinus; Abſit ut ſuſpicemur, non potuiſſe prolem fieri ſine libidinis morbo, ſed eo voluntatis nutú moverentur illa membra, quo cætera, & ſine ardore, cum tranquillitate animæ & corporis.

Prov.29. O quam turpe Venereïs cupiditatibus inſervire! Quid enim fœda carnis voluptas, niſi ignis quidam, uſque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina? hoc eſt ſecundùm Hieronymum, omnia bona devorans. Et quid non devorat inſana libido? devorat bona fortunæ, quia qui nutrit ſcortum, perdit ſubſtantiam. ita cecinit Poëta,

Dives eram dudum, fecerunt me tria nudum.
Aleà, Vina, Venus, tribus his ſum factus egenus.

Aul. Gell. li. 1, c. 8. Omnibus titulis laudandus Demoſthenes Græciæ primarius orator; hic enim cum ad Laïdem meretricem acceſſiſſet, & illa pro exiguo corporis uſu mille drachmas Atticas poſtulaſſet, immenſo hoc pretio deterritus philoſophus, ait; Non emo tanti pœnitere. Ad hanc rem apprime facit, quod refert Athenæus, ait enim, Phrinem, inſigne illud Græciæ ſcortum, tantas opes ſui corporis evulgatione comparaſſe, ut civitatis Thebanæ muros jam ab Alexandro Magno dirutos, propriis ſumptibus reſtaurare potuerit, quod à magiſtratu, ut ſibi liceret, poſtulavit, modo hæc nota marmoreïs tabulis inſcriberetur, Alexander deſtruxit, Phrine meretrix extruxit. O rem planè portentoſam, ac penè incredibilem! Sed quot domos illam voraginem oportuit evertiſſe, quot familias expilaſſe, quot patrimonia exhauſiſſe, tantas ut opes coacervaret, quo tantum auſa fuerit moliri? ſed quid? nonne de eadem ſcribit Plutarchus, eò impudentiæ deveniſſe, ut in templo Apollinis Delphici, ſtatuam Veneris ex auro ſolido dedicare non erubuerit? hac addita inſcriptione, Ex Græcorum intemperantia. O quam

Athenæus lib. 5, c. 11.

Laërt. lib. 6.

quam rectè scopum attigit secundus philosophus, qui interrogatus, quid esset mulier? Impudica præsertim, respondit, est naufragium viri, tempestas domûs, quietis impedimentum, vitæ captivitas, damnum amabile, amor odibilis, hostis insatiabilis, pugna indeficiens, Nec ineptè, qui dixit mulierem melle esse molliorem, sed quò nitentior, eò nocentior; dum te fovet, sibi favet; dum tangit, tingit; dum ridet, rodit, ac radit; non est virgo, nec virago, sed vorago, quæ vires vorat; corpus carpit; aurum haurit, & amando mandit. Devorat quoque bonum famæ, quod infelici experimento comprobavit Salomon, cui decantatum fuit; Dedisti maculam in gloria tua. Hinc Regius vates enixè orabat; Amputa opprobrium meum. quid per opprobrium? utique vitium carnis intelligit Augustinus. Proinde dicunt Theologi, & est doctrina communiter recepta, quod peccata carnalia, licèt sint minoris culpæ, sunt tamen majoris infamiæ; minoris quidem culpæ, ratione motivi, quia quantò major impulsus, tantò minus delinquit peccator, at peccata carnalia habent majorem impulsum propter concupiscentiam carnis nobis innatam; majoris autem infamiæ, quia versantur circa illas delectationes, quæ sunt communes, & nobis & brutis. Hinc peccatum hominis reparabile, non autem Angeli, quoniam peccatum hominis à fragilitate naturæ habuit ortum; peccatum verò Angeli ex pura malitia processit; peccatum enim, quod urgente motivo committitur, dignius est veniâ, quàm illud, quod nulla ad id causa impellente; & hujus rationem adducit Incognitus explanans verba Psalm. 77, Recordatus est quia caro sunt. Peccatum, inquit, quanto majori fit fragilitate, tanto magis est remissibile, quia minus habet rationem voluntarii;

Maximus sermon. 39.

D. Tho. 1. 2. q. 73.

nam occasiones sunt aliquæ tam urgentes, quæ licèt usum liberi arbitrii omnino non tollant, valde tamen sollicitant, & licèt non cogant, fortiter tamen inclinant. Porrò peccata quæ sic committuntur minoris sunt culpæ, quàm illa, quæ nulla occasione fiunt, quia minus habent malitiæ. Et huc facit appositè illud Ecclesi. 25, Tres species odit anima mea, pauperem superbum, divitem mendacem, senem fatuum; hæc namque nullam habent occasionem impellentem. quam quæso occasionem habet pauper superbiendi? quam dives mentiendi? quam senex insaniendi? Devorat etiam bonum propriæ salutis, quia qui fornicatur in corpus suum peccat. Siquidem capiti dolorem infert, oculos debilitat, nervos enervat, ac demum totum hominem exsiccat, exhaurit, ac penitus absumit. Unde Hippocrates medicorum princeps, voluptatem carnis appellabat, parvum morbum comitialem. Et cui non exploratum axioma illud Aristotelicum? Omne finitum per ablationem finiti, tandem finitur. Quare columba exiguo tempore vivit? quia rei Venereæ addicta, & ideo Veneri dicata, hinc dicitur columba, quasi colens lumbos. Pulchre Pythagoras, cùm enim interrogaretur, quando congrediendum esset cum fœmina? Quando, inquit, voles teipso fieri debilior. sed quid? devorat etiam bonum mentis, quia fornicatio, & ebrietas auferunt cor. Hinc Plato divinus scriptum reliquit, nomen Venus, ex duabus vocibus componi, quarum prima apud Græcos significat, sine; altera mentem, quasi vellet innuere, Venerem sine mente, ab effectu nimirum, quia aufert mentem, cor, & judicium. Et quomodo hoc vinculo irretitus, poterit Imperii habenas ritè moderari, cùm sit rationis præsidio destitutus?

Greg. li 4. moral. c. 9.

Oseæ c. 4.

Ad

Ad hanc rem facit ſtatua illa Veneris, teſtudinem pede prementis. ſed cur teſtudinem, non aliud animal premit? quia teſtudo inter animalia, ſola corde caret. Quid eſt ergo Venerem habere ſub pedibus teſtudinem? inſinuare volebat antiquitas, amantes ſub ſigno Veneris militantes, amentes omnino & excordes eſſe. Propterea dicebat Philoſophus, Venus furatur intellectum ſapientis. Adam primus parens, nonne perfectus fuit in ſtatu innocentiæ? ad Evæ tamen verbulum concidit miſellus. Fortiſſimus Sampſon, Dalila mulier illum fregit. David ſtrenuus miles, qui leones proſternebat, unica mulier Berſabea, illum emaſculat, & penitus enervat. Sed quis ſapientior Salomone? aſpectus fœminarum illum dementavit. Tria ſunt præcipuè, quæ mentis aciem obtundunt, & arcem omnino evertunt. Ambitio, avaritia, voluptas. Sed nihil ita obruit rationis uſum, quàm rei Venereæ abuſus; proinde, non poſſum venire, dicebat quidam huic vitio addictus: cui appoſitè conſonat Vatis oraculum; Non dabunt cogitationes ſuas, ut revertantur ad Dominum, quia ſpiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognoverunt. Hinc pictores Cupidinem effinxerunt cæcum, ab effectu, quia facit hominem cæcum, & ex amante reddit amentem. Quocirca optimo jure vitium carnis comparatur igni. Ignis eſt uſque ad perditionem devorans, nam ſicut ex igne fumus egreditur oculos excæcans, ita ex hoc vitio exeunt fœditates rationem obſcurantes, quo fit, ut amans periculum non videat. Proinde Rex David amore Berſabeæ inſaniens, cùm ſe corde & mente ſpoliatum animadverteret, converſus ad Dominum, enixè orabat, dicens: Cor mundum crea in me Deus: &

[Margin notes: Ariſtot. de ſomno & vig. — Ariſt. 7. Ethic. — Oſeæ c. 5. — Job. c. 31.]

& jure quidem divinum alloquens Numen, protulit hanc vocem. Siquidem creare soli Deo competit, & adeò propriè, ut non possit actus creationis creaturæ communicari. Verùm si habebat cor, cur dicit crea? Hujus loci varias invenio doctorum explicationes. Divus Basilius explicans verba illa Isaïæ: Ego Dominus creans malum, ait, tunc Deus malum creat, quando convertit illud in bonum, prout fecit in primi parentis peccato, ex eo occasionem sumens mittendi Filium: unde Ecclesia culpam illam appellat felicem. O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem. quando ergo David orabat; Cor mundum crea in me Deus, postulabat, ut impurum cor suum dignaretur convertere in cor purum; sic enim convertebat malum in bonum. Secunda explicatio vim facit in verbo creare, quod in rigore Theologico, est aliquid de nihilo producere. Cum igitur ex una parte peccatum sit nihil, & ex alia, peccans ad nihilum convertatur; hinc est, quod David bonæ Philosophiæ, & Theologiæ non ignarus, existimabat justificationem esse quandam spiritualem creationem; in qua, sicut in illa, invenitur nihil, hoc est peccatum, quod velut terminus à quo expelli debet, & terminus ad quem, qui est puritas cordis, introduci: ideo sapienter dixit; Crea in me Deus. Sic namque postulabat expulsionem peccati, & introductionem gratiæ mundantis cor. Tertia explicatio docet, Davidem insinuasse, quod sicut in creatione, nihil præsupponitur, cui jure justitiæ debeatur, id quod creatur; ita ex parte cordis, cùm Spiritus sanctus illud per primam gratiam purificat, nihil præsupponitur; quantumcumque contritum sit, cui jure justitiæ, primæ gratiæ infusio debita sit, aliàs gratia non esset gratia. Vel dicamus,

Isa. c. 45.

camus, & eſt quarta expoſitio præſenti inſtituto valde conſentanea, quod David quærebat cor ſuum, at non inveniebat, quia Berſabeæ pulchritudo rapuerat; ideo dicit, Cor mundum crea; perinde ac ſi dixiſſet, cor meum diſceſſit à me, & ad illam ſe tranſtulit, peto Domine reſtitutionem cordis. Et prudenter quidem, quia inſana libido aufert cor, rationis uſum pervertit, & totum hominem dementat. Sed quid plura? non ſolum fœtidus iſte ignis mentem amentem reddit, ſed devorat etiam ipſum lumen fidëi. Ad memoriam revocetur Henricus octavus Angliæ Rex, is ob res præclarè geſtas prò fidëi Catholicæ dignitate, & gladio, & calamo, à Leone decimo Summo Pontifice, inſigni titulo defenſoris fideï decoratus fuit: at poſtmodum, inſano Annæ Bolenæ amore turpiter inſaniens, à fide catholica, quod turpius eſt, defecit, & proh dolor, Romanæ Eccleſiæ acerrimus hoſtis, & vixit, & mortuus eſt. Siquidem à fœda libidine, ad hæreſis labem facilis eſt tranſitus, ſic divino acclamante oraculo, Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, ut abſtineatis à fornicatione, & idololatria. Cur quæſo fornicatio idololatriæ conglutinatur, non mendacium? non homicidium? ut docerent Apoſtoli, quod ab inſana libidine ad amiſſionem fidëi nimis facilis patet aditus. Caveant itaque Principes ab hoc igne devorante, quandoquidem præter innumera damna, quæ longum nimis eſſet recenſere, bono etiam regimini adverſatur. Pulchrum ſanè dictum Romani oratoris huic inſtituto non abſonum; nam cùm Terentiam repudiaſſet, & ſuam Hirtius ſororem in uxorem illi obtuliſſet, Divo Hieronymo referente, ita reſpondit: Non poſſum ſimul & philoſophiæ, & uxori vacare. Hujus Philoſophi Hieron. li. 1. epi.

responsum usurpans, dicam & ego; Non potest Princeps insanæ libidini simul, & bono regimini diu & feliciter vacare. Proinde Dionysius quamvis ad violentiam, & tyrannidem natus, cùm audisset à proprio filio Syracusanæ mulieri vim fuisse illatam, his verbis eum increpavit, Unquamne vidisti me talia agentem? cui filius, Non quidem; sed tu Regis filius non fuisti. mox adjecit Dionysius, Neque tu, huic sceleri incumbens, filios tuos habebis Reges; & divinans dixit. Siquidem parvo interjecto tempore, post Dionysii mortem, pulsus Regno, nec ipse, nec filii Regno potiti sunt. En pernicies ignis devorantis. Scipio major ab antiquis in cælum usque attollitur, hoc præcipuè titulo, quia continentiæ addictus fuit; quippe qui nunquam captivas mulieres ad se perduci permiserit, & cùm semel casu adduceretur quædam virgo admirabilis formæ, eam honestè, integréque custodiri jussit. at cùm paulò pòst comperisset, eam desponsatam esse, statim integram, & penitus intactam sponso restituit, cujus rei fama ita hostium corda sollicitavit, ut ultro, & libenter in partes Romanorum concesserint, & quod armis Scipio assequi nequiverat, continentiæ rumore assecutus est. Alexander Magnus admirandis præconiis celebratur ob res præclarè gestas, sed præsertim Continentiæ nomine: Siquidem victo Dario, prælioque fractis Persis, uxor, & mater Persarum Regis ipsæ quoque captivæ fuerunt; uxor autem tam elegantis formæ erat, ut ei in tota Asia nulla posset comparari. in primo flore juventæ erat Alexander, Rex potentissimus, sub nullius potestate constitutus, adeò tamen fuit continentiæ studiosus, ut rogatus illam videre, nunquam adduci potuerit; imò constanter negarit, dicens: Com-

Fulgos. li.7.c.3.

Valer. Max. lib. 4.

Veget. lib. 2.

Plut. in vita Alex.

Committendum non esse, ut qui viros vicisset, à mulieribus vinceretur. quasi magis timeret mollem prospectum, quàm bene instructas & armatas acies. Nec enim Principi minus præclarum est, cupiditatibus, quàm hominibus imperare: nam imperare sibi, maximum Imperium est. Optimè noverat Alexander, incomparabilis formæ esse mulierem. fama ad Regem jam pervenerat, quæ in tota Asia celebris vagabatur, Leonatum tamen ejus familiarem misit ad Reginam consolandi gratiâ, atque ut mente voluit abstinere, ita nec oculis continentiam propriam voluit denigrare. Non multò pòst Eunuchus transfugit, quem enixè rogavit Darius, an uxoris pudicitiam violasset Alexander? deos testes invocans respondit: castè, sanctéque habitam esse Reginam. Tunc Darius capite velato diu flevit, deinde ad cælum manus tendens; Dii patrii, inquit, primùm mihi stabilite Regnum; deinde si de me jam transactum est, precor, ne quis potius Asiæ Rex sit, quàm iste tam justus hostis, & misericors victor. En continentiæ gratia, quàm magnus apud omnes conciliatur amor.

Plutarchus de eodem Alexandro dignam Alexandro refert historiam. Cùm milites mulierem quandam melioris formæ quàm famæ ad Principem de nocte adduxissent, ut cum Rege cubaret, & ille venientis strepitu, & motu excitatus, quia jam tertia noctis vigilia prætererat, rogasset, ubinam tamdiu hæsisset? illaque respondisset; expectavi, inquit, ô Rex, donec maritus somno sepultus sterteret, ne me exurgentem inaudiret; hoc audito, suos Rex advocat; jubetque mulierem, unde eam duxerant, reduci, dicens, Ergone me adulterum existimatis? & alterius me thorum

violare velle? apage, nihil enim eſt quod magis abhorream. Audiant quæſo Principes, & diſcant ex hoc Ethnico, in gyro continentiæ contineri.

Veget. lib. 2 de conti-nentia Alex.

De eodem refert Vegetius, quod cùm obtenta quadam victoria denuntiaretur ei fœminam omnium pulcherrimam eſſe captam, mox præcepit, ut nemo ante ipſius oculos audeat illam adducere, ne captivæ ſuæ fieret ipſe captivus.

D.Hieron.lib. 1 ad Heliodor.

Nec minus memorabile, quod de Cyro refert Hieronymus; ipſe enim nunquam adduci potuit, ut Reginam Pantheam bello captam, ſummæ venuſtatis fœminam intueretur.

Nec Macedone minor Africanus, qui Hiſpanicas puellas nec conſpicere voluit, ne ab illis expugnaretur, quarum parentes armata dextera imperio ſubegerat, non timuit virile, non hoſtile ferrum, oculos timuit debilioris ſexus: & prudenter quidem, quia in hoc mari fœmineo, qui omnes ſcopulos, licet parvulos timet, & fugit tuto navigio navigat, ut pulchre, & luculenter cecinit ille,

Quid facies, facies Veneris cùm veneris ante?
Ne ſedeas, ſed eas, ne pereas per eas.

Hoc eſt enim potiſſimum remedium, Fuga. Sic docet Paulus veteranus, & ſtrenuus miles, Fugite fornicationem. ſed ſtatim, ut allidamus parvulos ad petram; quia periculum eſt in mora, in aliis luctis ſtrenuè pugnandum, & fortiter obſiſtendum; at in hoc genere pugnæ, unicum genus victoriæ, Parthica fuga eſt. Hanc viam regiam calcarunt ſtrenui milites Chriſti. Hieronymus ſaxo tundebat pectus, vel ad ſanguinem. Benedictus carnis illecebras vicit, inter ſpinas & vepres nudum corpus volutando. Franciſcus, ut ignem extingueret, in glaciem ſe projecit. Thomas, quia cella incluſus, fugam arripere nequibat, impudicam titione

titione fugavit, & ſic igne extinxit ignem. Nec minus glorioſum victoriæ genus à Nicephoro refertur. Decius, perſecutor Eccleſiæ, quendam juvenili ætate florentem in amœniſſimos hortulos, tarda ad mortem ſupplicia conquirens, & animas cupiens jugulare, non corpora, præcepit abduci, ibi inter lilia candentia, & rubentes roſas ſuper lectum plumis extructum reſupinari, & ne inde ſe poſſet excutere, blandis ſerico nexibus irretitum relinqui: quo, cùm recedentibus cunctis, meretrix ſpecioſa veniſſet, cœpit impudicis blanditiis attrectare, ut corpore in libidinem concitato, ſic victrix impudica evaderet. Quid ageret miles Chriſti, & quò ſe verteret, neſciebat. Quem tormenta non vicerant, de voluptate dubitabat. Tandem cælitus inſpiratus, præciſam morſu linguam in oſculantis ſe faciem expuit, ac ſic libidinis ſenſum ſuccedens doloris magnitudo ſuperavit. Durum certamen, ſed glorioſum victoriæ genus, quod non ferro, ſed fuga comparatur. Omnibus exploratum Divi Auguſtini oraculum, Inter omnia Chriſtianorum certamina, duriora ſunt prælia caſtitatis, ubi continua pugna, & rara victoria. vis habere victoriam? apprehende fugam. hinc Joſeph caſtiſſimus quomodo victor evaſit? relicto pallio aufugit. Doctrinam hanc auream apprime novit adoleſcens ille, de quo tradit Ambroſius libro de pœnitentia. Sæpius decreverat impudicæ mulieris amplexus declinare, ſed quoties in illam incidebat, toties turpiter ruebat; tandem, fuga duce, reſipuit, & victoriam obtinuit. Reverſus ad patrios lares, jam mutatus in virum alterum, cùm caſu illi obviam veniſſet mulier, dixiſſetque, Sum illa, ſtatim reſpondit generoſus miles, Si tu es illa, ego non ſum ille. Hinc dicebat, & docebat Socrates,

Nicephor. hiſtor. eccl. lib. 7. c. 13.

Ambroſ. lib. de pœnit.

crates, voluptates carnis, non aliter, quàm Sirenas esse prætereundas, more Ulyssis, qui cerâ obturatis auribus præternavigavit. In hac pugna non contendendum, sed fugiendum, more Parthorum; isti enim equis insidentes fugiunt, insequentes tamen à tergo sagittis conficiunt. Sunt quædam vitia, quibus obviam strenuè eundum est, quæ ad certamen provocare possumus, & per contrarios actus debellare; at carnis pugna, potius fugienda, quàm provocanda. Ex hac re colligitur nodi illius explicatio, Melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens. Exponunt enim doctores, quantum ad consortium. testis est Hieronymus, cujus oraculum est, Cum mulieribus habitare, & de mulieribus non cogitare, majus est quàm mortuos suscitare. Hinc est, quod humani generis acerrimus hostis, cupiens à fidëi firmitate Petrum dejicere, quia militari industria non profecit? ad mulierem confugit, cujus armis nihil fortius ad cordis humani arcem expugnandam. Quod Petrus Blesensis pulchre advertit, oracula Jobi exponens. Quærit enim, quare diabolus cum Jobum spoliasset omnibus, solam uxorem reliquit? acutè respondit, hoc non fuit ad solatium viri, sed ad majorem casus impulsum, ut nempe per fœminam vinceret, quem per flagella non poterat; & quod verberibus nequiverat, hoc verbis mulieris præstaret. hoc idem Gregorius de hac re agens, Hoc fuit antiqui serpentis consilium, ut quoniam non poterat in arcem omnibus virtutibus munitam aliqua ex parte irrumpere, neque mœnia, hoc est, incredibilem animi celsitudinem attingere, quasi artis bellicæ peritus, uxoris vocem, veluti scalam quandam adhibuit, per quam ascendens, rationis arcem occupare posset. Ex quo sequitur

Bonav. lib. de puritate consc. c. 14.

quanto

quanto ſtudio invigilandum, ut carnis victoriam conſequamur, quod neutiquam fiet, niſi fugæ præſidio. Quoniam licèt, inſtar vini, ingrediatur blandè, in fine tamen mordebit, ut coluber. Proinde non ineptè comparatur igni, ſiquidem, ſicut modica ſcintilla non ſtatim extincta, magnum parit incendium; ita tentatio adveniens, niſi ſtatim repellatur, inextinguibile in anima parit detrimentum; primo in limine parvulus lapis videtur, at ſi negligitur, in montem magnum conſurgit. Invigilet ergo Princeps, & tanquam alter Ulyſſes inſida Sirenarum blandimenta effugiat; tunc enim evitabit multa Regni incommoda. Nihil enim populis gratius eſſe poteſt, quàm Principis Continentia, & nihil optabilius mulierum honeſtate. Quod egregio Virginii Romani teſtimonio comprobatur. hic licèt infimo genere natus, filiam cujus Appius Claudius decemvir, poteſtatis viribus fretus, ſtuprum expetebat, in forum deductam, occîdit, maluitque eſſe filiæ interfector, quàm corruptæ pater. Hoc idem ferè contigit Pontio Euſidiano equiti Romano. is namque cùm filiam, operâ cujuſdam pædagogi caſtitatem amiſiſſe comperiſſet, ſceleſtum ſervum honoris proditorem, ultimis ſuppliciis affecit; deinde propriam etiam filiam jugulavit. maluit caro pignori exequias celebrare, quàm nuptias maculâ inhoneſtatis deturpare. Siquidem à mundi primordiis ad noſtra uſque tempora invaluit apud omne hujuſmodi opinio, ut familiæ decus, & ſanguinis ornamentum, in muliebri ſexu eſſet collocatum. Quid mirum igitur, ſi aliquoties legimus populos in Principum necem conſpiraſſe, ab illoque defeciſſe, ob violatam mulierum pudicitiam? Quis ignorat avaritiam & luxuriam peſtes eſſe, quæ multoties

magna

magna Imperia everterunt? Nonne raptus Helenæ Trojanorum ruinæ, Hectoris mortis, & totius populi calamitatis causa fuit? Vis Lucretiæ illata, quantum exitium attulerit, passim docent historici. Dina vi rapta, quot tumultus excitarit, quas neces pepererit, quanti mali causa fuerit, nullus est qui ambigat. Adsit itaque Potestati Continentia comes, & tutum erit Principis Imperium.

Sit procul à vobis, Regni qui sceptra tenetis,
Mente carens, fallax, blandula, vana Venus.
Corpus enim carpit, vires vorat ista vorago,
Enervat nervos impia, dira lues,
Obscurat famam, mentem quoque reddit inertem,
Destruit Imperium, construit exitium.

CAPUT IX.

Ministros habeat Princeps integritate, & scientia ornatos. Et memoria illius in benedictione erit.

OPTIMUM sanè Regiminis institutum, si Princeps in summa rerum administranda viros illos præficiat, qui rationis moderamine uti sciant, ac velint, qui ex legis præscripto, sententias ferant, qui denique non solùm crimine, sed etiam criminis suspicione vacent; tales enim Principes existimantur, quales sunt, qui illorum vices gerunt. Hinc Vespasianus Imperator avaritiæ labe notabatur, quia rapacissimos quosque ad amplissimos magistratus promovebat, ut locupletiores deinde factos, emungere, atque exhaurire posset. Proinde versum

erat in proverbium, Veſpaſianus amicis pro ſpongiis utitur, quippe qui ſiccos madefaceret, turgidos poſtea exprimeret. de quo luculenter Alciatus,

Exprimit humentes, quos jam madefecerat ante
Spongiolas, cupidi Principis arcta manus.
Provehit ad ſummum fures, quos deinde coërcet,
Vertat ut in fiſcum, quæ male parta, ſuum.

Et profectò, ut ingenuè fatear, cùm magiſtratibus præficiuntur homines avari, & imperiti, qui officia capeſſentes, ad auream meſſem ſe ire jactant, Valer. qui leges pro aranearum telis habentes, divites, Max. & præpotentes, licèt criminoſos, impune abire lib. 8. ſinunt; inſontes autem, quia pauperes, vel indicta cauſa condemnant, qui per imperitiam jura omnia conturbant, ſanctiones pervertunt, populos funditus evertunt, & demum qui, non quod lex ſentit, ſed quod mens cupit, non ut hoc libeat, quod licet, ſed ut liceat, quod libet, non inclinant animum ad juſtitiam, ſed juſtitiam ab animo declinant, & bene declinant, quaſi plumbum ad profundam uſque voraginem. Superbi enim declinant in nominativo, de quibus Vates regius, vocaverunt nomina ſua in terris ſuis. Parentes declinant in genitivo, divitias coacervantes per fas & nefas, ut potentes relinquant filios, dicentes cum matrona Hebræa; in me ſit iſta maledictio. Veneri ſervientes declinant in dativo, quia muneribus virgines corrumpunt; detractores & invidi, in accuſativo, quia famam denigrantes injuſtè accuſant; declinant in vocativo tyranni, quia temere audent ſe vocare deos, ut Domitianus; mali demum miniſtri declinant in ablativo, quia perperam judicantes, bona pauperum diripiunt; tunc verè Majeſtas Principis obſcuratur, & nomen ejus redditur inglorium; veriſſimum eſt enim illud Tragici dictum,

Qui

Qui non vetat peccare, cùm possit, jubet.

Cui aptissimè accommodatur illud Socratis apud Xenophontem, Si noceat equus, plerumque in sessorem crimen rejicimus. Quare cùm apud omnes satis compertum sit, plurimos Reges, quamvis integræ, & sanæ mentis, ab iniquis tamen ministris multoties & deceptos, & obscuratos fuisse; ideo operæ pretium duco, ut illorum exempla tibi proponas, quibus summa rei infeliciter cessit, quò illorum periculis cautior evadas. sic docet vetus adagium, Optimum est, aliena insania frui. ita Plautus; Feliciter sapit, qui alieno periculo sapit. & pulchrè Poëta,

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Corn. Tac. lib. 1 hist. In primis Galbam, & Tiberium ante oculos constitue, quorum unus sapientiæ fama clarissimus, miserandum tamen exitum sortitus est; hoc autem ex quo fonte prodiit? ex ministrorum avaritia, & luxu. Propterea seditiones in illum sæpius excitatæ, illius amissæ provinciæ, & illius penè obscuratum nomen. Ex quibus satis apertè monentur Principes, ne ingenio ministrorum cuncta venalia afferentium, temere credant. nulla siquidem capitalior pestis, in summa rerum administranda, quàm venale judicium; non enim potest Respublica diu consistere, in qua fas est, jus nundinari. Bruson. li. 4, c. 5. Quod probè noverat Alexander Severus, qui honores juris & gladii nunquam vendi passus est, dicens, Qui emit, ut vendat, necesse est. Alter verò, nimirum Tiberius, nonne à Sejano, quem unicè dilexerat, & cui totum se committebat, turpiter & iniquè deceptus est? quandoquidem, lucris inhians, & imperandi libidine incensus, propinquos tantum, quamvis improbos, extollebat honoribus cumulando, cæteros quosquè, licèt virtute insi-

insignes, negligendo, deprimebat. Verba Taciti mores mali ministri exprimentia, sunt hæc. Sejani propinqui & affines honoribus augebantur, ut quisque Sejano intimus; ita ad Cæsaris amicitiam validus. Contrà, quibus esset infensus, metu, ac sordibus conflictabantur. Tu itaque, ô Princeps, cum istis non vis falli? interrumpe honores, nec patiaris potentes in magistratibus senescere. habeasque pro constanti, magnam Principatus custodiam esse, si magna imperia diuturna esse non sinas. Siquidem longiora imperia multos attollunt, & ad res novandas impellunt. hoc viriliter præsta, ita infaustum Tiberii exitum effugies., cui mos erat plerosque usque ad finem vitæ, in summis rerum habere, & inter paucos coërcebat, quæ pluribus patêre debebant. De ipso enim produnt historiæ, quod erat in negotiis morosus nimis, vix aut nunquam mutabat administratores, & quærentibus causam, hoc erat responsum, Parco plebeculæ, quoniam, cum ministri intelligunt, ad modicum tempus se habere procurationem, emungunt populum usque ad sanguinem, & tantò acrius dominantur, quantò brevius; & qui recentes veniunt, dissipant quidquid inveniunt. Qui enim administrationi præsunt, pecuniæ cupiditate alliciuntur, porrò si diutius in magistratu versentur, segniores fiunt ad quæstum. Quam regendi rationem, ut fortius comprobaret, satis apto utebatur apologo, Jacebat quidam, inquit, ulceribus plenus, nec amovebat muscas. alter superveniens, putans quod has dimitteret ex imbecillitate, statim abegit eas. ad quem ille, Malè egisti viator, quia muscæ quas amovisti, sanguine jam erant repletæ, & me vexabant parcius; quæ autem supervenient, acrius

Corn. Tac. li. 5.

Liv. li. 4.

Tac. li. 1. annal.

Niceph. li. 1 eccles. hist. c. 17.

pungent. Ita miniſtri provinciarum, recenter inſtituti, acrius in ſubditos deſæviunt. Quod autem hæc regiminis inſtitutio ſit Principibus valde periculoſa, unus Sejanus edoceat, qui diuturnis, ac non interruptis honoribus elatus, Druſum unicum Tiberii filium veneno extinxit, parumque abfuit, quin ipſum Tiberium vita & imperio privaret. auctoritas quippe ſuprema ex Principis bonitate collata, corrumpit ſæpenumero, & arrogantes facit hominum mentes, ita ut de facili agant contra juſtitiam. teſtis ſit Aman, de cujus arrogantia, & impietate, ſatis ſuperque liquet. Vix ab Aſſuero Rege ſublimatus fuit, & conſtitutus ſecundus à Rege, ut ipſemet Rex teſtabatur his verbis, Aman filius Adamathi, animo & gente Macedo, alienuſque à Perſarum ſanguine, & pietatem noſtram ſua crudelitate commaculans, peregrinus à nobis ſuſceptus eſt, & tantam in ſe expertus humanitatem, ut pater noſter vocaretur, & adoraretur ab omnibus poſt Regem ſecundus, qui in tantum arrogantiæ tumorem ſublevatus eſt, ut Regno nos privare niteretur, & ſpiritu. Nec parum facit ad rem noſtram Cæſaris exemplum, cujus diuturnum & continuum Imperium, Romanæ reipublicæ libertatem abſtulit. Ipſe verò idem Cæſar experimento edoctus, ex bello Africano in urbem reverſus, lege poſtmodum cavit, ne Prætores ultra annum, Conſules verò ultra biennium continarent Imperium: quippe qui ad memoriam revocabat, ſe non alia re magis, quàm Imperio continuando, dominandi cupiditate incenſum fuiſſe. Ejuſdem ſententiæ fuit etiam Mamercus dictator, qui aſſerebat magnam Reipublicæ cuſtodiam eſſe, honores interrumpere, & prudenter quidem. Nam ſicut arbores,

Corn. Tac. lib. 4.

Hiſt. c. 19.

arbores, quæ diu humi inhæſerunt, altaſque radices egerunt, ægre admodùm evelluntur, ita prorſus accidit ei, qui diutius imperavit, in quo honos altè radices fixerat, cùm enim aufertur adminiſtratio ſumma, tunc & cor ipſum aufertur è pectore. hinc tumultus, hinc ſeditiones, hinc pericula. Quomodo igitur tot incommodis occurres? ſi venale ingenium ſuſpectum ſemper habebis, & neminem permittes in magnis imperiis conſeneſcere. Siquidem ob humani ingenii inconſtantiam non omnibus omnino, nec omni tempore fidendum. Quis enim ignorat frequenti experimento jam apud omnes compertum, aliquos integre, ſanctеque provincias adminiſtraſſe; non multo autem pòſt, omnem pudorem exuentes, ad omne ſcelus turpiter eſſe prolapſos? quod L. Vitellii, & T. Junii teſtimonio perſpicuè declaratur. Ille regendis provinciis priſca & inſigni virtute egit: at regreſſus, & formidine C. Cæſaris, & familiaritate Claudii, turpe in ſervitium mutatus, exemplar apud poſteros adulatorii dedecoris relinquitur, ceſſeruntque prima poſtremis, & bona juventæ flagitioſa ſenectus obliteravit. Hic autem pro conſulatu Galliam Narbonenſem, ſeverè, integreque rexit; mox Galbæ amicitiâ in abruptum tractus, audax, callidus, & ad omnia vitiorum genera paratiſſimus evaſit. Hinc alieno exemplo diſcant Principes, & diligenter caveant, ne nimiâ alicujus fiduciâ imperii partem alteri concedant, ſed ita viris etiam egregiis exequenda committant, ut clavum ipſi teneant, nec à gubernaculo manum dimittant. Siquidem grave periculum eſt, ad nimiam potentiam ſubditos evehere, ut bene teſtatur antiquitas ſub Cæſare, Auguſto, Tiberio, Caligula, Do-

Tac. li. 1. hiſt.

Domitiano, in quorum capita familiarium primi solâ purpurâ inferiores surrexerunt. Nec minister in magna potentia se extollat, quoniam magnam potentiam magna etiam sequuntur præcipitia. Pulchre in hac re Stoicus, Segetem nimia sternit ubertas, onere franguntur rami. idem quoque contingit animis, quos immoderata felicitas rumpit. potentia ergo utatur, tanquam aliena veste, qua paulò pòst exuendus est, ne si quando fortuna mutaverit fidem, risum pro commiseratione referat. Exempla te moneant Sejani sub Tiberio, Severiani sub Severo, Asiatici liberti sub Vitellio, Theodori sub Isaëcio, Lentuli Getulici sub Caligula, Domitii Corbulonis sub Claudio, Parmenionis sub Alexandro. Sit igitur hæc summa rei, nec minister potentiâ intumescat, nec Princeps ad nimiam potentiam assumat, nec passim omnes ad magistratus promoveat, nisi quorum fidem multis in rebus probaverit, & tunc ex millibus eligat. Zeuxis inter pictores clarissimi exemplo, is enim Agrigentinis facturus tabulam in templo Junonis Laciniæ dicandam, ingenii sui viribus minimè confisus, penicillum inconsideratè non arripuit, sed eximiæ formæ virgines prius per totam civitatem inspexit, & ex quinque pulchrioribus, quas elegerat, quod in quaque laudatissimum fuit, pictura expressit: ita sanè Princeps non omnes inconsultò ad officia adsciscat, sed æquo prius perpendat judicio, qua præclara animi dote sit ornatus, qui aulæ regiæ dignus sit adscribi. illos tamen ita promovebit, ut frena semper Imperii manu ipse teneat, nec gubernaculi sui clavum alteri committat, ne imperare incipiat, qui subesse debebat. nescit enim parêre elata potentia. Superbire homines quandoque solent, etiam

Tac.li.2. annal.

etiam annuâ designatione. quid si honorem per longum tempus agitent? Credas mihi, nihil tam utile reipublicæ, quàm brevem potestatem tradere, ubi magna. Sejanus ad summam dignitatem evectus, invadere factionibus Imperium tentavit. Cleander cùm domus Imperatoriæ servitio esset traditus, & cum ipso Commodo accrevisset, ad tantum honoris fastigium provectus est, ut & corporis custodiam, & cubiculi curam, præterea militum præfecturam solus obtineret: sed magnitudo rerum ad Imperii spem illum instigabat. Inter præcipua mandata, quæ Octavianus dedit moriens Tiberio, erat, ut multorum consiliis uteretur, rempublicam non uni tantum traderet. Non vis itaque, ô Princeps, ministrorum incuriâ, seu potiùs perfidiâ decipi? ipsemet ad tribunalia interdum descendas, ipsemet miseris hominibus patulas aures præbeas, ipsemet causas exactè cognoscas. Nam sæpe inauditi, atque indefensi, licet innocentes pereunt. In Ranutium Farnesium Ducem prudentissimum mentis oculos converte, hinc hauries regiam veri Regiminis rationem. hic enim, non ut Caligula pronuntianti, canentive tragœdo gestum, vocemve accommodabat, sed Reipublicæ lyram ad pacem, & civium concordiam temperabat. Non cum Domitiano, muscas; sed sicarios, latrones, viros nefarios captabat, ut in ejus ditione, ne musca quidem, quæ alienum raperet, reperiretur. Non cum Nerone, libratis funambulonum spectaculis vacabat, sed utramque justitiæ lancem æquilibrabat. Non cum Vespasiano, scurrili mimorum dicacitate capiebatur, sed sapientissimorum responsa exquirebat, & studiosè observabat. Non cum Cæsare, lusoriis chartis operam navabat,

Tac.l.5.

Herodot.li. 1.

ſed ſupplices miſerorum libellos manu verſabat. Intelligebat enim quod quamvis præfectos ſubſtituerit, quorum humeris univerſam negotiorum molem imponeret, non propterea penitus curâ vacabat. Ad Principem namque ſpectat, quid agant delegati, interdum inveſtigare, rationes examinare, omnia explorare, ne populi ſine cauſa pœnas luant. Id feciſſe conſtat Hebræorum ducem, qui licèt collegas ad regimen aſſumpſerat, ipſe tamen præeſſe, & ſumma cum auctoritate præſidere voluit. ſic divina narrat hiſtoria, Moyſes autem conſtituit Sapientes, qui judicarent plebem Domini omni tempore; quidquid autem gravius erat, referebant ad eum. Hoc itidem erat egregium, & ſanè regium inſtitutum Auguſti Cæſaris, Trajani, Adriani, Severi, Philippi, Alexandri, ad quos facilis patebat acceſſus. Proinde apud omnes gentes honorabile nomen eorum. Hos igitur imitare, hos tibi magiſtros conſtitue: ſed inſtar omnium ſit tibi tanquam lucidiſſimum ſpeculum Rudolphus Auſtriacus Imperator. hic ſatellites ſuos, à quibus tenuiores homines, aditum Principis cupientes, rejiciebantur, & ipſe rejecit, dicens; Per Deum, ſinite homines ad me venire, non enim ideo Imperator ſum, ut in arcula includar. & prudenter quidem: Nam qui exiſtimant morum facilitatem obſcurare Imperii majeſtatem, & propterea miſeris hominibus ad ſuas aures aditum præcludunt, nec veri, nec juſti Principes ullo unquam jure dicendi ſunt.

Equidem non me latet, arduum prorſus, & Principi nimis durum, omnibus cauſis aures accommodare. Quippe nec majeſtati conſonum, debet enim ſolis, & imbris inſtar, latêre aliquando, & aliquando etiam conſpectui ſe tradere. Siquidem

quidem majeſtati major ex longinquo reverentia. Lacides accerſitus ab Attalo Rege, reſpondit, Imagines eminus eſſe ſpectandas: innuens aſſiduam, arctamque familiaritatem ſæpe minuere virtutis admirationem. Continuus namque aſpectus magnos homines minus verendos ipſa ſatietate facit. Ad hanc rem appoſitè facit, quod ſcribit Paradinus, ait enim cives quoſdam Mediolanenſes, qui in necem Sfortiæ Ducis conſpiraverant, ita vultum ejus & auctoritatem formidaſſe, ut aliquoties rem aggreſſi, ſola vultus majeſtate perculſi, à cœpto deſiſterent, ſicut ſpiculator ad Marium occidendum miſſus, conſtanti ejus vultu perterritus, re infecta rediit. curarunt igitur imaginem ducis ad vivum in tabella depingi, ad hanc imaginem pugionibus ſuis confodiendam, & deformandam, ubi ſe per aliquot dies exercuiſſent, tandem ad ducem ipſum in ipſo templo publicè occidendum, intrepidi acceſſerunt, & audaciſſimè occiderunt. ecce quod aliquando debet latêre Princeps, ne majeſtatis veneratio minuatur, hominibus namque omne ignotum ſemper pro magnifico eſt. Quærit Rupertus Abbas, cur erat antiquitus tanta difficultas adeundi Regem? ut patet de Rege Aſſuero, qui ſæpe per ſpatium triginta dierum non ſe exhibebat, reſpondit; hoc venerat ex nimia ventoſitate miſeræ vanitatis, ne vilior fieret ex uſu publicæ viſionis. modus tamen ſervandus eſt, ne Caliſtrati ſequamur præceptum, qui Principes conſulebat, ne populis ſe præberent faciles, quaſi eſſent res quædam, quæ non ſolùm uſu, ſed & viſu conſumerentur. Quid igitur? graviora ipſe tractet, minora miniſtris committat, ſapientibuc tamen & timentibus Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam. Proinde apud The-

Tac. lib. 1 annal. Laërt, li. 4 c. 8. Livius li. 15.

Rupert. abbas li. 8 de victore verbi c. 10.

l. obſervandam de offic. Præſid. Exodi 18.

banos ſtatua Judicis erat expreſſa ſine manibus. ut inſinuarent judicem à muneribus alienum eſſe debere. capitur enim, ſi capit. Ad quam rem facit egregiè M. Curii teſtimonium, qui contra jus neque capere, neque capi unquam potuit: propterea legatos Samnitum cum ſuis pecuniis remiſit, inquiens; Malo dominari aurum habentibus, quam auro; nam qui capitur auro, non eſt ſui juris, ſed aurum largientis. hinc Alcamenes à quodam rogatus, cur à Meſſeniis oblata munera recuſaſſet? Quoniam, inquit, ſi recepiſſem, cum legibus pacem habere non poteram. ô mentem Imperio dignam, quæ obvio ingentique lucro legum auctoritatem anteposuit.

Egregius Ovidii apologus huic rei concinnè accommodatur.. Fingit Atalantam Iaſii Regis filiam, cum ſingulari corporis velocitate præſtaret, curſus certamen propoſuiſſe, in quo victus mortis pœnam, victor verò conjugii ſui præmium obtineret. Pluribus jam devictis, Hippomenes tandem ad certamen venit, qui ut eam ſuperaret, hac admirabili uſus eſt induſtria; dum enim curſu certarent, mala quædam aurea extra curriculum tractim projiciebat: ipſa autem Atalanta auri cupiditate illecta, extra curriculum proſiliens, curſumque interrumpens, ad colligenda mala ſe inclinabat; interim præcurrens Hippomenes, hoc adhibito ſtrategemate, victoriam certaminis reportavit. Quid hinc? Ex hoc commento non difficile eſt intelligere, muneribus fortiſſima quæque facilè expugnari; nec eum difficilè capi, qui paratus eſt ad capiendum. Quod probè noverat Lyſander vir ille clariſſimus; cùm enim tyrannus quidam Siciliæ, pretioſas veſtes cum donis aureïs filiabus ejus miſiſſet, noluit pater, ut munus acciperent, quod

Bruſon. li. 3. c. 33.

quod illarum honori indubiè insidiaretur, dicens; Nolite capere, ne capiamini. Obsidebat aliquando Philippus Macedo castrum quoddam ingenio loci adeò munitum, ut nullus omnino pateret accessus. Tunc Rex percúnctatus, An asellus pecunia onustus, illuc quiret accedere? respondentibus exploratoribus, quod sic. tum ait, Vicimus ergo. ut ostenderet aurum nonnulla conficere, quæ vix aliis viribus effici possint. Hinc pecuniæ dicuntur opes, quia ferunt opem, & facultates à facilitate, quòd omnia ex difficillimis reddat facillima. Nihil enim tam munitum, quod pecunia expugnari non possit, cùm argentëus gladius omnia penetret. Hæc autem sacra fames à ministrorum mentibus procul esse debet, ne justitiam venalem habentes, proditores appellentur, ita enim lege sancitum est. Judex qui justitiam vendit, proditor dicitur & proceditur contra ipsum, tanquam contra reum, qui commisit crimen læsæ majestatis. & hoc citra injuriam. Quoniam judex iniquus ad reipublicæ perniciem natus, ultimi supplicii pœnas meretur luere. ut prudènter egit Cambyses Rex Persarum, is enim judicem pecunia corruptum, decoriari jussit, & pellem è corpore detractam sellæ judiciariæ apposuit, in eaque filium ejus judicaturum sedere mandavit, ut novo supplicii genere percussus, æqua lance judicaret. super quam sedem, hoc distichon jussit inscribi,

Tiraq. l. si unquam c. de revocat.don.

Val. Max. lib.6. Amian. lib.25.

Herod. lib. 5.

Sit tibi lucerna, pellis, sedesque paterna,
A manibus reseces munus, ab aure preces.

Nec minus præclarè se gessit Artaxerxes Rex itidem Persarum: is enim plurimis regni sui magistratibus auro corruptis pellem detrahi jussit, eamque per tribunalia suspendi, ut qui ad eandem dignitatem promoverentur, rigido hoc supplicio per-

Diodor. Siculus c.15.

perterriti, ab iisdem flagitiis abstinerent, sed suum unicuique jus administarent. Utinam nostrorum temporum judices ante oculos haberent hoc exemplum: non enim ita facilè à tramite justitiæ declinarent, Pharisæis omnino similes, qui Christi pauperis causam agentes, unanimi consensu inclamant, Expedit, ut moriatur. Porrò cùm de Lazaro divite tractant, consilia ineunt, cogitaverunt, ut Lazarum interficerent. divitum supplicia protrahuntur, pauperes statim neci traduntur. hoc autem quàm sit turpe nefas, declarat Dominus per regium prophetam, Devorant plebem meam sicut escam panis. En justitia, telis aranearum comparata. En justitia, virga quidem, sed non æquitatis. En justitia, cingulum lumborum. hinc enim inclinatur ad potentiæ timorem, illinc ad pecuniæ pondus. En justitia, statua illa multiformis, in qua caput aureum non comminuitur, luteï pedes dissipantur. ita fecit impius Saul, proinde percussus à
2 Reg. c. 15. Deo. Vade, jussit Dominus, percute Amalech, & demolire universa ejus. Instruit Rex exercitum, regionem vastat, sed pepercit universis, quæ pulchra erat; quidquid autem vile fuit, hoc demolitus est. En judex, facies peccatorum sumens, contra quos clamabat Salomon, Pondus & pondus, mensura & mensura, utrumque abominabile apud Deum. hinc emergit malorum congeries, quam describit Oseas Propheta, Non est veritas, non est misericordia, non est scientia in terra, maledictum, mendacium, homicidium, furtum, adulterium inundaverunt. sed, quæso, unde tot mala? sanguis sanguinem tetigit. Cur Regna evertuntur? cur bona reipublicæ dissipantur? cur tot civitates exterminantur? cur solo æquantur? quia æquitatis invertitur ordo. Siquidem judices sanguini

guini tantum, & auro inhiantes, non quod jus exigit, hoc decernunt, ſed quò cupiditas impellit, eò deflectunt. Sicut enim impoſita humeris onera deprimunt, & ad terram flectunt etiam validiſſimos, ita animi licèt erecti, munerum pondere incurvantur, molleſcunt duri, liqueſcunt ſolidi, ſubſidunt robore pleni, reliquiſque invicti vitiis, auro victi jacent. hinc Poëta,

Auro pulſa fides, auro venalia jura,
Aurum Rex ſequitur, mox ſine lege pudor.

Proinde Athenienſes, ut huic incommodo occurrerent, apud illos cautum erat, ut judices in tenebris cauſas agerent, quò ad cauſam, non ad perſonam reſpicerent, ne muneribus illecti, perperam judicarent. Apud Thebanos, in loco ubi congregabatur magiſtratus, pingebantur Senatores, & in medio eorum Princeps, ſenatores ſine manibus, princeps ſine oculis; ſine manibus, ne munera acciperent; ſine oculis, ne perſonam reſpiceret. Lacedæmonii non ſolùm oculos claudebant, ſed & aures: volebant enim, ut per ſchedulas peterent, ne coram judicibus loquentes, eos fletibus, efficacique modo dicendi emulcerent. Hunc modum videntur probare divinæ Scripturæ, Non ſecundùm viſionem oculorum judicabit, nec ſecundùm auditum aurium arguet, ſed judicabit in juſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ. Quandoquidem, qui munera diligit, muneribus oppletus, veluti Cerberus, objecta offa latrare deſiſtit. de quo Sapiens, Quaſi mutus in ore, lectio Græca habet, Quaſi frenum in ore. Et apud Athenienſes verſum erat in proverbium, Bos in lingua. appellabant autem bovem quandam monetam, in qua imago bovis erat picta. Porrò quando judex adverſus divitem facinoroſum, non audebat ſenten-

Alex. ab Alex. dierum genial. c. 5.

Pineda in Job c. 9.

Iſa. 18.

sententiam proferre, mox populus inclamabat, Bos in lingua. Quod Demostheni celeberrimo Græciæ oratori accidisse refert Aulus Gellius. Is enim pecuniis corruptus, ne diceret contra legatos, qui Mileto publicæ rei causâ venerant Athenas, lana circa collum advoluta, ad populum prodiit, dixitque se anginam pati, propterea contra Miletos loqui non quire, tum è populo unus clamitavit, Non anginam, sed argentanginam pati, quoniam argenti mole suffocatus, orationem contra habere non poterat.

Aul. Gell. li. 11. c. 9. Bruson. li. 1, c. 1.

Quid non argento, quid non corrumpitur auro?
Qui majora dabit munera, victor erit.

Utinam judices hujus sæculi ad verba Phocionis mentis aciem dirigerent, proculdubio à tramite justitiæ, ne latum quidem unguem discederent. Alexander Macedonum Rex, centum talenta dono miserat Phocioni. is verò percunctatus est eos, qui pecuniam adferebant, Quid ita? cum essent Athenienses permulti, sibi uni illa mitteret Alexander? illis respondentibus, Quoniam unum te judicat virum & honestum, & bonum. Ergo, inquit, sinat Alexander me talem & haberi, & esse. Insinuavit vir prudens illos, qui rempublicam administrant, & tamen à capiendis muneribus non abstinent, nec bonos esse viros, nec tales debere existimari. Et quidem prudenter. Quoniam sic cautum est in sacrarum litterarum monimentis, Judices & magistratus constitues in omnibus portis tuis, ut judicent populum recto judicio, nec in alteram partem declinent. Declinabit autem judex, si munera inhianter accipiat, qui enim capit, capitur, & rigidi canis instar objecto cibo mansuescit, & ad potentis nutum contra jus animum flectit, & ab æquitate declinat. Non sic Joannes, qui

Stob. serm. 35.

Deut. c. 16.

qui ob aureum dicendi flumen, os aureum nuncupatur. Huic enim Eudoxia Imperatrix Arcadii conjux, per suos nuntios minas, & terrores intentavit, eò quod ejus iniquis cupiditatibus strenuè se opposuerat: at responsum est ei à suis, quos miserat legatis, Frustra illum hominem terres, qui nihil, nisi peccatum timet; & mortem potius subibit, quàm à semita justitiæ recedat. Non sic Ambrosius Ecclesiasticæ disciplinæ propugnator acerrimus. Cùm enim Ruffinus magister militum, Theodosium Imperatorem de censura valdè sollicitum hortaretur, ut bono animo esset, & promitteret, se curaturum, ut Episcopus Ambrosius etiam sua sponte vincula ei laxaret; respondit Theodosius, Novi ego constantiam Ambrosii, qui nullo regiæ majestatis timore divinam legem transgredietur; qui potius deficiet, quàm non efficiet, cujus mens in sanctis propositis semper immota manet. Non sic sanctus Thomas Cantuariensis Episcopus, cùm enim legibus regiis omnino injustis, animo infracto se opponeret, Gillebertus Londinensis Episcopus ad eum scripsit, ut mollius ageret cum Rege, sapienter respondit; Clavum teneo, & ad somnum me vocas? tales esse oportet Præfecturam gerentes, ut nihil formidantes, viam Dei in veritate doceant, oraculi divini memores: Noli fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne fortè extimescas faciem potentis. Sanctus Ludovicus Rex Gallorum, nonne hoc persuasum semper habuit ab ineunte ætate, potius mori velle, quàm contra legem æquitatis agere? Sed ne quis perfectionem Sanctorum, hoc loco excipiat, testimonium Ethnici proferamus, & faciem nostram operiat confusio. nonne Aristoteles sæpius dictitabat? Melius est mori, quàm aliquid

Theodor. li. 5. hist. eccles. c. 18.

Eccl. 7.

Sur. in vita ejus.

Arist. li. 8 ethic.

quid agere contra bonum virtutis. Papinianus Jureconſultus mori maluit, quàm jubente Antonio Caracalla Imperatore, parricidium ejus de occiſo fratre Geta defendere, audacter enim reſpondit; Non tam facilè parricidium excuſari poſſe, quàm fieri.

Verùm graviora negotia, ut revertamur, unde digreſſi ſumus, quæ debent à Principe tractari, non illa exiſtimo, quæ ad nobilium cauſas duntaxat pertinent; minimè quidem. illa majora duco, & gravioris ponderis, quæ cæteri adminiſtri vix attingere conſueſcunt; imò obducunt ſupercilia, contrahunt frontem, dicunt non habere otium. Cauſæ nempe viduarum, pupillorum, & infimæ ſortis hominum, quas minores judices deſpiciunt, graviſſimæ meo judicio cenſendæ ſunt, & catholico Principe dignæ, ne jure conqueratur

Iſa. c. 1. Dominus, Pupillo non judicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos. pulchre Poëta,

Curia pauperibus clauſa eſt, dat cenſus honores,
Cenſus amicitias, pauper ubique jacet.

Quod quidem de pleriſque noſtri temporis poteſt decantari, qui nulla ratione ad opus exeunt, niſi ſint auri & ſplendore, & ſonitu excitati. Quod eleganter expreſſit Poëta,

Aurea nunc verè ſunt ſecula, plurimus auro
Venit honos: auro conciliatur amor.
Ipſe licèt venias Muſis comitatus Homere,
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Innoc. de miſ. hom. lib. 6. c. 39. Huic rei convenit non ineptè, quod refert Innocentius Pontifex, de quodam philoſopho, qui cùm in vili veſtimento Principis aulam adiiſſet, & diu pulſans, & rogans, non fuiſſet admiſſus, mutavit habitum, mox ad primam vocem patuit aditus; ille verò ad Principem accedens, pallium

quod

quod geſtabat frequenter oſculabatur. at mirante Principe, cur ita faceret? reſpondit philoſophus, Honorantem me honoro, quia quod virtus non potuit, veſtis obtinuit, quaſi diceret,

Si modò me ſpernis, mutata veſte redibo,
Quod mihi non dederis, veſtibus ipſe dabis.

Sed unde hoc malum? ex malis miniſtris, lucro tantum inhiantibus, de quibus idem Pontifex egregiè loquitur, Mali miniſtri non attendunt merita cauſarum, ſed pecuniarum; non quod ratio dictat, ſed quod voluntas affectat; non reſpiciunt jura, ſed munera; non juſtitiam, ſed pecuniam. nec mirum. habent enim linguam, manus, & animos venales. tales profectò non erant, quos inſtituit Joſaphat Rex ſapientiſſimus; is enim creans judices pro ſervanda Imperii integritate, hanc concionem habebat, Videte quid facitis? Non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini. Et quodcunque judicaveritis, in vos redundabit, Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite. Tales requirit Dominus quos ad magiſtratus aſſumere ſtatuit: Provide, ait Moyſi, de omni plebe viros ſapientes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam. Ex eis conſtitue Tribunos & Centuriones. tales exquirebat David, & ſolos admittebat, Ambulans in via immaculata hic mihi miniſtrabit, & munera ſuper innocentem non accipiens. Tales ex millibus eligebat Alexander Severus, præſides enim provinciarum quos verè laudabiles comperit, in itineribus ſemper ſecum in vehiculo habuit, & muneribus ornavit, dicens: Fures à republica pellendos, ac pauperandos; porrò integros, & inſignes viros eſſe redimendos atque ditandos. Tales ambibat Philippus Macedonum Rex, fideles nimi-

Innoc. de miſer. hom. lib. 2. c. 39.

2 Paral. c. 19.

Fxod. c. 16.

Pſ. 100.

Lamprid. in vita Alex. Sev.

nimirum, de quibus nulla ſuſpicio corruptelæ, qui non auro ducuntur, ſed jure; non cupiditate, ſed veritate; qui non pro commodis privatis, ſed ob ſalutem Regni, & Principis ornamentum laborant, more canis venatici, qui aggreditur, & firmat leporem, non tamen occîdit, ſed domino ſervat. appoſita nota, Non edendi, ſed vincendi cupidus. In admittendis miniſtris, ita erat ſtudioſus Rex Macedo, ut quos aliqua labe notatos comperiebat, ſtatim ab aula regia eliminabat. Hinc eſt, quod cùm quendam ex Antipatri amicis, in numerum judicum adſcripſiſſet, ubi primum cognovit, illum tingere capillos, mox ſubmovit eum, dicens: Qui in capillis fidus non eſſet, in rebus gerendis non eſt dignus, cui fides adhibeatur. Chius quidam ſenex in Lacedæmonem pervenit, quem cùm ſenectutis ſuæ puderet, canos tinctura oblitterare conabatur, progreſſus igitur in publicum, de rebus, quarum gratia venerat, concionem habuit; tunc ſurgens Archidamus dixit: Quid ille rectum diceret, qui mendacium non in anima ſolum, ſed in capite quoque circumfert! Vis noſſe, ô Princeps, quiſnam miniſter in aula regia ſit admittendus? Conſule Juſtinianum Imperatorem, qui luculenter illum deſcribit his verbis, Miniſter debet eſſe à cupiditate adeò ſepoſitus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat; ſi autem accipiat, non auro, ſed juri incumbat, quoniam gloria magiſtratus non reſidet in theſauris congeſtis, ſed in rebus præclarè geſtis. ut re ipſa declaravit. Titi Labieni miles magnanimus; huic enim cùm Labienus multum auri ex præda Gallica donaſſet, miles aurum ad pedes Labieni abjecit, & paulò deinceps, idem argenteïs armillis donatus, lætus omnino abiit. contempſit aurum miles,

Lege 30. C. de epiſc.

miles, honores amplexus eſt. & jure quidem. quoniam cupiditas habendi, animum proſternit, & rationis judicium pervertit. ut probè noverat Scipio Æmilianus. Narrat Valerius quod cùm duo Conſules contenderent in Senatu, quis de duobus, quorum alter nihil habebat, alteri nihil ſatis, in Hiſpaniam mitteretur? tunc ait Scipio Æmilianus, omnibus ejus ſententiam expectantibus, Neuter horum mihi placet. alter, quia nihil habet; alter verò, quia nihil ſatis. æquè malum Imperii miniſtrum judicans, inopiam, & avaritiam. Quando enim Præfectus egenus eſt, multa extorquet, ut ditetur; quando verò avarus, multa rapit, ut os avaritiæ impleatur; at nunquam dicit, ſufficit. At tales à magiſtratibus explodendi, utpote Reipublicæ proditores. quos Paulus vocat idololatras. Avaritia idolorum ſervitus. Hujus autem rationem reddit D. Thomas, dicens: tunc eſſe idololatriam, cum honor ſoli Deo debitus, creaturis tribuitur. At honor duobus modis refertur in Deum, quando in eo ultimum finem ſtatuimus, & quando in eo totam ſpem, & fiduciam noſtram ponimus. qui ſecus facit, idololatriæ culpandus eſt: at avarus eò inſaniæ redigitur, ut creaturam pro Deo habeat, in eaque ultimum finem ponat, & totam ſpem conſtituat. Qui ergo avaritiæ ſervit, pro idololatra habendus, proinde ab officiis, & dignitatibus eliminandus. Et quomodo erga Principem fidelis, qui Deo eſt infidelis? Deum autem negat, qui avaritiæ inhians, juſtitiam venalem habet, & jura divina conculcat. Non enim homini plures ultimi fines eſſe poſſunt. tales ergo miniſtri ab aulis regiis arceantur, ne totam Rempublicam turpiter inficiant. Ad hanc rem appoſitè facit, quod David de corruptis

Epheſ. c. 5.

D. Tho. 2 p. q. 1. a. 3.

ministris justitiam venalem habentibus, dicebat.
Psal. 70. Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini. Sed quid audio, ô sancte Vates? numquid solis ignaris cœli patebit aditus? Hieronymus legit, Quoniam non cognovi negotiationem. hoc est, quia scientiam meam venalem non habui, ut plerique judices, qui non ad justitiam, sed tantùm ad quæstum oculos convertentes, leges pro libito intorquent. O venale hominum genus! prudenter ille, Vidi morbum incurabilem, ad quem curandum non invenitur medicus; sed nunquam inveni causam adeò deperditam, ad quam tuendam non inveniatur advoca-
Bernar. in Cant. serm. 36. tus. Pulchre & luculenter Bernardus; Aliqui, ait, scire volunt, ut sciant, & hæc curiositas est; aliqui ut sciantur, & hæc vanitas est; aliqui, ut ædificentur, & hæc prudentia est; aliqui ut ædificent, & hæc charitas est; aliqui verò, ut scientiam vendant, & hic turpis quæstus est. Verùm hujusmodi judices, non introibunt in potentias Domini? imò perpetuis suppliciis tradentur sine fine cruciandi, ut pulchre sub velamine ostendit
Apoc. c. 2. Ioannes; nam recensens numerosam multitudinem Prædestinatorum, refert ex qualibet tribu duodecim millia fuisse signatos, & cum singulas
Gen. c. 49. referret; solam tribum Dan silentio involvit; nullum enim ex hac tribu signari vidit, ad salutem. Quid hinc? Dan idem significat, quod judex, quod oraculi divini testimonio liquet; dicit enim Sacer textus; Dan judicabit populum suum. & statim subditur: Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita. Judex qui quasi coluber tortuosus est, pro libito leges intorquens, & quasi cerastes insidias parans, justitiæ rectitudinem non observat. talis equidem inter electorum nume-

rum

rum ſupputandus non eſt, & in potentias Domini non introibit.

Princeps itaque omni ſtudio laboret, omnes nervos intendat, pro viribus enitatur, ut miſerorum querelis aſſiſtat, cauſis judicandis interſit, ſententias recto examine ponderet, Regis Euangelici veſtigiis inhærens, qui voluit ipſemet rationem ponere cum ſervis ſuis, quod ſummæ prudentiæ adſcribendum eſt. noluit Rex ſapiens vices ſuas aliis committere, ſed ipſe debitores ſuos audivit, rationes trutinavit, exactè omnia exploravit, & rebus regni miro ingenio providit. Ita ſe gerebat Aſſuerus, potens ille Perſarum Monarcha, juſſit ſibi afferri annales priorum temporum, quæ illo præſente legerentur; ſolus enim Principis oculus Regni negotia, ut ſua, rectè judicat, cæterorum oculi ſuſpecti ſunt. Proinde cùm ſit cuſtos juſtitiæ, & ad ipſum ſpectet ſumma rerum, cauſis miſerorum incumbat, ne illi exprobretur, Noli ergo regnare. Nam ſupplicantis orationem non admittere, rationem amittere eſt. Verùm quoniam ob ingentem negotiorum molem, quibus premitur, & ſæpe opprimitur Princeps, omnibus cauſis intereſſe nequit, videat ſaltem, provideat, inquirat, ne miniſtrorum incuriâ, ſeu potius culpâ, ſanguis pauperum deglutiatur, & recta imperandi inſtitutio corruat. Quod quidem facilè continget, niſi legum ſanctarum obſervatio opere compleatur. Quid enim prodeſt novas condere, & coacervare leges, ſi nunquam ad actum exercitum reducuntur? ſcitè admodum ſcripſit ille Politicus; Corruptiſſima Reſpublica, plurimæ leges. nam experimento compertum habemus, plurimis legibus non inſtrui civitates, ſed deſtrui. ſanè ut miles multiplici, eaque gravi armatura oneratus, ad

Arift. 5. ethic.

Tac. lib. 4 annal.

pugnam ineptus efficitur, & ab hostibus facilè capitur, ita profectò miseri cives multitudine sanctionum obruti, & quid agant, & quomodo se gerant, omnino ignorant, magisque spem abjiciunt, quàm concipiant observandarum legum. Huc spectat, quod Thucydides apud Stobeum refert, Arcesilaum dixisse; Ubi plurimæ leges conduntur, facili negotio contemnuntur, eò quòd cives variis, ac propemodum innumeris onerati legibus, graviter confunduntur. Sicut cibus confertim ingestus, non nutrit, sed onerat, nec densa pluvia terram irrigat, sed inundat; nec clavorum numerus tabulæ leviter insertus, sed unus aut alter clavus fortiter impactus, crebrisque ictibus incussus, fabricæ compingendæ accommodatus est; ita non legum multitudo, quæ obruit, sed paucarum executio, quæ proficit, in Republica instituenda est. Isocrates in Areopago dicere solebat; Non sunt legibus porticus implendæ, sed civium animi justitia, & virtute imbuendi. Homines enim rectè instituti, paucis legibus diriguntur, improbi verò, omnes leges facilè aspernantur. Paucæ itaque leges condantur, sed exactè observentur. Hanc sanè egregiam regnandi institutionem apprime noverat Philosophus ille apud Thebanos insignis. Cùm enim Thebani Lacedæmoniorum legibus inviderent, eorumque Rempublicam agnoscerent florentissimam, philosophum quendam Phitonem nomine, ad Lacedæmones destinarunt, qui leges eorum attentius consideraret, & quod in illis erat admirabilius, diligenter observaret, & patriæ deinde communicaret. Cùm igitur per multos dies commoratus fuisset, singulaque seriò contemplatus, Thebas tandem reversus est, mox omnes ad audienda mirabilia, aures accommodant. At ille

Senatum

Senatum ingreſſus, compedes, catenas, equuleos, plurimaque id genus, inſtrumenta coram illis propoſuit, quo facto, nullo habito verbo, Senatu egreſſus, ſtatim ſe proripuit. Verum Thebani facti hujus novitatem demirati, enixè poſtulant, ut rationem legationis reddat, & quidnam ſibi velint inſtrumenta illa, protinus aperiat. Tunc Philoſophus hac ad eos oratione uſus eſt, Miſiſtis me Thebani cives clariſſimi in Lacedæmoniam, ut leges, inſtituta, & quidquid Reſpublica illa laudabile haberet, ad vos transferrem; ego autem utilius eſſe duxi, juſtitiæ inſtrumenta vobis afferre; non enim legibus, ſed executione legum indigemus. Quid prodeſt tot leges coacervare, ſi legum tranſgreſſores nullas pœnas luunt? Quorſum tot virgæ, ſi nec rectæ, nec vigilantes ſunt? hinc in dies pullulant impia facinora, quoniam nimia indulgentia homines reddit ad vitia proniores. Nullus unquam Orator poſſet oratione complecti, quantum ponderis habeat ſuppliciorum meditatio, etiam apud magnates. divina auctoritate hoc probatur. Nam cùm filii Iſraël fornicarentur cum filiabus Moab, & ab eiſdem ad deorum cultum invitarentur, tunc Deus ad iracundiam provocatus, mox præcepit Moyſi, ut de tam nefario flagitio vindictam ſumeret, dicens: Tolle cunctos Principes populi, & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis. Quid hinc? Viſa hac gravi animadverſione, tantus omnes invaſit timor, ut deinceps in idem peccatum nullus legatur relapſus. Verum eſt enim quod per omnium ora decantatur, Pœna unius, metus multorum. Cedrenus celebris hiſtoricus inſigne quoddam refert memoratu dignum, huic rei valdè appoſitum. Cùm pauperes ſub Mauritio Imperatore à potentibus opprimerentur,

nec Imperator monitis, & rescriptis proficeret, querelisque undique premeretur, convocatis aliquando in curiam potentibus, orationem ad eos habuit; cujus ea conclusio fuit, Quodsi præceptis suis parêre nollent, sed suis obsequi cupiditatibus, alium sibi suo arbitrio deligerent Imperatorem. Ego enim, inquit, contumacibus, injustis, & aliena violantibus imperare nolo. Tunc quidam procerum, libertate dicendi sumpta, ita Imperatorem alloquitur, Constitue me coram omnibus præfectum urbis, mandaque ne cujusquam rationem potiorem justitia habeam, utque mihi te de rebus necessariisedmonituro semper aditus pateat, recipio me effecturum intra mensem, ne ulla sit vel illata in urbe, vel accepta injuria. quodsi quis proferat culpam, quam mihi indicatam non punierim, capite me plecti jubeto. Pergratum id Imperatori fuit, eumque præfectum urbis constituit. Is ergo cum mane pro tribunali sederet, & quædam vidua quereretur, se à magistratu quodam omnibus suis facultatibus spoliatam, mittit eam cum sigillo ad magistrum illum, jubetque eum ad dicendam causam venire: at cùm eandem viduam malè mulctatam remisisset, mittit Præfectus ad eum de cursoribus unum, sed hunc quoque verbis delusum demittit. Interim dum Præfectus in circo sederet, magister ab Imperatore ad convivium vocatur, eodem se Præfectus quoque confert, aitque Imperatori, Si in eo Imperator persistis, quod mihi mandasti, ne cui eorum, qui pauperes concutiunt, parcam, scito me promissis satisfacturum; sin eos, tu pœnitentiâ ductus, amicos potius habeas, & conviviis adhibeas, scias me quoque detrectare ea, quæ in me recepi. Imperatore respondente, ut seipsum potius

potius ſolio detraheret, ſi ſontem talis criminis ſciret. Præfectus illico magiſtrum vi abripuit, & in curiam cum eo abiit. ibi diligenter utriuſque ſermone conſiderato; cùm haud levibus injuriis ab eo affectam mulierem comperiſſet, verberibus impoſitis, homini caput raſit, aſinoque nudum impoſitum, per mediam urbem velut in triumpho duxit; & omnes ejus opes mulieri addixit. hoc exemplo reliquos ita in viam redegit, ut ubique ſumma in pace viveretur, atque intra trigeſimum diem, neque actor ullus eſſet, neque reus injuriarum. Tunc Præfectus Imperatori ſignificat, ſe promiſſa impleviſſe, & Imperator in publicum progreſſus, cùm nulla querela audiretur, patritia dignitate eum ornat, & per omnem ejus vitam Præfectum Urbis eſſe jubet. Utinam Principes talibus miniſtris uterentur, qui juſtè judicarent, non utique tot flagitia impune emergerent. Hæc eſt vera regnandi inſtitutio. Proinde Solon interrogatus, quodnam eſſet inclytum, & excellens regnum? illud eſſe, reſpondit, in quo bonis præmia proponebantur; improbi verò pœna, ac ſupplicio afficiebantur ſine ullo perſonarum delectu.

Princeps itaque qui diu & feliciter principatum adminiſtrare exoptat, miniſtros in primis exquirat probata integritate inſignes, non aurum ſitientes; iſti enim non clientelis, ſed clitellis onerandi ſunt, cùm magis latrocinium, quàm patrocinium exerceant. Miniſtrorum autem incorrupta juſtitia honoribus, ac beneficiis fovenda. Siquidem hæc ſola eſt firmamentum Imperii, pax populorum, impunitas innocentium, horror impiorum, bonorum omnium fundamentum, qua duce, ac comite, quaſi quodam pabulo, ars

omnis imperandi nutritur, roboratur, longè latéque propagatur.

Eligat inſignes Princeps probitate miniſtros,
Quales elegit, inſtituitque David.
Non quos ſacra fames invaſit turpiter auri,
Sed ſint cuſtodes, integritate, fide.

Caput X.

In arduis rebus peragendis, optimos Conſiliarios, tanquam Regni Cuſtodes. exquirat Princeps: & dilatabitur Regnum ejus.

QUi Conſilium appellavit veri Principatus baculum, ſine quo Reſpublica diu nequit conſiſtere, meo quidem judicio, ſapienter admodum locutus eſt. Siquidem cum Princeps ſolus, non poſſit omnia ſcire, multorum conſilio utatur oportet: ex tot enim ſapientibus, qui per omne ævum floruerunt, nemo adhuc poſt homines natos inventus eſt, qui ſe omnia ſcire profiteretur, & qui prudentum virorum conſilio non indigeret. Proinde cum Præſides in ſummo dignitatis faſtigio conſtituti, non valeant ſingula proſpicere, cuncta inveſtigare, & tandem in uno homine non poſſint ſingula abſoluta eſſe, propterea non ex omni parte perfecti; nam Cæſar notatur ambitionis, Alexander temulentiæ, Pyrrhus iracundiæ, Annibal perfidiæ, Fabius tarditatis, idcirco plurimis conſiliis indigent, ſed amicorum, qui fideliter conſulant, & quod ipſe ſolus neſcit, ipſi perficiant. Quod eleganti ſanè exemplo probavit Zeuxis, pictor ille inſignis, cùm ſimulachrum

Thom. in 1.2.q. 14.

Ariſt. in 3.ethic. c.3.

lachrum Helenæ pingeret, ex variis namque puellis perfectam imaginem delineavit, non satis esse ducens unius exemplar. sic prorsus contingit in regimine principatus, nam alium justitia, alium fortitudo, alium prudentia commendatum efficit; unus autem qui virtutes omnes complectatur, & cui nihil desit, nondum (ut arbitror) inventus est. hinc Aristoteles refert, Herculem inter duos & septuaginta liberos, fœminam unam genuisse, quia nullus quamvis præclaris dotibus insignis, valet perfectè omnia absolvere. Siquidem in hac terrestri plaga, in qua omnia coagmentantur ex actu & potentia, vel, ut more Pythagorico loquar, ex pari & impari, ex dextro & sinistro, ex masculo & fœmina, nihil potest esse ex omni parte absolutum; non aurum sine fæce, non argentum sine scoria, non vinum sine flocibus, non rosa sine spinis. Cùm itaque stipantur Principes, quasi custodia tuta, consiliariis multis, hisque & eruditione, & integritate ornatis, tunc, qui pridie duos tantùm oculos, binas manus, ac pedes habebant, & proinde non omnia attingere poterant, coactis, quasi in unum cœtum, multorum oculis, ac manibus, universa commodius, & clarius lustrare, & contrectare possunt. Sic enim in unum collati, quasi unum hominem præstant, qui multiplici ingenio pollet, qui oculis pluribus cernit, qui operatur manibus multis, & qui pedibus penè infinitis graditur. Quod quidem insigni emblemate mutuum auxilium adumbrante, descripsit Alciatus inter Jurisconsultos clarissimus.

Arist. de hist. animal. lib. 7, c. 6.

Loripedem sublatum humeris fert lumine captus,
Et socii hæc oculis munera retribuit.
Quo caret alteruter, concors sic præstat uterque.
Mutuat hic oculos, mutuat ille pedes.

Dum cæcus, & claudus, inquit Alciatus, ad ripam cujuſdam fluminis ſimul eſſent, ad alteram transferri cupientes, unuſquiſque autem ſolus nequiret; claudus enim pedibus, cæcus verò oculis carebat, ita ſibi invicem ingeniosè ſubvenerunt, cæcus claudum humeris impoſuit, at claudus cæco viam demonſtrabat, ſicque mutuis auxiliis ad optatam fluminis ripam pervenerunt. quibus ſatis appoſitè quadrat nota, Neuter ſolus. Quorſum gemina membra in nobis Deus eſſe voluit? binas aures, totidem oculos, manus, pedes? nimirum, ut alter alterum juvaret, cùm res poſtulaſſet. quam mutuam opem docent etiam bruta in gruibus, cervis, & aliis ferè omnibus. Grues quidem, ſic turmatim volant, cùm novas ædes tranſmarinas petunt, ut ſibi mutuò innitantur, ſed ita, ut quæ prima agmen ducit, ubi defatigari incipit, eò quòd nulli innixa fuerit, ad extremam redeat, cui tantiſper incumbat, donec omnibus id ſucceſſivè facientibus, iterum prima fiat. hoc idem obſervatur in cervis, ut luculenter exprimit academicus Intentus, habens pro inſigni cervos quamplures flumen tranſvadare contendentes, appoſita hac nota, Per mutua nixi. ſi enim Auguſtino credimus, quando ratione pabuli aliquod flumen tranſmeare coguntur, ſolo naturæ ductu, alter alterius onus portat, quia unus ſuper alium, caput reclinat; ille verò qui quaſi dux omnes alios præit, cùm defatigatus fuerit, ad poſteriorem ſe confert, & ſuper ipſum caput inclinat, & ſic viciſſim ſibi auxilium ſubminiſtrantes omnes gregatim feliciter tranſeunt, adeò ut mutuus amor ſit illis, loco navis; quaſi rationis præſidio utantur, ſed re vera non ratione, ſed inſtinctu naturæ moventur. Verùm licèt animalia bruta, ratione & prudentia

dentia non utantur, habent tamen operum ſuorum ducem & rectorem ipſum Deum naturæ authorem; ideoque non eſt mirum, ſi quædam conficiunt tam miro artificio elaborata, ut hirundines nidos, araneæ telas, formicæ horrea, apes favos mellis, ducuntur enim ab intelligentia non errante, hinc apud philoſophos circumfertur tritum illud axioma, Opus naturæ, opus intelligentiæ. hoc idem ferè accidit in ſumma rerum adminiſtranda, in qua, quia vident plus oculi quam oculus; conſilii ope opus eſt. ita conſulente ſapientiſſimo Vate: Ubi multa conſilia, ibi ſalus. Proinde Plutarchus in Philoſophia morali nulli ſecundus, Trajano ſuadebat, ut in negotiis ſocios adhiberet. Cùm enim Princeps gravia pertractet, proprios humeros conſulere debet, quid ferre valeant, pro comperto habens, magna negotia magnis egere adjutoribus. manus manum lavat, inquit adagium. Ad Dei conditionem prope accederet, qui nullo indigeret, ſibique ſufficiens eſſet. Nam experimento compertum eſt, nullam provinciam omnibus ſibi neceſſariis abundare, ſed in hac aurum, & argentum; in alia vinum & oleum. In Oriente cœlo benignius influente, gignuntur margaritæ, at in Occidente metalla; Arabia phœnicem, Ægyptus crocodilum, Africa leones producit. Sol inter aſtra cœli, nonne primum locum obtinet? at non poteſt vel unicum folium producere, niſi terræ & aquæ auxilio interveniente, nec terra ex ſuis viſceribus aurum profert, nec mare è ſinu ſuo gemmas educet, niſi Solis comite virtute. bene Academicus, Non ſufficit alter.

Prov. c. 24.

Corn Tac. lib. 1. annal.

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi,
Fluminibus ſalices, craſſiſque paludibus alni,
Naſcuntur ſteriles ſaxoſis montibus orni,

Littora

Littora myrtetis lætissima, denique apertos
Bacchus amat colles, aquilonem & frigora taxi.

Sed quare hoc? ut una provincia indigeat alterâ, & mutuo convictu jungatur. In gratuitis simile quid factum cernimus; noluit enim Deus, ut aliquis sibi sufficeret, sed alterius indigeret ope, idcirco dona sua divisit. Alii quidem datur sermo sapientiæ, alii scientiæ, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum. hinc Apostolos binos mittebat, ut ostenderet, quod nemo sibi sufficit, sed fratris indiget auxilio; Frater enim sic dicitur, quasi ferens alterum. Sapientissimi Regis testimonio, Frater adjutus à fratre, quasi turris firma. Quod experimento probavit Moyses dux præstantissimus, sic narrat sacer textus, Venit Ietro socer Moysis in desertum, ut Moysem viseret, quem videns tota die occupari, in omnium litibus audiendis, ait ei; Non bonam rem facis, stulto labore consumeris, ultra vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere, sed audi verba mea, & erit Dominus tecum. Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, provide autem de plebe, viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, qui oderint avaritiam, & qui judicent populum in omni tempore. si hoc feceris, implebis præceptum Dei. quibus auditis fecit Moyses omnia quæ illi suggesserat. Hoc exemplum expendens Augustinus admirabatur dicens: Loquebatur Deus quotidie facie ad faciem cum Moyse, sicut loqui solet amicus ad amicum, eumque monebat de minimis rebus, qua ergo ratione non ei dedit consilium hoc, quod Ietro dedit? proculdubio ostendere voluit Deus, neminem ipsi adeò familiarem esse, ut ope alterius hominis non indigeat. Utinam Principes Christiani, quando singulis

1 Cor. 2.
Eccl. c. 2.
Exod. c. 18.
Augnst. de doct. Christiana lib. 1.

gulis vires non ſufficiunt, ſibi invicem opem ferrent, ut animo concordi, juratos Chriſtiani nominis hoſtes funditus delerent, & radicitus evellerent, aut ſaltem illorum conatus eluderent, & tot animas captivas ab impio deteſtandi Mahometis jugo extraherent. Nonne miſeri quotidiano experimento probamus, quod ex diſſidiis Chriſtianorum, quaſi ſpectatorem agens, ſuam non parùm ditionem auget? quod Georgius Sabinus graphicè expreſſit hoc Hexaſticho,

Mutua diſcordes faciebant prælia turdi,
Acris & alitibus pugna duobus erat.
Vidit, ut amborum prædo certamina niſus,
Vnguibus, & roſtro dilaniavit aves.
Sic modò, dum faciunt diſcordes prælia Reges,
Turcius Europæ diripit hoſtis opes.

Hoc idemmet alter poëta, temporum noſtrorum calamitatem deplorans, eleganter cecinit,

Gallia cui paret, cui paret Betica tellus
Jam conferre manum Marte furente parant,
Jamque animis, & jam concurrunt fortibus armis,
Turbidus ut jam jam ſanguine Sabis eat.
Et tamen amborum cervicibus imminet hoſtis
Thracius in pharetris acer, & acer equis.
Qui majus nil mente petit, nil voce precatur,
Quàm ſemel ut pugnent hi duo Marte pari.
Sperat enim noſtris confractis viribus omnem
Europam parvo poſſe labore premi.
Illius ergo Duces in pectora vertite ferrum,
Sternere qui telis ardet utrumque ſuis.

Hoc autem non contingeret, ſi Principes in unum collati, adverſus hoſtem communem mutuis viribus prælia dirigerent, adhibitis ſemper prudentum virorum conſiliis.

Nec erubeſcat, in rebus præſertim arduis, inferiores

riores etiam consulere, licèt ipse acutissimo ingenio polleat: sæpe enim & olitor est opportuna locutus. Optimi siquidem gubernatoris esse duco, in maximis tempestatibus vectores quoque consulere; alienum enim consilium negligere, temeritatis indicium. Occurrat menti senex ille venerabilis, quem Divus Ioannes supra thronum sedentem vidit: iste universo orbi præsidebat, proinde senibus quasi consiliariis undique erat stipatus. Quid hinc? ut doceret, quod in excelso fastigio collocati, à latere semper habeant viros consulentes, non tamen sanguine conjunctiores, sed virtute eminentiores, cùm quibus omnia ad regimen spectantia conferant. Si enim Princeps, utpote homo, quid facturus sit, quandoque hæsitaverit, illorum sapientiâ fulcietur; si verò ipse probè noverit, aliorum tamen consilio perficietur, oraculo divino præscribente, Audiens sapiens, sapientior erit. hoc namque est maximum sapientis argumentum, in rebus seriis aliorum adhibere consilia. hinc Salomon cor docile enixè postulabat. Dabis servo tuo cor docile. alii transferunt, Dabis cor cum auribus, hoc est, consilia aliorum libenter auscultans. siquidem valde periculosum est Principi, propriæ solertiæ inniti, & præ nimia sui fiducia alienum negligere consilium, ne contingat quod Imperatori Cæsari; hic enim sua virtute fretus, amicorum monita contempsit, qui rogabant, ut suæ salutis custodes adhiberet, sed exitus docuit, facilius esse mortem prævideri, quàm morti provideri. ita quoque contigit Alexandro, nam cùm à Chaldæis per Nearchum monitus esset, ne ad Babylonem accederet, quod immineret exitus infelix, ipse autem consilium sprevisset, paucorum dierum curriculo, in medio victoriarum

Apoc. c. 4.

Prov. c. 1.

3 Reg. 3.

rum

rum cursu veneno sublatus est, quartum & trigesimum annum agens, robore corporis simul, & animi virtute florens.

At fortasse dices, non esse privati hominis Principem emendare, in rebusque peragendis consulere, sed ratio hæc non concludit. quia dicam ego, Nonne est privati hominis, Principi ægrotanti medicinam præstare? ergone Princeps alius accersendus est, qui tangat venas, exploret pulsum, pharmacum componat, ipsumque porrigat? Quamvis Princeps sit magna sapientia præditus, quia tamen aliena consilia admittit, non proinde minuitur ejus magnitudo, sed viget, clarescit, & potius illustratur. Quod præstantissimorum Principum exemplis facilè comprobatur. Quis unquam sapientior Salomone? Consiliarios tamen sapientes semper habuit, à latere nunquam recedentes. hinc discant Reges, quos posuit Deus custodes populorum, negotia magni ponderis, absque multorum consilio non expedire, quoniam qui sapiens est, audit consilia. Naaman Syriæ Prov. 12. Princeps, quomodo à lepra mundatus fuit? quia servorum prudens consilium non respuit. tanti valet consilium, si quis sapienter eo utatur. Alexander ob rerum præclarè gestarum gloriam, cognomento Magnus, nonne pollebat admirabili ingenii acumine? nihil tamen ferè agebat sine Aristotelis consilio.

Pericles dux clarissimus magistrum habuit Anaxagoram, cujus consiliis frequentissimè utebatur, non modò in rebus urbanis, verùm etiam bellicis, quibus cùm esset egregiè intentus, audiretque Anaxagoram diuturnæ vitæ tædio, per inediam mortem sibi consciscere velle, ad eum protinus advolavit, precibusque & lachrymis obsecravit,

Franc. Sen. lib. 2 de reg. & repub.

vit, ut si non sibi, saltem Pericli vivere vellet; quem consiliorum socium in regimine optaret.

Bruson. lib. 3. c. 31. Dionysius tyrannus ad sævitiam natus, ita Platonis erat addictus consiliis, ut ei in Siciliam naviganti obvius progrederetur magno Principum comitatu, in rebus arduis consulendi gratiâ, à quo multa didicisse, vel hoc ipso testatus esse videtur, quod cùm ejectus esset è Regno, petereturque à quibusdam, Quid tibi Plato, & philosophia profuit? audacter respondit, Ut æquo animo feram tantam fortunæ mutabilitatem.

Rex Antigonus Zenoni Stoico litteras dedit, ad hanc sententiam, Ego fortunæ ac gloriæ magnitudine te supero; sed tu sapientia, & perfecta quadam felicitate longè præstantior es. Proinde oro, ut ad me venias, discipulumque habeas: nam qui Regem ritè docet, universum etiam populum cui præest, bene instituit. jam tædio habebat iste Princeps ignavam adulatorum vanitatem, quibus regiæ omnes semper abundant; idcirco Stoicum accersire optabat, quem in consilio haberet, & libere loquentem audiret. Optimi siquidem Principis est, viris prudentiâ præstantibus, liberiorem quandam loquendi potestatem facere, ut in rebus seriis libere, ac sine metu salubre consilium afferant. Laërt. li. 5. c. 5. Quapropter Demetrius Phaleræus Ptolemæum Regem frequenter hortabatur, ut pararet sibi libros, de Regno, deque militari imperio tractantes, eosque diligenter evolveret, quia illa, de quibus amici non audent admonere Reges, in libris habentur inscripta. Panorm. lib. 3 de reb. gest. Alphonsi. ita sentiebat Alphonsus Siciliæ Rex, qui dictitabat, mortuos esse optimos Consiliarios, libros nimirum, à quibus sine metu, quæ opportuna sint, fideliter audiret, non tamen vivorum consilia negli-

negligebat, ſine quibus nihil penitus decernebat.

Pyrrhus Epirotarum Rex inclytus ſæpenumero dicebat, plures urbes Cyneæ oratoris eloquentiâ, & conſilio cepiſſe, quàm nervis & viribus exercitûs armati. Sciebat nimirum, res grandes imperii, non tantùm viribus perfici, ſed arte & ingenio. homo puſillus nonne ingentes elephantes capit? nonne indomitos equos frenat? nonne boves ſubjicit aratris? volucres de cœlo dejicit? ac denique quod etiam in imo fluminis latitat, homo hamo extrahit? ita enim comparatum eſt, ut vires cedant ingenio. hinc ſolvitur quæſitum illud; Cur unus Demoſthenes Philippo Regi majori erat terrori, quàm univerſa Græcia? quia non ingenium ſuperatur viribus, ſed vires ingenio. Parva ſunt arma foris, dicebat Romanus orator, niſi conſilium ſit domi. Cur Alexander tam frequentes & ingentes victorias obtinuit? quia prudentum conſilio cuncta agebat. De ipſo enim tradunt hiſtorici, quod cùm ad prælium iturus, exercitum conflaret, non quoſlibet admittebat, licèt virium robore præſtantes, ſed veteranos tantùm, qui cum patre, patruoque militaverant, adeò ut non milites, ſed militiæ magiſtros putares. ordines quoque nemo niſi ſexagenarius duxit. itaque nemo fugam in prælio, ſed victoriam cogitavit, nec alicui in pedibus quidquam ſpëi, ſed in lacertis fuit. Non autem ſic de viribus Darii. quid mirum, ſi victor ille, iſte victus fuit? tanti valet ingenium.

Bruſon. li. 4. c. 31.

Tull. li. 1 de offic.

Trog. Pomp. lib. 11.

Hinc Romulus ſtatim ac Urbem condidit, centum ex ſenioribus elegit, quorum conſilio omnia ageret, & hos Senatores appellavit. Innocentius Papa octavus imparem ſe tanto oneri animadvertens, duodecim conſiliarios elegit, ſine quorum

Lud. Gran. in philſ. moral.

consilio nihil prorsus decernebat. Agesilaüs Lacedæmoniorum Rex, interrogatus, quas res Imperatorem habere oportet, dixit: Adversùs hostes audaciam, erga subditos benevolentiam, in opportunitate rationem & consilium. Sciebat enim quod sicut in Principatu beatissimum est, non cogi, ita miserrimum non suaderi. Et in hac insania, proh dolor! versantur plurimi, qui ut fortunâ, sic & sensibus super alios se putant. De quibus Sapiens, Via stulti recta in oculis ejus; qui autem sapiens est, audit consilia. imò nonnulli ita mentis inopes, ut etiam post consilia, ne alienæ sententiæ egere videantur, in diversa, & deteriora rapiantur. Inter quos (instar omnium) prodeat Xerxes ille, qui Græcis bellum indicturus, adhibitis Asiæ Principibus; Ne viderer, inquit, meo tantùm usus consilio, vos contraxi, cæterùm mementote, parendum vobis magis esse, quàm suadendum. Quid autem acciderit ob consilii inopiam, exitus belli conprobavit. Porrò quanti referat consilium summâ prudentiâ comitatum, egregiè noverat Alexander ille Farnesius, Italiæ splendor eximius, Europæ fulgentissimum lumen, unicum belli fulmen, perpetua militiæ gloria, nunquam victus, semper victor, nunquam animo fractus, cui egregiè convenit elogium,

Prov. c. 12.
Valer. li. 5. c. 9.

Etiam si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Dux iste Serenissimus nunquam res grandes aggrediebatur, quin priùs secum maturè provideret, quæ possent contingere, & licet prudentissimus esset, nihil tamen moliebatur, non audito priùs aliorum consilio. Laudet pro libito antiquitas Imperatores suos, nostra hæc ætas Farnesio duce gloriatur, in quo uno virtutes omnes, tan-

quam

quam in proprio domicilio enituerunt. Præclara quidem geſſit Alexander Macedo, ſed magis feliciter, quàm prudenter; ducebatur enim à fortuna magis, quàm à conſilio. Alexander Farneſius nihil imprudenter, omnia cùm conſilio. Annibal Carthaginenſis ducis officio egregiè functus, qui ter Romanas fregit vires, at noviſſimè acta obliterarunt prima. In Duce Farneſio omnia ad extremum uſque glorioſa. Fabius Maximus laudibus extollitur, quia ipſe cunctando reſtituit rem. Farneſius fortiter pugnando,& opportunè cunctando ſæpe victoriam obtinuit. Pompejus ſtrenuè bellando aliquando vicit, non tamen novit proſequi victoriam. Farneſius animosè pugnando ſuperabat hoſtes, non tamen victoriis intumeſcebat. claruerunt alii duces corporis robore, alii ingenii viribus. Farneſius ingenio ſimul & corpore. Novit Anverpia, novit Gallia Belgica, novit alia Gallia, quàm ſtrenuè pugnaverit dux invictiſſimus. at quibus auxiliis? prudentiâ duce, comite conſilio. Quocirca Romani Principes Conſules dicebantur, vel à conſulendo civitatibus, vel à regendo cuncta cum conſilio. Quoniam conſiliis ſapientum reſpublica regitur, conſervatur, augetur; ut pulchre ſcribit Auguſtinus de Themiſtocle, qui cum interrogaretur, an ſciret canere nervis? & diceret, ſe neſcire, adjecit importunus, Quid igitur noſti? reſpondit vir ſapiens, Novi rempublicam ex parva magnam facere, arte nimirum, ingenio, & conſilio. Alexander Severus Imperator tanti faciebat optimorum conſilia, ut nullam ſanciret legem ſine viginti viris, hiſque prudentiſſimis, nec ulla in re judicium ferebat, quin priùs iret per ſententias ſingulorum,& ſcriberetur quid quiſque dixiſſet. An autem

Aug. de civ. Dei lib. 5. c. 12.

Aug. ad Dioſc. epiſt. 38.

hæc fuerit optima regiminis inſtitutio, rerum feliciter geſtarum exitus comprobavit. Noverat enim egregius Imperator, quod hiſce præſidiis ſtipatus Princeps, proſpere, & diu firmabit Regnum. Proinde conſiliarii à Demoſthene comparantur canibus, nec falsò id quidem; nam ſicut canes cuſtodiunt gregem, ita illi Regnum, ſine quibus omnino corruunt Imperia. Hoc probè intelligebat Philippus Macedo, idcirco ſummâ ope nitebatur, ſapientibus viris hoſtes orbare, quorum conſilio civitates reddebantur inexpugnabiles. propterea dum Athenienſes obſideret, deſtinavit Legatos, qui hæc verba referrent, Si pacem civitatis veſtræ diligitis, decem oratores quos elegero, mihi tradite. quibus verbis auditis, famâ per totam urbem volitante, Demoſthenes in medium prorumpens, frequentiam populi ſic allocutus eſt, Viri Athenienſes, conferebat tempore quodam lupus cum paſtore, lupus fraudulenter agens, dixit paſtori, Controverſiam totam, quæ eſt inter nos, canes tui procurant, hos ſi mihi tradere volueris, nulla deinceps erit inter nos concertatio. Credidit paſtor, & datis canibus, qui cuſtodiebant oves, ovile ſtatim diſſipatum eſt. Idem vobis accidet Athenienſes, Philippus Macedo lupus eſt rapax, vos omnes eſtis oves, nos philoſophi canes ſumus, quos ſibi quaſi infenſos poſtulat tribui. Sed quid facit hic apologus ad rem noſtram? hoc nimirum, ut Princeps benevolentiâ & beneficiis foveat Conſiliarios, utpote tutos Regnorum cuſtodes. Quod bene animadvertens Theopompus Spartanorum Rex prudentiſſimus, tantum honoris tribuit ſuis Senatoribus, ut Ephoros inſtituens, magnam partem Regni illis adjunxerit, cum ſumma auctoritate Imperii. At cùm Regis uxor id ægre ferret,
quòd

quòd Regnum anguſtius relinqueret liberis; imò latius, reſpondit, & firmius relinquam: quippe qui conſilio, & auctoritate Senatûs, non potentiâ & viribus magnitudinem Regni definiebat.

Cur Homerus Ulyſſi Minervam comitem facit? ut oſtendat Ulyſſem, ſapientiâ comite, pericula omnia ſuperaſſe. Optimo namque conſilio quaſi Minervæ clypeo, Principes conſtipati, univerſos ſcopulos effugient, at ſine conſilii adminiculo præcipites corruunt. ita Lyricus,

Vis conſilî expers mole ruit ſuâ.

Longè majora geruntur paucorum conſilio, quàm viribus fortiſſimorum. quod Homeri ſententia comprobatur, dum inducit Agamemnonem aſſerentem, longè facilius eſſe rem Trojanam evertere, ſi decem Neſtores, aut Ulyſſes in conſilio haberet, quàm ſi totidem Ajaces, & Achilles fortiter dimicantes. Hoc itidem expreſſit Alciatus egregio emblemate. Pinxit hinc Ulyſſem in conſilis agendis prudentiſſimum; illinc verò fortiſſimum Græcorum Diomedem. hoc addito ſymbolo, Unum nihil, duos plurimum poſſe. hoc eſt, conſilium ſine robore parùm, robur ſine conſilio nihil. at ubi utrumque confluxerit, tunc præclarum quid efficitur. Veteres quoque dum prudentem virum referre vellent, duplicem pinxere Mercurium, juniorem unum, ſeniorem alterum; hic conſilium & prudentiam ſenibus propriam deſignabat; ille vires & robur, quod in flore viget juvenili. Senſus itaque ænigmatis erat, eum, in quo vires & conſilium connubium iniêre, perfectum & egregium ducem eſſe, at longè conſilium ſuperat vires. Proinde veriſſimum ſemper judicavi illud Salluſtii dictum, Omnia Regna, civitates, nationes uſque eò proſperum habuere Imperium,

Franc. Sen. de regno. & rep.

dum apud eos vera consilia valuerunt; at ubi gratia, timor, voluptas, ea corrupere, brevi temporis intervallo imminutæ opes, deinde sublatum Imperium, postremò jugum servitutis impositum.

2 Paral. c.4. ut experimento probavit Rex Roboamus Salomonis filius; is enim à populo derelictus, magnam Regni partem amisit, quia seniorum, & saniorum consilia neglexit. Cur Rex Chaldæorum tot miseriis obnoxius ad terram usque prostratus? quia eò amentiæ devenit, ut optima sapientum consilia contemneret. Romanum quoque imperium quamdiu floruit? quousque cives bonis consiliariis usi fuerunt, honestéque vixerunt. Nam plures respublicæ, ait Xenophon, sunt funditus eversæ administrantium culpâ, quàm hostium atrocitate. Etenim Athenas non hostis forìs, sed intus civium evertit invidia. Spartam non peregrinorum bellum, sed Spartanorum sustulit avaritia. Ilium denique non Græcia, sed Paridis perdidit libido. Quapropter omni præsidio firmius est imperium, ubi prudentum vivitur consilio. Ubi autem consilii inopia, quid mirum, si inde emergit omnium malorum copia?

Cæsar primus Romanorum Imperator, cur in Senatu trucidatus infeliciter occubuit? in promptu causa est, quia Spurinæ consilium irrisit; is enim monuit Cæsarem, ut caveret discrimen ingens, quod ultra Calendas Martii non protraheretur. eo ipso die, dum in Senatum iret, fortè Spurinam obvium habuit. Quid ais, inquit, quasi irridens, nonne Calendæ Martiæ advenere? Ita quidem, respondit, advenere, sed nondum præteriêre. nec mentitus, quia vix Senatum ingressus, viginti tribus vulneribus confossus, miserrimè animam exhalavit.

Quam

Quàm bene agebatur cum Xerxe potentiſſimo Rege, ſi amici conſilio acquieviſſet. is cùm Græcis bellum indixiſſet, & proinde copias paraſſet innumeras; ſeptuaginta enim millia è regno armaverat, triginta millia de auxiliis, & centum millia navium habuerat. Sed quid? blandientium adulationibus allectus & elatus, famam & exercitum infeliciter amiſit. Quidam dicebant, Græcos nuntium belli non expectaturos, ſed ad primam adventûs famam, terga verſuros; alii aſſerebant Græciam non tantùm vinci, ſed mole exercitûs opprimi; non defuêre aſſentatores, qui dicerent, vix naturam rerum ſufficere, anguſta eſſe claſſibus maria, militibus caſtra, equitibus campos, vixque cælum patêre ſagittis; alii verò potentiam Regis extollentes, timendum eſſe, dixerunt, ne urbes vacuas invenirent, futurum enim eſſe putabant, ut Græci relictis habitationibus, fugam arriperent, domoſque deſertas relinquerent. Demum dum Regem his vocibus nimiâ elatione furentem concitarent, Demaratus Lacedæmonius dixit: Ingens iſta multitudo, quæ tibi placet, ô Rex, valde metuenda eſt, utpote quæ non vires, ſed pondus habet. notum eſt enim illud adagium, Immodica aut nunquam, aut difficulter poſſunt regi, nec diu durare poteſt, quod regi non poteſt. Porrò à tramite veritatis non deflexit. Acciderunt enim omnia, quæ Demaratus prædixerat. Itaque ſtratus per totam Græciam Xerxes, tandem intellexit, ſed ſerò, quantùm ab exercitu turba diſtaret, & tunc pudore, quàm damno miſerior, Demarato gratias egit, quòd ſolus vera nuntiaſſet. Mirum profectò, & penè incredibile dictu, Rex qui tam numeroſo exercitu florebat, per totum quin-

Trog. Pomp. lib. 3.

quennium congregato, quàm multitudinem è ſpecula aſpiciens, ploraſſe fertur, quod nullus ex tot militibus, ſpatio centum annorum eſſet ſuperfuturus, qui navium copiâ totum Helleſpontum operuit. apud Thermopylas tamen à quatuor millibus hominum victus fuit, & qui antea tot maria navibus ſternebat, vix parvâ cymbâ effugere potuit. At tantæ infelicitatis quæ cauſa fuit? blandum conſilium, prava adulatio. rectiùs ſibi conſuluiſſet miſer homo, ſi ſpretis adulationibus, Demarati conſilio aures accommodaſſet. Quonam furore ducebatur Nero, ſævitiæ portentum, ad tot impia facinora perpetranda? quia mentem habebat expertem conſilii, nec vera conſulentes admittebat: exiſtimabat enim iſte miſellus, in tanta potentia, omnia ſibi pro libito licere; propterea neglectis conſiliis, ad nefanda quæque ſcelera præceps ruebat. pulchre Claudianus Principi conſulebat,

Non tibi quod libeat, ſed quod feciſſe decebit
Occurrat, mentemque domet reſpectus honeſti.

Quare operæ pretium duco, ut Princeps pro ſumma rëi ritè adminiſtranda, non adulatoribus aures præbeat, non proprio tantùm ingenio confidat, ſed prudentibus conſiliariis utatur, qui veritatem ſincerè & libere pronuncient; non multis, & phaleratis verbis, ſed paucis, at magni ponderis, ne mentem Principis confundant; non enim debet fieri per plura, quod poteſt fieri per pauciora, & æquè bene. Rex Ageſiläus cùm declamantem audiret, qui ex muſca faceret elephantem, remque nullius ponderis in longum protraheret, indignabundus concione ſe ſubduxit, dicens: Egregium cerdonem, qui tantillo pedi, tam amplum adaptat calceum. Hinc laudari ſolent litteræ

Ariſt. li. 2. phyſic.

teræ Laconicæ, quæ brevi compendio, magnum ſenſum includunt. quarum aliquas poſteritati mandavit ſcriptorum diligentia. Inter quas ſunt illæ Lyſandri ducis,quibus Ephoros certiores reddebat victoriæ de Athenienſibus partæ. litterarum ſeries hæc eſt, Captæ ſunt Athenæ. cui Lacedæmones reſcripſere, Sat eſt capi. En gratus omnium auribus Laconiſmus, & verboſæ deductiones inſipidæ. Philippo Regi de multis ſciſcitanti his verbis reſponderunt, ad id,quod ſcripſiſti,Non. ad prolixam Regis epiſtolam unica ſyllaba reſponderunt, quàm grandibus litteris pinxerant, ut expleret juſtum epiſtolæ ſpatium. iterum Philippo ab eïſdem per epiſtolam petenti, utro modo vellent, ut veniret ad illos, hoſtili, an amico? Laconicâ brevitate reſponderunt, Neutro modo.Julius Cæſar cùm in bello civili Pharnacem primo congreſſu viciſſet, Laconicâ brevitate ad ſuos ſcripſit, Veni, vidi, vici. De Phocione, cujus dicendi vim admiratæ ſunt Athenæ, referunt hiſtorici, quod hic theatro jam pleno, expectatus ut oraret, obambulabat foris cogitabundus, intentus in hoc unum, ut circumcisâ undique oratione, eò ſententiis anguſtior eſſe videretur, quò eſſet anguſtior verbis: ſicque, dum in eum omnes ora tenerent, expectarentque oracula; crebris ipſe ſententiis non tam orare, quàm de cælo in terras velut novus Jupiter tonare & fulgurare videretur. ita planè Conſiliarii cum Principe in rebus feriò gerendis, non verba ventoſa effutiant, ſed pauca; omnia tamen ad ſalutem Principis ſpectantia. hoc verò egregiè præſtabunt, ſi tales exiſtent, quales inſtituebat Rex David, qui velut Argus diligenter exquirebat in toto Regno electos ex millibus, nullâ ſuſpicionis labe in-

Pſ.120. fectos, dicebatque familiaribus, Oculi mëi ad fideles terræ, ut ſedeant mecum, nec unquam adduci potuit, ut ad aulam Regiam admitteret, niſi immaculatos, Ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabit. Si tales, quales præſcribit Ambroſius, Elige tibi Conſiliarios bonos, Deum timentes, & veritatem amantes: ſæpe enim adulatores blandâ facie decipiunt animas audientium, & perpetuæ mortis laquëis interimunt. ſi quales Gregorius inſinuat, nullus fidelior tibi ad conſilium eſſe poteſt, quàm qui non tua, ſed teipſum diligit. ſi quales vidit Joannes; Vidi, inquit, ſedem in cœlo, & in circuitu ſedis ſedilia viginti quatuor, & ſuper thronos viginti quatuor ſeniores ſedentes, circumamicti veſtimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ, in medio ſeniorum ſedebat ſupremus Princeps. Quid hinc? nihil ita potenter Conſiliarios in officio ſuo retinere poteſt, quàm præſentiæ divinæ conſideratio. Stat enim poſt parietem, reſpiciens per cancellos, vias tuas conſiderans, greſſus tuos dinumerans, imperfectum tuum videns, in libro indelebili omnia ſcribens, cuncta aliquando ſtrictè diſcuſſurus. Proinde dicebat Dominus Abrahæ; Ambula coram me, & eſto perfectus. Hebræus legit; Ambula coram me, & eris perfectus. quia ambulatio coram Deo ducit ad perfectionem, ait Caëtanus. Nulla eſt enim efficacior ratio componendi actiones, quàm ambulare ante faciem Principis. hinc Regius propheta; Non eſt Deus in conſpectu ejus. quid inde? Inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore. lectio Hebraïca habet: Parturiunt viæ illius in omni tempore. Siquidem iniquitatis fœtum gerentes ſexcenta parturiunt delicta, & nunquam ceſſant parere. ô magna dementia!

Apoc. c.4.

mentia! Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. at quî fieri potest, ut sit aliquis adeò stultus, ut dicat non esse Deum? cùm ipso naturæ lumine sit notum? non vult absolutè dicere, non esse Deum, sed quod non considerat Deum præsentem, & hoc educitur ex Hebræo; Dixit insipiens in corde suo, non est judex. Psal. 13. Super thronos erant seniores. Quorsum hoc? quoniam omnis gubernatio prudentiam requirit, quæ intra breve tempus comparari non potest. In antiquis enim est sapientia, & in multo tempore prudentia. Erant induti vestimentis albis. Candor, ait Ambrosius, puritatis est symbolum. quoniam vitæ innocentia, Consiliariis summè necessaria. Candor itidem, pacis signum, ut innuat, Consiliarios pacem, non bellum consulere debere, ut imitentur admirabilem Consiliarium, qui semper cogitat ea, quæ pacis sunt. Ego cogito cogitationes pacis, non afflictionis. Coronas aureas in capitibus gerebant. quid hoc? per aurum charitas denotatur, quâ omnes Consiliarios insignitos esse decet, ut non proprii commodi, sed publici boni rationem habeant; charitas enim non quærit quæ sua sunt. Corona autem præ se fert potestatem, quam ministri in suas passiones habere debent, ad Regni tantùm, & Principis salutem respicientes. Proinde omni studio caveant, ne pravo consilio animum Principis inficiant, illum avertentes à tramite justitiæ, quia tunc dissiparent animam prægnantem, & propterea gravi supplicio plectendi. ita comminatur Dominus per os prophetæ; Super tribus sceleribus filiorum Amon, Amos. c. 1. & super quatuor non convertam eum. sed quid, ô bone Deus? nonne dixisti, Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, & vivat? quomodo

modo nunc dicis, Non convertam eum? nonne dixisti; In quacunque hora ingemuerit peccator, omnium peccatorum ejus non recordabor amplius? & nunc dicis, Non convertam eum? nonne dixisti Petro; Non usque septies, sed usque septuagies septies? hoc est, secundùm Augustinum, toties quoties? quomodo non convertam eum? Septuaginta legunt; Super quartum non convertam eum. eò quòd disperdere fecit prægnantem in Galaad. Sensus litteralis est, Amonitæ erant auro ita inhiantes, ut post devictos Galaaditas, trucidarint etiam fœminas eorum prægnantes, ne filios parerent, qui postea acceptæ injuriæ ultores, bona, quæ ab eorum parentibus abstulerant, armis repeterent. hoc autem Deo ita displicuit, ut difficilè adduci potuerit, ut remitteret. Glossa interlinearis per hanc prægnantem, intelligit animam bonis propositis gravidam, adeò ut sensus prophetæ, secundùm expositionem Gregorii sit iste; Qui bonam voluntatem sanctis desideriis plenam, abortum facere studuerit, non solùm futuro, sed præsenti supplicio, dum vivit, est afficiendus. Quod filii Heli experimento probavere. hos enim Deus durissimis pœnis afflixit, quoniam viros pios impediebant, ne Deo offerrent sacrificium. ita habet Sacer textus; Erat peccatum puerorum grande, eò quòd retrahebant homines à sacrificio Domini. & quid est hoc, nisi ex parte nostra dominium Deî coarctare? sicut econtrà, qui convertit animam, dilatat quodammodo ejus dominium. ita exponere solent Patres verba illa; Magnificat anima mea Dominum: non dixit Deum, sed Dominum. quia cùm quis animam, vel verbo, vel exemplo, ad meliorem frugem reducit; tunc facit Deum, majorem

jorem quidem Dominum, ſed non majorem Deum. quod quidem præclariſſimum opus eſt. Et quid glorioſum magis, quàm oves errantes ad ſinum Dei perducere? Qui autem abducit oves, non ſolùm grande ſcelus perpetrat, ſed quantum eſt ex ſe, conatur minuere divinum imperium. Vera itaque conſulentes audiat Princeps, non adulatores propria commoda procurantes, qui Regnum, & Regem periculis exponunt, tanquam alienæ ſalutis proditores, quales fuere Conſiliarii Saul contra David, de quibus conqueritur, Quare audis verba hominum loquentium, David quærit malum adverſùm te? quales fuerunt miniſtri Achab Regis Iſraël, qui conſulebant ei, ut aſcenderet in Ramoth Galaad, & deceperunt eum. ſolus autem Michæas è ſincero pectore vera deprompſit, ſed non audita; idcirco in ipſo prælio fuit Achab miſere interfectus. ſed pro dolor! quis noſtrâ hac tempeſtate invenitur, qui ſincerè & fideliter loquatur? Multi quidem ſunt inter Placentiam, & Laudem, ſed pauci pergunt Veronam. Porrò paucos illos, qui puram propinant veritatem, foveat Princeps, honoribus complectatur, cumulet beneficiis; ſiquidem ingenua libertas, non ſolùm æquo animo ferenda eſt, ſed etiam lætanter recipienda, tanquam certiſſima Regnorum cuſtodia. Rogatus olim ab amico quodam divinus Plato, quodnam ei acceptum obſequium præſtare poſſet? Si quidquid, ait, in me vitioſum videris, liberrimè arguas. hoc idem apud Apellem in more poſitum erat: quidquid enim pingebat, omnium oculis expoſitum volebat, ut tranſeuntes, ſi quod deprehendiſſent erratum, libere aperirent. Hujus ſententiæ erat Alexander Macedo, is enim à familia ſervum ablegavit, quia duodecim anno-

1 Reg. c. 24.

3 Reg. c. 22.

Plin. lib. 31, c. 10.

annorum ſpatio, quibus cum eo commoratus fuit, nullum in Rege vitium deprehendiſſet, quod repræhenderet. hinc diſcant Principes, moderatam dicendi libertatem æquo animo pati. pungit interdum, fateor, ſed cognito deinde veritatis nucleo, ſalutarem aculeum ſuſtinebunt. Aculeatus enim ſermo, modò ſale modeſtiæ ſit aſperſus, non mordet, ſed oblectat Principem. Porrò ſi veritas ſuapte naturâ eſt tam admirabilis & amabilis, cur adeò moleſtè à Principibus audiri ſolet? quia proprias animi maculas non percipiunt, quò fit, ut difficiliùs curentur animi ægritudines, quàm corporis, quia mala corporis ex pulſibus arteriarum, & vultûs pallore deprehenduntur, at animi mala hujuſmodi ſignis non ſe produnt, & propterea pleroſque ita fallunt, ut etiam pro malis non habeantur. Hinc fit, ut febrim nemo ſanitatem dixerit, nec tabem quis appellaverit bonam corporis habitudinem; at vitiis ſæpe virtutum nomina imponuntur, & hanc ſanè ob cauſſam, corpore ægroti medicos quamprimum accerſunt, animo autem ægri, etiam oblatam medicinam reſpuunt. quid dico reſpuunt? hoſtem arbitrantur, qui medicinam offert. radii Solis cùm vitrum feriunt, ignem in eo non accendunt, quia ibi non ſiſtunt, at verò in ſpeculo reflectentes, ſtatim ignem concipiunt, quando ulteriùs non progredientes, ibi detinentur, & reflectuntur; ſic conſilia non proficiunt, quia Principes vel negligunt vel non raro rejiciunt; blanda autem colloquia libenter audiunt, & illis inſiſtunt, quid mirum ſi mores eorum corrumpuntur, & Regnum diſſipatur? amara, non inficior, primo in limine veritas; at ſi innoteſcat, nihil ſuavius, dicebat Lactantius. Sed quomodo veritas dulcis, & amara? aureâ diſtin-

Lact. li. 1 div. inſtit.

ctione satisfacit Divus Bonaventura. Duplex est effectus veritatis; primus est illuminare, hoc pacto nullus odit veritatem, omnes enim naturaliter illuminari desiderant; alter effectus est arguere, sic mali oderunt veritatem, & illis videtur amara. quod exemplis divinis comprobatur. Isaias veritatis gratiâ in duas partes sectus occubuit. Hieremias pro veritate lapidibus obrutus est. Daniel leonibus deputatus fuit. Joannes Baptista quare in vinculis positus, & capite truncatus? quia arguebat Herodem Joannes. Cur Divus Paulus tot calamitates passus? quia veritatis præco in universo mundo. Factus sum vobis inimicus verum dicens. Nec desunt ex philosophis exempla. Bonav. in prol. 1 sent.

Anaxagoras apud Athenienses reus factus est, quia dixit Solem esse quidem lampadem ardentem, non tamen esse Deum. Socrates cur veneno periit? propter veritatis patrocinium. Cicero quartum & sexagesimum annum agens, jussu Marci Antonii, propter Philippicas, quas contra eum scripserat, capite & dextrâ tuncatus est. Monitos tamen Consiliarios velim, ut in aperienda Principi veritate, modum adhibeant, ne in scopulos immodicæ libertatis incidentes, misere naufragium patiantur, non enim dentata, ut mordeat; sed simplex, ut prosit, debet esse veritas. Siquidem valde periculosum est, vellicare leonem, & suadere Principi quod oportet, multi laboris. Tac. li. 1 hist.

Neronis odium, scribit Cornelius, adversùs Vestinum, ex intima sodalitate cœperat, dum hic, ignaviam Principis penitus cognitam despicit, ille ferociam amici metuit, sæpe asperis facetiis illusus, quæ ubi multum ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt. igitur non crimine, Tac. lib. 15 hist.

non

non accuſatore exiſtente, quia ſpeciem judicii induere non poterat, ad vim dominationis converſus, Gerelanum Tribunum cum cohorte militum immittit, jubet prævenire conatûs Conſulis. Quid plura? miſero abſcinduntur venæ. vigens adhuc balneo infertur, calida aqua verſatur, nullâ editâ voce, quâ ſemet miſeraretur. at, ô Veſtine, quantò prudentius egiſſes, ſi cùm ſecunda fortuna utebaris, res Principum ſilentio premere noviſſes. Sciant experimento compertum, quomodo peſſimis Imperatoribus ſine fine dominationem, ita quamvis egregiis, modum libertatis placere. Cùm quiſpiam interrogaretur, quid tutum eſſet viro libere agenti cum Principe? Obſequium, reſpondit, nec inepté. deinde, quid periculoſum? Conſilium. ubi enim res malè cadit, ibi conſilii auctor improbatur. Siquidem hæc eſt conditio Regum, ut caſûs tantùm adverſos hominibus tribuant, ſecundos fortunæ ſuæ. Quare, ut eſt apud Plautum, plus oportet ſcire ſubditum, quàm loqui. Valde enim periculoſum eſt, noſſe magnatum arcana, quorum ſiquid effutias, actum de capite, & ſolent odiſſe conſcios eorum, quæ nolunt efferri. Proinde Lacydes Cirenæus, plurimis promiſſis accerſitus ab Attalo Rege, ut in ſuam amicitiam, & Regni ſocietatem veniret, reſpondit, Se Regi ingentem habere gratiam, nègavit tamen ſe venturum, eò quòd philoſophi à Regibus, ut picturæ, & imagines eminus, non cominus ſunt videndæ. ita conſulebat philoſophus, ad Principem accedendum eſt, ſicut ad ignem, nec nimis prope, ne uraris; nec longiùs, ne frigeas. Eatenus veritas colenda, ut nimiam libertatem, quæ ſemper exitioſa fuit, prudenter reſcindant, ita tamen, ut prudentiâ comite, nec ad ſiniſtram

Tac. lib. 4 hiſt.

foediſſi-

fœdiſſimæ adulationis, neque ad dexteram immodicæ libertatis flectantur. ita enim, Deo propitio, multa evitabunt pericula, prudentiores effecti improbè loquentium exemplis. In primis occurrat Caliſthenes, qui ob nimiam dicendi libertatem, ad exitium ruit, quod multò antè prædixerat Ariſtoteles, Homerico carmine quaſi divinans, Laërt. lî. 5. c. 5.

Talia nate loquens, haud multo tempore vives.

Scribit enim Valerius, quod cum Ariſtoteles mitteret Caliſthenem auditorem ſuum, ad Alexandrum Regem, monuit, ut ei aut nunquam loqueretur, aut jucundiſſimè, ut apud Regias aures vel ſilentio eſſet tutior, vel ſermone acceptior, ſed quia conſilio non acquievit, juſſu Alexandri occiſus eſt. Val. lib. 7.

Seneca, vir omnium ſæculorum memoriâ dignus, ob nimiam carpendi libertatem, extremum clauſit diem infeliciter. Porrectis enim utriuſque brachii venis, cruorem effundere juſſit Imperator. Quorſum autem? objiciebant criminatores, eum oblectamentis Principis palàm iniquum detrectarè, vim ejus equos regentis, illudere voces, quoties caneret, cùm in Senatu de Agrippina referretur, cæterorum adulationes abhorrentem, de Senatu egreſſum fuiſſe. & ut breviùs agatur, apud Neronem delatum fuit, quod cuncta, quæ diceret, faceretque Seneca, Stoïcæ ſectæ libertatem præ ſe ferrent, quæ omnia Principibus inviſa. Tac. lib. 14 annal.

Prexaſpes unus ex Regni primariis, Cambyſem Regem monuit, ut parcius biberet, turpem rem eſſe dicens, ebrietatem in Rege, quem oculi omnium, aureſque ſequerentur. At quem fructum collegit ex intempeſtiva objurgatione? omnino infelicem. quem ita deſcribit Herodotus, pulchre Sen. de clem.

Herod. lib. 3. quidem & exactè. Cambyſes Prexaſpem Perſam, quem præcipuo honore proſequebatur, interrogavit, Quemnam virum, Perſæ me eſſe judicant? aut qualem de me ſermonem habent? Domine, reſpondit, cætera quidem omnia in te laudibus magnis ferunt, ſed nimis te vino deditum, ajunt eſſe. Quibus ille indignatus, Siccine, inquit, Perſæ ajunt me vino deditum deſipere, nec mentis eſſe compotem? tunc intelliges, an Perſæ vera dicant, an potiùs hæc dicentes, ipſi deſipiant: nam ſi filii tui, qui in veſtibulo ſtat, medium cor non fruſtrato ictu percuſſero, conſtabit nihil eſſe, quod Perſæ dicunt; ſi aberravero, conſtabit Perſas vera loqui, & me eſſe intemperantem. hæc locutus intendit arcum, mox vertens ſe ad patrem, dixit; Ad hoc, ut ſcias amice, quemadmodum nunquam excidam mihi, jam approbabo, & oculos poſt vinum in officio eſſe, & manûs, bibit deinde liberaliùs, quàm aliàs, capacioribus ſcyphis, & jam gravis, & vinolentus, ac violentus, jubet filium procedere ultra limen, allevatâque ſuper caput ſiniſtrâ manu, ſtare, tunc arrepto jam arcu, & ſagittâ emiſſâ puerum percuſſit, atque eum collapſum, juſſit diſcindi, & inſpici ictum, cúmque in corde ſagitta eſſet inventa, ob id lætabundus, atque cachinnans, ad patrem pueri inquit, Prexaſpes facta eſt tibi fides, non me inſanire, ſed Perſas. Verùm nunc mihi dicito, quemnam ex omnibus hominibus noſti, ita ad deſtinatum emittere ſagittam? Prexaſpes hominem advertens eſſe veſanum, & in ipſum quoque inſanientem; reſpondit miſer, Nec Apollinem certiùs jaculari potuiſſe. En imprudens, & importuna objurgatio in quas ruinas præceps ruat. is qui nuper ebrietatem Regis, ita libere arguebat, paulò

paulò pòſt ſuimet oblitus, infandum homicidium comprobavit.

Quid de Harpago dicemus? imprudens iſte homo, idem quoque Regi ſuo Perſarum ſuaſit, quo audito, ſtatim Rex magnâ indignatione furens, carnes filiorum in cœna appoſuit, quibus miſellus pater, tanquam epulis jucundis paſtus eſt; deinde, ut agnoſceret, quibus cibis ſtomachus eſſet onuſtus, ſtatim juſſit afferri caput, manûs, & pedes, & quomodo eſſet acceptum interrogavit? tunc miſer ait, Apud Regem omnis cœna jucunda eſt. Ecce quid pariat intempeſtiva libertas.

Clitus Alexandro familiaris cur ab ipſo inter pocula occiſus? ob nimiam carpendi libertatem. non igitur ſatyricè, neque lyricè, cum Principe agatur, ſed fideliter, & ſinceré. Planè ſicut fœdum eſt, dum placere ſtudes, in adulationem incidere, ita prorſus fœdum, dum adulationem vites, immodicâ libertate gratiam amicitiæ, ſimulque medendi perdere utilitatem. Ecquid ineptius eſſe poteſt, quàm in illum dicere, & ſcribere qui poteſt proſcribere? Quid itaque agendum? Præclaram hiſtoriam Nathani Prophetæ ſtudioſè legant, & ſedulò obſervent Conſiliarii, illinc abunde haurient, quomodo Principi ſit aperienda veritas. Propheta itaque aulam Regis ingreſſus ita ſermoni viam paravit, intolerabilis planè caſus contigit in Regno; Domine mi Rex, duo viri erant in civitate, unus dives, & alter pauper; dives habebat oves plurimas valde; pauper autem nihil habebat omnino, præter ovem unam parvulam, quæ creverat apud eum, cum filiis ejus ſimul, de pane illius edens, & in ſinu illius dormiens. cùm autem peregrinus quidam veniſſet ad divitem, nolens ille ſumere de ovibus ſuis,

Q. Curt. lib. 8.

tulit ovem viri pauperis, & præparavit cibum homini qui venerat ad se: pro tanto igitur scelere, quâ pœnâ afficiendus? tunc Rex acerbo illo casu perculsus, indignatione furens, ait, Filius mortis est vir qui fecit hoc. Porrò Nathan his auditis à Rege, volens eum propriis verbis condemnare, ait, Tu es ille vir, qui fecisti rem hanc; tunc David videns se irretitum, & proprio ore condemnatum, oculis ad cælum sublatis, & genibus in terram curvatis, plorans exclamavit; Peccavi, peccavi Domine. En quomodo veritas profuit, sed tempore opportuno prolata; si rigido verborum impetu, in eum irruisset, nil procul dubio profecisset. Prudentia itaque humanæ vitæ lux & dux, in rebus omnibus observanda. hæc enim, quæ agenda sunt, & quæ omittenda opportunè demonstrabit. hæc si ad gubernaculum sedebit, perturbatas etiam procellas, prospere & tutò diriget cursum, quasi inclamando, Inanes inanes minæ. hac verò destitutus fluctuabit Consiliarius, non minùs quàm sine rectore navis huc atque illuc tempestate agitata. hæc denique rebus gerendis describit modum, sine quo summa rerum in exitium ruit.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra, citraque, nequit consistere rectum.

Summa itaque vis prudentiæ in eo sita est, ajunt veri Politici, ut Principis ingenium in primis cognoscatur. Quemadmodum enim, præcipuæ sunt nautarum partes, sidera & ventos nosse; quoniam his cognitis, haud erit difficile, gubernaculum regere, vela expandere, ipsáve contrahere, quo sibi loco ac tempore jaciendæ sint anchoræ, aut tollendæ, quæ stationes capiendæ, qui scopuli vitandi; ita Consiliarius Principum mores debet

exactè

exactè cognoſcere. ſi Principis ingenium turbidum invenies, tunc nautas imitare, qui exortâ tempeſtate, turbatoque cælo, tantiſper mutatâ velificatione, furentibus ventis obſecundant, donec ad opportunam aliquam ſtationem, navim appellant, quaſi inclament, Flectimur, non frangimur. Quid ſi nunquam mare tranquillum? Quid ſi ſemper Principis ingenium veritatem implacabili odio proſequatur? tuæ ſaluti debes conſulere. ſicut enim mari, quod navigabile, ac pervium non eſt, noſmet, & res noſtras, committere non audemus; ita profectò, nec hujuſmodi animis veritatem committendam puto. Porrò ſi Principis ingenium placidum reperies, tunc non erit periculum proferre veritatem, modò ſit prudens, & opportuno tempore collata; quam quidem Principes, ſi diuturna volunt imperia, benignè excipiant, & ipſos veritatis propinatores honoribus ac beneficiis cumulent, tanquam firmiſſimos Regnorum cuſtodes.

Bellipotens Princeps armis ſtipatus utrinque,
Milite, divitiis, robore, præſidiis.
Non tamen in Regno tutus, non mænia firma,
Sit niſi cum Marte Palladis auxilium.

Caput XI.

Princeps, tanquam pater, imponat Populis onera discreta. Et erit in pace locus ejus.

SÆPIUS mente revolvat Princeps, quod à supremo omnium Rege in excelso dignitatis fastigio est constitutus, tanquam pater populi, publicus & communis. Proinde tenetur subditos, ut filios fovere, diligere, & dirigere. Est dispensator publicorum bonorum, idcircò cavere debet, nè aliquid ex eis usurpet; in propriúmque usum convertat. Est curæ & bono alterius destinatus, ideo proprio commodo alterius bonum tenetur præferre. Perpendat denique, præcipuum Imperii robur esse, amorem civium, & longè meliùs benignitate, & præmiis, quàm nimiâ severitate, & pœnis ingenuos
Prov. c. 20. viros gubernari. ita attestante sapientissimo Rege, Roboratur clementiâ thronus ejus. Hinc Xe-
Xenoph. lib. 8. nophon introducit Cyrum sic loquentem, Non aureum istud sceptrum est, quod regnum custodit, sed amicorum copia. hæc autem paratur beneficentiâ Principis. errant planè, qui beneficia conferendo regna enervari putant. testis est Alphonsus Rex Siciliæ, vir liberalitatis gloriâ insignis. Cùm à suis interrogaretur, quid servaret sibi, qui tam multis, tam multa donaret? respondit, Ea ipsa, quæ dono. egregia vox tanto Principe digna, Perinde, ac si diceret, opes bonis viris collatæ, sunt firmissimum robur Imperii, atque inexhaustum totius Reipublicæ ærarium. melius enim beneficiis imperium custoditur, quàm armis. si

Galba

Galba homo ſuæ pecuniæ parcus, publicæ avarus, ſuis militibus donativum exſolviſſet, fortè nec imperio, neque vitâ privatus fuiſſet. Conſtat, inquit Tacitus, potuiſſe conciliari animos, quantulâcunque parci ſenis liberalitate. Non timeat igitur Princeps regnum exhaurire; cùm donat, non amittit, ſed deponit. docuit id egregiè Alexander Magnus. cùm enim omnia amicis donaſſet, & jam ferè omnes Regias opes abſumpſiſſet, tum Perdiccas unus ex ejus intimis, Quid tibi Rex, inquit, jam ſupereſt? Spes, reſpondit. Noverat enim, ſi res poſtulabat, quo ex fonte, quæ per liberalitatem erogârat, eodem propter benevolentiam, poſſet ad ſe redire. O miram Principis benignitatem, qui populis proſpiciebat, ſicut pater filiis. Proinde Cyrus bonum Regem paſtori comparabat, & pulchre quidem. Nam ſicut paſtor die noctuque ſollicitat, ut ovibus congruentia paſcua inveniat, ita & Rex ſaluti populorum invigilare debet. ſic Valentinus, & Martianus Imperatores reſcripſere, Humanitatis noſtræ eſt, egenis proſpicere, ac dare operam, ut pauperibus alimenta non deſint. Huc ſpectat perbellè, quod in ſacris litteris memoriæ proditum eſt. Rogabant populi Principem quendam, ut ipſis imperaret. at hic propriæ inopiæ conſcius; In domo mea, ait, non eſt panis, neque veſtimentum, nolite me conſtituere Principem populi. quaſi inſinuare volens, illum non debere Imperii ſceptrum ſuſcipere, qui non valet, vel negligit ſubditos ſublevare alimento. Improbi ſanè Principes cenſendi, qui in Imperio, non niſi imperium cogitant, & qui ſe non civibus datos arbitrantur, ſed ſibi cives, Nam ſicut ſidera ſplendorem habent, ſic tamen, ut uſibus

Tac. lib. hiſtor.

mortalium deserviant, ita Principes dignitatem quidem habent, sed cum munere, officioque devinctam. Collata est in sinum vestrum à Deo hominibusque respublica, sed nempe in sinum, ut foveatur. O verè prædicandum Principem, qui duas res diversissimas, potentiam & modestiam, indivisibili nexu connectit. Quem prodeuntem, certatim velut beneficum, & salutare quoddam numen aspiciunt, inter amorem timoremque medii, & alternis judiciis ambigentes, dominum salutent, an patrem. subditi enim re verâ fratres, & filii sunt, non servi. hujus reï præclarum est testimonium, Alcamenes Teletri filius. Is enim, cuidam percunctanti, quo pacto imperans, Regnum diu servare posset? Si lucrum, respondit, non magnifecerit, & subditorum commodis enixè studuerit. Vespasianus pro insigni publico gestavit delphinum anchoræ alligatum, quo significaret, totum se esse ad boni publici conservationem: nam cùm nautæ in tempestatibus marinis anchoram jaciunt, illi circumplicatur, quò tenaciùs hæreat, ac navim in undis firmet; sic Princeps reïpublicæ statum incolumem ut servet, toto studio elaborare debet. ad hanc rem pulchre Alciatus,

Titanii quoties conturbant æquora fratres,
Tum miseros nautas anchora jacta juvat.
Hanc pius ergà homines delphin complectitur, imis
Tutius ut possit figier illa vadis.
Quàm decet hæc memores gestare insignia Reges,
Anchora quod nautis, se populo esse suo.

Ita prorsus sentiebat Artaxerxes, cognomento Longimanus, quòd alteram manum habebat longiorem, is dicere solebat, Regaliùs est addere, quàm adimere. Et Ptolemæus Lagi filius dicebat; Convenientius est Principi ditare, quàm ditari.

hoc

hoc eſt enim Principis munus, opes eorum, quibus imperat, augere potiùs, quàm minuere, ipſoſque non onerare, ſed exonerare. Fiſcus enim bonorum Principum, non ſubditorum damnis, ſed hoſtium ſpoliis debet augeri, & apud Principem plùs juſtitia quàm licentia valeat. Sed, proh dolor! tanta eſt, apud quamplurimos, dominandi libido, & auri coacervandi cupiditas, ut omne ſtudium conferant, non ad paſcendos populos, ſed ad ipſos opprimendos, vel potiùs deglutiendos, de quibus conqueritur Dominus; Væ paſtoribus Ezech. 32.
Iſraël, qui paſcunt ſemetipſos. nonne greges paſcuntur a paſtoribus? Lac comedebatis, & lanis operiebamini; quod craſſum erat, occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis; quod infirmum fuit non conſolidaſtis, quod ægrotum non ſanaſtis, quod confractum non alligaſtis, quod abjectum non reduxiſtis, quod perierat, non quæſiſtis, Quo fit, ut populi nimis onerati à Principe interdum deficiant. aſpera enim vox eſt auribus, & animis infeſta, avida tributorum exactio. quod perſpicuè divino oraculo comprobatur. Mortuo enim Salomone, Regno potitus eſt 3 Reg. 22.
Roboam, tanti Regis hæres & filius, natu majores Iſraël miſſi ſunt legati ad Regem, rogantes, ut onus tributorum, quod grave nimis eſſe ſentiebant, levius redderetur. Pater tuus (dixerunt) duriſſimum jugum impoſuit nobis, tu imminue paululum de imperio patris tui duriſſimo, & de jugo graviſſimo, quod impoſuit nobis, & ſerviemus tibi. Remiſit nuntios, tres dies poſtulans ſibi dari ad reſpondendum, quo tranſacto tempore, rediêre legati, ut reſponſionem acciperent: tunc Rex, ſenum neglecto conſilio, juvenumque ſecutus ſententiam, ita reſpondit eis: Pater meus

aggravavit jugum veſtrum, ego autem addam. Pater meus cecîdit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus. Aſperâ hac reſponſione indignatus populus, Regem Roboamum recuſavit, & mox novum Regem ſibi conſtituit. tanti valet ad conciliandos animos annonæ copia, ex vigilantia Principis proveniens. Vera eſt enim Philoſophi moralis ſententia, Nullâ ratione ducitur, nullâ æquitate mitigatur, nec ullâ prece flectitur populus eſuriens. Hoc autem non ignorabat Auguſtus Cæſar, qui ad firmandum Imperium populum pellexit annonæ copiâ. de quo pulchre

Tac. lib. 1 annal. Tacitus his verbis: Ubi militem donis, populum annonâ, cunctos dulcedine otii pellexit, inſurgere paulatim, munia Senatûs, magiſtratuum, legumque in ſe trahere, nullo adverſante. Habeant ergo pro conſtanti dominantes, quod tunc fortuna Principis maximè nutat, cùm ingraveſcit annona. ſic atteſtante Poëta,

Neſcit plebs jejuna timere.

Porrò hos ſcopulos facilè evitabit Princeps, ſi præcavens in futurum, Patriarcham Joſephum, & Severum Imperatorem pro viribus imitabitur ille tantam frumenti copiam in horrea Pharaonis conportari juſſit, ut ea non modò Ægyptii, ſed & finitimi populi, ſæviente annonâ, mirum in modum ſublevati ſint. Imperatori autem tantæ curæ fuit annona, ut cùm è vita diſceſſit, reliquerit in horrëis publicis frumentum, quod ſeptum annos populum Romanum abunde alere potuiſſet. Hos Principes tibi magiſtros conſtitue, & tunc gratiam invenies coram oculis omnium. ex hoc æquitatis fonte potarunt Tiberius, & Marcus Aurelius Imperatores, quos quidem, hoc præſertim titulo, celebrat antiquitas. ille præſidibus

bus ſuadentibus, onerandas tributo provincias, ita reſcripſit: Boni paſtoris officium eſt, tondere pecus non deglubere. idem ferme protulit & Alexander. Cùm enim quidam diceret, civitates ſubjectas majora poſſe pendere tributa, ſapienter admodum reſpondit: Olitorem odi, qui radicitus evellit olera; ac ſi dixiſſet, pennæ non ſunt adeò incidendæ, ut nequeant renaſci; quia qui nimis emungit, elicit ſanguinem. juſtitia namque ſervanda eſt geometrica, non autem arithmetica. juſtum verò eſt illud ab omnibus conceſſum, ut qui majoribus præditi ſunt facultatibus, magis ſolvant, quàm qui minus habent. Cæterùm de Marco Aurelio monimentum legimus æternitate dignum, huic rëi ſatis accommodatum. hic etenim in expeditione Marcomanica ſuam ſuppellectilem auream, argenteam, criſtallinamque, picturas, gemmas, & quicquid pretioſum à ſuis majoribus coacervatum fuerat, voce præconis vænire maluit, ut ex earum rerum pretio milites alerentur, quàm provincias plus æquo onerari. ſed quid? Alexander Magnus, cùm audiret milites ſui exercitûs ære alieno eſſe oppreſſos, nonne publico edicto evulgari fecit, ut quotquot eſſent creditores, chirographo oſtenſo, dè proprio ejus ærario ſolutionem acciperent? Verùm tam creditores, quàm debitores, parvam fidem verbis Regis adhibentes, nullus pro ſolutione pecuniam expoſtulavit. Quod Alexander animadvertens in publico foro ante fores palatii, menſas præcepit parari, in quibus decem millia talentorum poſita fuere, tuncque confeſtim omnes certatim adierunt, ut Regiâ liberalitate fruerentur. qua benignitate omnium animos ſibi conciliabat.

Franc. Sen. lib. de inſtit. Reip.

Cicer. epiſt. 2 ad Attic.

Prov. c. 30.

Plut. in apopht. Imper. Nec silentio prætereundus Rex Darius, is enim cùm tributa imponeret subditis, proceres provinciarum evocatos interrogabat, an ea essent gravia? Cúmque responderent, valde mediocria esse, dimidium ejus, quod proposuerat, singulos pendere jubebat. aliis Principibus relinquens exemplum, non tributis & exactionibus populos opprimere, sed tanquam patres mansuetudine, ac clementiâ gubernare. sic enim vincuntur, ac vinciuntur subditorum animi.

Ad hanc rem optimè facit, quod Hosinus historicus narrat de Agesilao Rege; is enim, cùm Apellem ægrotantem visitasset, pulvinar surrigere fingens decumbentis cervici, cautè aurum supposuit. non multò post Regis discessum, adveniens puer, amoto pulvinari, dum lectulum sternere vellet, aurum reperiens, exclamavit, Vide domine, quid in lectulo tuo invenerim: at Apelles silentium eï indicens ait, hoc est furtum Regis. mox intulit puer, Quid? benignitate motus voluit tuæ inopiæ subvenire, & furtum dicis? tunc Apelles, Optimè dixi, quia Rex hoc munere cor meum furatus est, & perpetuò me sibi addixit. Sciebat nimirum Agesilaüs, multò præclarius esse, alios ditare, quàm ditari; & nihil esse gloriosius, quàm beneficium apud bonos viros depositum. siquidem, sicut hamo piscatores capiunt pisces, ita principes beneficio capiunt homines. Quid enim aliud est Principis donum, nisi veluti quoddam servitutis vinculum? & quasi catena aurea, qua irretitur beneficio affectus? hoc probè noverant exploratores, idcirco dixerunt ad Raab, Iosue. c. 2. In fenestra, per quam demisisti nos, Septuaginta legunt; Per quam ligasti nos: lectio Hebraïca habet; Per quam concatenasti nos. quasi dicerent; benefi-

beneficium quod à te accepimus, concatenavit nos. Hinc in dubium verti ſolet, uter in liberalitate magis eſſet laudandus, an capiens, an largiens? hic non libertatis, ſed reï tantùm poſſeſſionem amittit. ille vero ſui juris libertatem perdit. Quod quidem probè noverat caſtiſſimus Joſephus. Cùm enim uxor Potipharis, à pulcherrimo adoleſcente enixè poſtularet, ut ſuæ libidinis voluptatem expleret, reſpondit, Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo ſua, nec quidquam eſt, quod in mea non ſit poteſtate, præter te, quæ uxor ejus es, Quomodo ergo poſſum hoc malum facere? & peccare in Dominum meum? non dixit, quomodo malum hoc faciam? ſed Quomodo poſſum hoc malum facere? quia beneficia ſunt compedes aureï, quibus homines adſtringuntur. Gen. 39.

Non tamen onera quæque improbo, nec enim me latet ob labores, qui in republica gubernanda neceſſariò perferuntur, imponi debere: nam, nec quies gentium ſine armis, nec arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt. Sunt enim pecuniæ rerum gerendarum nervi. Scio itidem Neronis cuncta vectigalia omitti jubentis, impetum repreſſum à Senatoribus, diſſolutionem Imperii docendo, ſi fructûs, quibus reſpublica ſuſtinetur, minuerentur. ſiquidem tributa ornamenta pacis ſunt, & ſubſidia belli. Hinc dicebat Dominus, Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo. non dixit, date; ſed reddite. Reddere actus eſt juſtitiæ; dare vero ſpontaneæ voluntatis, etiamſi nullum præceſſerit debitum: at in omni debito ſolvendo eſt reddere, quia nullum debitum cauſatur,

nisi ex accepto; idcirco potius dixit, Reddite, quàm date. Deo quidem debemus omnia, cùm ab eo omne donum profluat. Principibus autem debemus tributa, quia ab ëis defensionem, tranquillitatem, & alia bona suscipimus. Reddendum est ergo Cæsari, quod ad Principis jus pertinet: jus autem Regis est, ut alatur à Regno, & quidem in pompa regali, & ad bella gerenda, & ad pacem conservandam. hinc census, vectigalia, tributa legitimè à Rege exiguntur, & necessario à populo fideli solvuntur. propterea Paulus ait,
Rom. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. non dicit autem, Reddite Cæsari quæcunque petit; sed, reddite, quæ illius sunt. nam ubi Princeps à nobis aliquid petit, per quod in offensam Dei incurrimus, id non esset Cæsaris, sed diaboli tributum. quamobrem nec præstare debemus. oportet enim magis Deo obedire, quàm hominibus. Proinde mox subjecit, Reddite quæ sunt Dëi, Deo. Principibus fidelis esse debes, sed Deo longè magis, ut pulchre os aureum docet,
Homil. 71 in Matth. Tu verò cum audias reddenda esse Cæsari, quæ sua sunt, illa solùm dici non dubites, quæ pietati, ac religioni nihil officiunt. Nam quod fidëi, ac virtuti obest, non Cæsaris, sed diaboli tributum, & vectigal est. huic sententiæ accedit Eusebius dicens: Non dicit Dominus, Reddite Cæsari omnia, sed quæ sunt Cæsaris; non constituit Deus magistratum, ut pro suo arbitrio, ac libidine expilaret subjectos, sed ut ab illis moderatè exigeret, quæ ad rempublicam honestè gubernandam spectarent. sicut Deus auctoritatem regendi populum dedit magistratui, ita vicissim magistratus debet Deo, & Ecclesiæ Romanæ ejus sponsæ omnem obedientiam. Et sicut Romana

Eccle-

Ecclesia docet, populum Christianum magistratui debere esse subjectum; ita & ipse, qui non sine causa gladium portat, debet Ecclesiam defendere, ac subditos suos ad ejus obedientiam compellere; sicque mutuas sibi invicem præstare debent operas, ut expleatur illud, reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dëi, Deo. Paulus ad Cæsarem appellans, reddit Cæsari, quæ erant Cæsaris, ejus supremo tribunali se subjiciens; sed idem Paulus Romæ Euangelium prædicans, & à deorum cultu, quos Cæsar colebat, omnes quos potuit, abducens, reddidit Deo, quæ erant Dëi, ejus fidem defendens, & dilatans. Petrus docens Regem honorificandum, ëique tanquam præcellenti obediendum, reddidit Cæsari, quæ erant Cæsaris; sed idem, Principibus fidëi prædicationem interdicentibus, respondens; Obedire oportet Deo, magis quàm hominibus, reddidit Deo, quæ sunt Dëi. pulchre Augustinus. Si aliquid Proconsul jubeat, & aliud jubeat Imperator, cui obediendum? illo contempto, Imperatori obsequendum; ergo si aliud Imperator, aliud Deus; quid agendum? majori serviendum. tributa solvanda. obsequia præstanda. da veniam Imperator, tu carcerem, ille gehennam minatur. hanc distinctionem docuit Christus apertè; Nolite, inquit, timere eos, qui corpus occidere possunt, & postea non habent, quod agant: ostendam autem vobis, quem timeatis; timete eum, qui postquam occiderit corpus, habet potestatem mittere in gehennam. at dicet aliquis, nonnne Apostolus dicit; Si malum feceris, time potestatem; non enim frustra gladium portat. an discipulus contrarius magistro? nequaquam. Sed loquitur Apostolus de iis, quæ sunt Cæsaris, quæ si illi non reddantur,

meritò

merito timendus Cæſar, timenda poteſtas. Loquitur autem Chriſtus de iis, quæ Dei ſunt, quæ ſi Deo reddimus, ſi fidem, ſi pietatem, ſi virtutem colimus, & hæc Cæſari diſplicent, ſuiſque legibus hæc interdicit, hîc non eſt timendus Cæſar, ſed eſt timendus Deus. hanc diſtinctionem Euangelicam primus Imperator Chriſtianus Conſtantinus Magnus probè tenuit, cùm ſic ad Epiſcopos loqueretur. Ego quidem communis ſum Epiſcopus, ſed vos eorum, quæ ſunt in Eccleſia, ego eorum quæ extra ſunt, à Deo conſtitutus Epiſcopus, hoc eſt, ſuperintendens. Poteſtati ergo debemus, ſed magis Deo. Non omnes itaque exactiones improbo, ſed nimis oneroſas, quarum hodie tanta eſt moles, ut ea homines obruti vix ſeſe attollere, atque erigere queant. vetus eſt adagium uſu comprobatum, Ne quid nimis. Quocirca à Principe extrema ſunt vitanda, & vetanda: quod enim extra medium exiſtit, & turpe, & nocens eſt. Quapropter cùm eſſet admonitus Trajanus Imperator à Pompeja uxore, quod in Regno haberet miniſtros nimiùm rapaces, qui provinciales calumniis expilabant, quorum unus ex primariis, unumquemque divitem ſic convenire ſolebat, Quid habes? Unde habes? pone quod habes. improbas ac turpes hujuſmodi exactiones ægre ferens pius Princeps, ſtatim adhibitis pœnis ejuſmodi exactiones cohibuit, adjiciens hæc verba omnibus ſæculis laudanda, nimirum, Fiſcum eſſe lienem, quo creſcente reliqui artus contabeſcunt. & appoſitè quidem. quoniam ſicut lien multum ſuccum, qui ad corporis alimentum tranſire deberet, non rarò ad ſe trahens, totum corpus macie, taboque conſumit; ſic planè ex fiſco civium opibus tumeſcente,

Euſeb. de vita Conſt. li. 4. c. 24.

univerſa

universa Respublica insanabili morbo contabescit. ut graphicè expressit Alciatus, Embl. 146.

Splene aucto, reliqui tabescunt corporis artûs,
Fisco aucto, arguitur civica pauperies.

Sentiebat quippe optimus Princeps, iniquum esse, sic explere fiscum unius, ut nihil habeant subditi, præsertim cùm boni Principis sit, quidquid habet populus. Ad quod pulchre facit insigne illud academicum, Draco nimirum, qui grandior indies consurgit, parvulos serpentes deglutiens, appositâ hâc notulâ, Compendium unius, dispendium alterius. non ita verus Princeps, cujus officium est, populorum commodis consulere, propriis etiam sumptibus. hinc Aristoteles scitè admodum, ut solet, ærarium Principis stomacho comparabat, quoniam sicut è stomacho cibi recepti, in omnia sensim membra diffunduntur, sic à Regis thesauro, pecuniæ jam congestæ, cùm accidit opportunitas, in populis sublevandis erogari debent, ne sæviente annonâ afflicti, ac importunis oneribus agitati provocentur ad seditiones, exitium inevitabile afferentes. sicut accidit Achæo Lydiæ, Meoniæque Regi. Is crebra tributa, eaque nimis gravia populis imponebat, radebatque usque ad cutem, & ex lapide nitebatur sanguinem elicere. Sed, quod deplorandum magis, in tributis exigendis, sævus, improbus, atque inexorabilis erat. Verùm cùm tantam injuriam diutius populi ferre nequirent, nocturnâ tesserâ inter se datâ, subito hominum concursu, illum cum omni familia trucidarunt, & regiâ incensâ, ejus cadaver unco tractum, in Pactolum flumen præcipitarunt, ut aurum sitiens, auriferas aquas deinceps potaret. quasi acclamantes, Aurum sitisti? aurum bibe. Franc. Sen. de regis instit. li. 4.

Vberibus, lactis succum, non sanguinis hauri.
Et corio misso, sit tibi lana satis.
Non nimis emungas populos, sed viribus æqua
Exige, sic Regnis pax erit alma tuis.

CAPUT XII.

Leges latas observet Princeps, & inveniet gratiam coram oculis omnium.

DIGNUS planè nomine Principis, qui legibus obtemperat, quas ipse populo præscribit, ita in Pandectis scriptum legimus, Vox digna majestate regentis, se legibus obnoxium Principem profiteri. Et apud Plutarchum in septem sapientum convivio, ille scopum tetigisse dicendus est, qui se publicis patriæ legibus subjicit, supremi Legislatoris vestigiis inhærens, qui dedit legem, & observavit. Non veni solvere legem, sed adimplere. de quo Esaias vaticinans ait, Factus est principatus super humerum ejus. Lectio Hebræa sic habet, Suscipiet legem super se, & observabit eam. Ægyptiaci Reges, (teste Diodoro Siculo) tunc optimè se gubernare putabant, si parendo legibus, populum potiùs excitarent suâ virtute, quàm legum auctoritate. ita divinus Plato, cujus aurea verba sunt, Paratum exitium illi civitati video, in qua non lex magistratibus, sed legi magistratus præsunt; salutem verò illi, ubi lex magistratibus dominatur. pulchre facit huic rei apposita Demosthenis similitudo. Civitatis anima, ait, lex est, ut ergo anima totum corpus, & singula membra animat, tota in toto, & tota in qualibet parte; sic & lex, non solùm

Leg. digna, C. de legibus.

Plato li. 9. de legibus.

lùm in inferiora rëipublicæ membra, ſed & in ipſum caput, hoc eſt Principem transfunditur. non enim Rex eſt extra rëipublicæ corpus, ſed præcipua ejus pars, ergo & ad illum legis anima pertinet. Interrogatus quidam dux, Quiſnam Regum omnium eſſet maximus? reſpondit, Qui ſibi libentiùs imperat, quàm aliis. Ipſe primus inſtitutor, viam ingrediatur oportet, & ſtatim ſequentur alii, quia participatus labor cum duce, fit populis levior. quare ſi Princeps ſecundùm leges vixerit, unaquæque civitas optimè gubernabitur. Dabo clavem David ſuper humerum ejus, ajunt oracula divina. quid per clavem, niſi poteſtatem juriſdictionis, & animarum regimen? porrò illa clavis, non pendet à cingulo, ſed geſtatur in humero; tùm quia graviſſimum pondus, eſt animarum cura, & adeò grave, ut dicat Concilium Tridentinum, Onus Angelicis humeris formidandum; tum quia Prælatus debet ea, quæ præcipit, humero etiam geſtare. Proinde ſanctiſſimum habendum eſt Romani Prætoris edictum, & præ foribus cujuſlibet curiæ ſcribendum, Quod quiſque juris in alterum ſtatuerit, ipſe quoque eodem jure utatur. ita ſentiebat moralis philoſophus Principem alloquens, Si vis omnia tibi ſubjicere, ſubjice te rationi. multos reges, ſi te ratio regat. ab ipſa diſces, quid, & quemadmodum agere debeas. ita quoque ſubſcribit eloquii Romani Pater; Antiqui Principes, ait, ſubjiciebant ſe legibus ſtatutis, ut ad eas implendas, alios provocarent. Noverant ſiquidem, populum habere ad ſui diſciplinam, acrem ſenſum oculorum, aurium vero hebetem. Sodiades unico verbo verum Principem inſtituit, Impera tibi. nullus enim Princeps rectè imperabit populis, niſi priùs ſibi ipſi imperaverit, & legi à ſe latæ obtemperave-

Solon. apud Laërt. lib. 1.

Sen. epiſt. 38.

Tull. li. 1 offic.

peraverit. aureum Epicteti philosophi dictum, Sustine, & abstine. hæc est prima æquitas, ait Cassiodorus, Præsules à se inchoare, ut criminosi nequeant illos similes eis reperire. Hinc Romani laudantur in primis, quia leges observabant, quas aliis præscribebant. tunc enim Rempublicam beatam existimamus, ajebat Bias sapiens, cùm Princeps primus omnium paret legibus: nam populus licèt invitus, invitatur, cùm Principis conditio hæc sit, ut quod ipse facit, id aliis præcipere videatur. Proinde Agesilaüs dicebat, si quid esset, quod per milites celeriter confici vellet, primus ipse sub oculis omnium operas aggrediebatur, quo vel pudore ad industriam extimularentur. hoc probè noverat Gedeon fortissimus Princeps, qui cùm ad pugnam progrederetur, ad milites conversus dicebat; quod me facere videritis, hoc & ipsi facite. quo exemplo edocti, fortiter dimicarunt, & hostibus prostratis, victoriam obtinuere. tanti valet in rebus aggrediendis auctoritas Principis. Qui itaque clavum Regni tenet, tale vivendi institutum sibi præscribere debet, ut faciat, non quod sibi libeat, sed quod ipsum deceat; non enim quod quisque potest, id ei licet, nec propterea ei permittitur, quia non obstatur, siquidem id tantum licere dicimus quod legibus, Majorumque institutis conceditur. Nam nihil infelicius Principibus, quàm velle agere, quæcunque possunt, & præsertim, cùm omnia sibi licere existimant. Tunc consummata est infelicitas, ubi turpia non solùm delectant, sed placent; & desinit esse remedio locus, ubi quæ fuerant vitia, mores fiunt. Et tunc pessimè cum Atheniensibus agebatur, quando publica vox erat, Athenis omnia honesta. Quocirca explodendum, execran-

Cassiod. lib. 6 epist.

Aug. de civ. Dei c. 17.

Jud. c. 7.

Tull. in philipp.

Sen. epist. 39.

crandum illud verbum, Libido Regum, pro legibus habenda. ſic volo, ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas, utpote à procaci, eâque impudenti fœminâ prolatum. Cùm enim Antoninus Caracallus Romanus Imperator, novercam nomine Juliam formâ inſignem, inſano amore diligeret, dixiſſetque, Vellem, ſi liceret. mox illa ſubjecit, Si libet, licet. An neſcis te Imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere? quod verbum, ita animum Principis ſolicitavit, ut ſtatim amenti libidine concitatus, nuptias infeſtas, inceſtas, ac omnino infauſtas turpiter celebrarit. O peſſimum inſatiabilis fœminæ conſilium, quæ neſcit intra fines continentiæ contineri, ſymboli Pythagorici prorſus oblita, Stateram ne tranſilias. hujus farinæ erant Perſarum Judices, qui Cambyſi roganti, Num qua lex permitteret nuptias cum ſorore? negarunt quidem, talem ſe invenire, ſed quandam aliam, quâ licet Perſarum Regi, facere quidquid libet. Scio juriſperiti oraculum, Quod placuit Principi, legis habet vigorem: at ritè intelligendo, nempè quando voluntas Principis ratione eſt regulata; ſi autem ratione non dirigitur, illam potius iniquitatem, quàm legem exiſtimant ſapientes. Caveat ergo Princeps ab hac voce, Regibus omnia licent, tanquam à facie colubri, & peſtiferâ regnorum pernicie; ſed potiùs aures accommodet Antigono Regi ſapientiſſimo; hic enim cuidam dicenti, Omnia Regibus honeſta, juſtáque eſſe; Sunt quidem, reſpondit, barbarorum Regibus; at nobis, ea duntaxat honeſta ſunt, quæ honeſta ſunt; & ea tantùm juſta, quæ juſta ſunt. ita ſentiebat Theobaldus Rex apud Caſſiodorum dicens; Cùm omnia poſſimus, ſola nobis licere credimus, laudanda.

Braſon, lib. 3. c. 13.

Cæsar quoque Anthemius dictitare solebat, Nihil amplius licet bonis Principibus, nisi quod licet privatis. noverant enim præclari heroës, præcipuum Regis munus esse, leges quidem præscribere, sed præscriptas observare. ne jure illis exprobretur, Imponunt onera gravia, & ipsi nec digito volunt ea movere; dicunt enim, & non faciunt. Non sic supremus Legislator, qui fundavit Regnum suum super humeros proprios: at Reges plerique fundant regnum super humeros subditorum, variis tributis illos vexando, & plurimis legibus comprimendo; ipsi autem delitiis vacantes, dorsum ab oneribus divertunt. Quod mente revolvens Cyrus major, inter Reges præstantissimus, dicere solebat, Neminem debere Principatum suscipere, nisi melior his, in quos susciperet. Sentiens hoc esse proprium Regi, aliis prospicere, & publicis commodis consulere. id autem quis efficiet, nisi qui animi integritate, & legum observatione, cæteris antecellat?

Publica nimirum tunc res sibi constat, & æquum
Imperium, cùm Rex, quod jubet, ipse facit.

Valer. li. 6. c. 5. Quis ignorat, memorandum Seleuci Locrensium Regis exemplum? Plurimas, & quidem aureas condidit leges; inter quas hæc fuit præcipua, nimirum, Adulterium committenti oculi ambo eruantur. Contigit autem ipsummet filium, Regni hæredem legem maculasse, quia facinus interdictum perpetravit. mox vinculis traditur, in carcere truditur, sententia fertur, ut oculi eruantur, à primariis Regni rogatur Rex enixè, ut ignoscatur Principi; oraverunt quidem, sed non exoraverunt; nunquam enim potuit adduci Rex, ut lex jam promulgata violaretur. Quid itaque; jussit, ut oculus filio, alter verò sibi erueretur. ita debitum suppli-

ſupplicii modum, legi tradidit, admirabili æquitatis temperamento, ſe inter miſericordem patrem, & juſtum legiſtatorem partitus. tanti faciebat legum, quas condidit, obſervationem. Sciebat enim Princeps egregius, quod qui viri juſti perſonam induit, deponit parentis. Quid de Bruto? hic fuit legum adeo rigidus obſervator, ut filios ad palum alligatos ſecuri percuti juſſerit, quia dominationem Tarquinii Regis Superbi à ſe expulſam reducere volebant. exuit patrem, ut ageret Conſulem, orbatuſque vivere maluit, quàm vindictæ publicæ deeſſe. Mirum profectò, quod narrat Paradinus. ait enim, quod Sicambrorum Rex Baſan in ſuis inſignibus effingebat nudum enſem, in cujus extremitate, laqueum habebat implexum, addita inſcriptione, Diſcite juſtitiam moniti. ut hoc commento ſubditis incuteret metum, & ſe juſtitiæ acerrimum oſtenderet cuſtodem. quod re ipsâ comprobavit. ſiquidem, ne violaret juſtitiæ leges, propriis manibus filio, nomine Sedano, caput amputavit. ita legum obſervator fuit. Nec ſilentio prætereundus Manlius Torquatus: is namque Conſul miſſus contra Tuſculanos, præcepto edixit, ſub pœna capitis, ne quis extra ordinem pugnaret in hoſtem. dum ergo oraturus reï gratiâ in prætorio eſſet, filius ejus in caſtris remanens, ab uno ex hoſtibus provocatur ad pugnam, Tu ipſe congredere mecum, ut hoc eventu cernatur, quantùm Latinus eques præſtet Romano. tunc filius juvenili ardore accenſus, ſingulare certamen congreditur, & ſtrenuè ſe gerens, hoſtem interfecit; ſpoliiſque detractis, ad patrem acceſſit, dicens; En pater, hæc ſpolia capta ex hoſte cæſo porto. quod ut pater cognovit, conſilio convocato, eum morti tradidit, dicens;

Auguſt. de civit. Dei, lib. 5. c. 18.

Parad. in ſimb. her.

Quando neque imperium Consulare, neque majestatem paternam veritus, adversùs edictum nostrum, extra ordinem pugnasti, quantum in te fuit, disciplinam militarem, quâ stetit usque ad hanc diem res Romana, solvisti; meque in eam necessitatem adduxisti, ut aut reïpublicæ mihi, aut meï, meorumque obliviscendum sit; nos potiùs nostro delicto plectemur, quàm Respublica tanto suo damno nostra peccata luat, mandavitque lictori, ut ipsum morti traderet: qui atutiùs erat ipsum interficere, quàm Rempublicam militari disciplinâ carere. Insigne Fabii factum laudavit semper antiquitas. nam dum Consulatûs fungeretur officio, patrem suum sibi obvium equitantem aspiciens, erat enim apud Romanos in Consulum præsentia prohibitum, satellitem misit, qui ut ex equo statim descenderet, jussit. At pater filii sui mandato lubenti animo obtemperavit, & eundem tanquam consularis dignitatis defensorem celebravit. Hinc summis præconiis usque ad sidera extolluntur Principes, qui legibus ita se submiserunt, ut etiam sibi facultatem ab iis abeundi ademerint. quales fuêre Antigonus Macedonum Rex, Antiochus Asiæ tertius, Gratianus, Valens, Theodosius Imperatores, qui provinciarum suarum Præfectis rescripsere, si quid fortè adversum legibus juberent, ne admitterent. appositè admodum facit, quod Sanazarius scribit, laudans præclarum Regis Neapolitani facinus, qui lege latâ contra arma deferentes, postridie in publicum prodiens ostendit populo primus inerme latus. Sentiebat enim gloriosum esse Principi, legibus à se latis subjici. Non tamen desunt plurima testimonia Principem legibus esse solutum asserentia, & hac præsertim ratione moventur, quoniam

Aug. lib. 5 de civ. Dei.

niam Rex David coram Deo provolutus, dicebat; Tibi soli peccavi. Quæ verba perpendens glossa, sic ait, Rex hominem non habet, qui sua facta judicet: duo sunt quippe hominum genera, quæ in sacris litteris videntur legibus esse soluta, justorum nempe, & Principum. de justis dicit Paulus; Justo non est lex posita. de Principibus autem, adducitur illud supradictum, Tibi soli peccavi: sed hæc non faciunt, quin omnes legibus subdantur. Lex enim, secundùm mentem Angelici Doctoris, deducitur à ligando, eò quòd omnes homines vinculo adstringat. quæ nominis etymologia sacris litteris valde consonat, ubi sæpe repetuntur hujusmodi voces; Rupisti vincula, confregisti jugum. Quantum igitur spectat ad justos, locus Pauli sic intelligendus, Justo non est lex posita, non quòd justus non subdatur legi; Omnis enim anima (ut ait Paulus) potestatibus sublimioribus subdita sit, sed quia justi non egent coactione, ad observandam legem: plus enim sponte suâ præstant, quàm lege præscribatur. Siquidem justus non metu legis, sed amore virtutis servat legem. Quod etiam evidenti ratione comprobatur, nam si essent justi exempti à jugo humanarum legum, sequeretur, quod omnes essent exempti; quilibet enim dicere posset, se esse justum, & inde emergeret perturbatio reïpublicæ, & sic leges à nemine observarentur. Si verò loquamur de Principibus, ut res nostra postulat, non subduntur legibus, quantùm ad vim coactivam, quoniam non habent superiorem, à quo compellantur, & nemo cogitur à seipso. geminâ namque vi lex pollet, quarum alteram directivam appellant Theologi, & est circa ea, quæ agenda, vel vitanda sunt: alteram coactivam, quâ cavetur, ne quis

Rom. 13.

Rom. c. 13.

D.Th. 1. 2.qu.99. a. 5.

à legis præſcripto aberret, at ſi aberraverit, plectatur. ab hac poſteriore vi, Princeps eſt quidem ſolutus re, ſed non jure. hinc Sotus ajebat, & doctè, quod ſua Principem lex non cogat, non inde venit, quod ipſe non egeat, ſed quod lex naturâ ſuâ non queat. Princeps itaque legibus eſt ſolutus, ſi vim cogentem conſideremus, quia nullus in ipſum poteſt judicium condemnationis inferre, ſi contra legem agat. Propterea dicebat Rex David, Tibi ſoli peccavi. Porrò ſi vim dirigentem inſpiciamus, Quis dubitat Principem ſuis legibus eſſe ſubjectum? & hoc probatur ex jure divino; Aliis onera gravia imponunt, ipſi autem nec digito volunt ea movere. ex jure etiam canonico, ut colligitur ex cap. cum omnes de conſtitut. ubi Innocentius Papa III ait, Quod quiſque juris in alterum ſtatuit, ipſe eodem jure uti debet. ex jure demum civili, nam ſcriptum legimus, Digna vox majeſtate regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri. accedit etiam illud Catonis à Divo Thoma citatum, Patere legem, quam tu ipſe tuleris. illud item Platonis; Paratum exitium illi civitati video, in qua non lex magiſtratibus, ſed legi magiſtratus præſunt; ſalutem verò illi, ubi lex ſervientibus magiſtratibus dominatur. Bias eum verè principem opinatur, qui primus patriis legibus ſe ſubjecerit. Trajanus quoque cùm Præfectum prætorio deſignaſſet, gladium ei in manu porrexit, hæc verba ſubjiciens, Utere hoc gladio adversùs hoſtes meos, ſi ego minùs juſtè egero, eum in meipſum ſtringito. huic rei apprime facit quæſitum illud ſcitu digniſſimum, An utilius ſit Reïpublicæ, gubernari optimis legibus, an tantum optimo Principe, ſine aliqua legum poſitione, Aliqui dicunt eſſe utilius Reïpublicæ, gubernari optimo

Sot. de juſt. & jur. li. 1, q. 6, a. 7.

Anto. nin. p. 1, tit. 17.

Franc. Patrit. li. 8 de regno & repub. tit. 6.

Matt. 23.

D. Th. 1. 2. q. 6, a. 5.

Leg. 4. C. de legibus.

Plat. in lib. 4 de legib.

Cel. Rodig. lib. 8. lect. antiquarum. c. 1.

mo Principe. nam in primordio generis humani, respublica sine aliqua legum positione gubernabatur, & gubernatio optima erat. ratio autem talis potest adhiberi, quoniam utraque virtus legum, directiva, nimirum, & coactiva, præstantiori ratione invenitur in Principe, quàm in legibus scriptis. optimus enim Princeps, quoniam est regula viva, animadvertit omnes circumstantias particulares, & statuit quid hîc, & nunc agendum sit. Lex verò scripta, quoniam est regula universalis, omnes casûs particulares cavere non potest. quod verò vis coactiva præcipuè inveniatur in Principe, liquet, nam lex mortua jacet, Princeps verò non sine causa gladium portat. Oppositum tamen videtur sentire Philosophus, cujus ratio est, Quoniam talis est natura libidinis, ut optimos etiam viros contorqueat. Verùm leges scriptæ definiunt, quid sit faciendum, quid verò fugiendum seclusâ omni cupiditate; Princeps verò, quoniam homo mortalis est, sæpenumero perturbatur passionibus, quæ illum facilè à recto deflectunt. Pro summa ergo reï, dicendum est, quod si posset inveniri unus homo, cujus virtus esset longè major, quàm cæterorum hominum, essetque consummatæ virtutis, utile esset, & justum, quod hic unus homo, cum summa potestate administraret Rempublicam, sed quia hoc est difficile, proinde habita ratione naturæ, & conditionis humanæ, utilius est Rempublicam legibus scriptis gubernari, illisque fideliter subjici, cùm sapientis vigeat auctoritas, ab omnibus recepta, Patere legem quam tu ipse tuleris.

Arist. 3. Polit. c. 3.

Quas posuit leges Princeps, observet & ipse,
Sic populo, & superis, semper amicus erit.

Ratio-

Caput XIII.

Rationem ſtatûs Humani legibus Divinis ſubmittat Princeps, & accipiet benedictionem à Domino.

O MISERANDAM noſtrorum temporum conditionem, in quibus longè pluris æſtimatur, humani ſtatûs ratio, quàm divinæ legis obſervatio. Quandoquidem ubi de ratione ſtatûs agitur, continuò nullâ habitâ rationis ratione, violantur jura, dilaniantur ſanctiones, confringuntur fœdera, negligitur fides, &, ut brevibus ſingula omnia perſtringam, nulla hominum, nulla divini nominis, & numinis, reverentia; non adeò ſæviunt tigrides raptis catulis, ſicuti Principes, vel minuendi, vel dividendi Imperii tantillâ ſuſpicione commoti, ut perbellè canit Poëta,

Lucan. lib. 1 de bello civili.

Nulla fides Regni ſociis, omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit, nec legibus ullis
Credit, nec longè fatorum exempla petantur.
Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

Proinde magnus Alexander, cùm adverſus Darium præliaturus ſurrexiſſet, omnem prorſus pacis conditionem à Dario oblatam reſpuit, legatos Perſas hiſce verbis remittens, Ite, nuntiate Regi veſtro, quod neque terra duos Soles, neque Aſia duos Reges ſuſtinere poteſt. ita ferme populi Lydorum. Nam cùm Rex Crœſus fratrem ſibi in imperio aſciſceret ſocium, quidam ex Lydis primarius, ait, ô Rex potentiſſime, omnium in terra bonorum Sol eſt auctor, at ſi gemini Soles forent,

forent, periculum esset, ne omnia incenderentur; ita Regem quidem unum accipiunt Lydi, duos simul tolerare non possunt. Ecquis ignorat, quod nec Roma quidem duos fratres ferre potuit, neque una Sparta duos Lysandros? quid? domus Abrahæ, ut Isaacum retineret, nonne Ismaëlem ejecit? & in Rebeccæ utero, duo gemelli antequam nascerentur, nonne bella gesserunt? præclarè Ovidius,

Non bene cum sociis Regna, Venusque manent.

alter etiam cecinit:

Non patitur Regnum socios, neque tæda jugalis,
Hæc duo nec Pyladæ jungere posset amor.

O insana regnandi libido, ad quæ flagitia non impellis? Quid non mortalia pectora cogis Regni sacra fames? Per te, cognati cognatorum sanguine sordidantur. Per te, frater in fratrem insurgit. Per te, patruus in nepotem. Per te filius in patrem. Per te, mater in filium. Per te, uxor in proprium virum. sed quid dicam? per te, mater sævit in seipsam, adhuc dicam abominationem majorem. Per te, homines insurgunt in ipsos deos. Sed quia hæc sunt dictu horrenda, & vix auditu credibilia, proinde antiquorum exemplis comprobare non erit absonum, quin operæ pretium duco.

Fredegunda Regina Galliæ, quot innoxios truncavit regio sanguine satos? at quorsum? ne turbarent Clotarii filii sui imperium. de Athalia impia fœmina, quid referam? nonne omnes regii sanguinis affines occidit, statim post mortem filii sui Ochoziæ, ut hac viâ ambitione tumens, Regnum ad se devolveretur? en sacra Regum historia, Athalia verò mater Ochoziæ videns mortuum filium, surrexit, & interfecit omne semen regium.

Aimoin. de hist. Franc. li. 3, c. 6. 4 Reg. c. 11.

Ptole-

Ptolemæus gener, Simonem Judæorum Principem, ſocerum convivio exceptum, cum duobus filiis, regnandi cupiditate, obtruncavit. Saul inſano regnandi furore agitatus, quid mali non eſt molitus in generum Davidem? quot inſidias non paravit? quoties tentavit eum lanceâ transfigere? at quorſum tam diro odio eum proſequebatur? ſolo timore amittendi Regnum. Siquidem, cùm audiret nobiles Hebræas honoris ergô, choros ducentes, ſimulque exclamantes, Saul percuſſit mille, & David decem millia; ſtatim cœpit dentibus fremere, ira excandeſcere, & nimio furore correptus, nullâ beneficii, nullâ innocentiæ habitâ ratione, mortem quoque minitari. ſic referente divinâ Regum hiſtoriâ, Iratus eſt autem Saul nimis, diſplicuit in oculis ejus ſermo iſte, dixitque; Dederunt David decem millia, & mihi mille dederunt, quid ëi ſupereſt, niſi ſolum Regnum? Romulus, ut Regno ſolus potiretur, fratrem Remum miſerè trucidavit. cui facinori ſatis appoſitè convenit illud poëticum,

1 Reg. c. 18.

Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

Pro ſola regnandi libidine, nonne Etheocles, & Polynices fratres, ita mutuis exarſerunt odiis, ut nedum copiis infenſis decertarent, ſed infeſtis etiam armis digladiando, ſeſe mutuò confoderent, ac demum in rogo conjecti, flammæ utriuſque cadaveris, adhuc invicem pugnarent, quod animadvertens ſoror exclamavit, Vivit, vivit adhuc odium.

Sabel. dec. 8, lib. 7.

Antonius Severi Imperatoris filius, nonne fratrem ſuum infantem, mâtris ubera adhuc ſugentem pugione confodit, ut ſolus Imperio frueretur?

Vivitur ex rapto, non hoſpes ab hoſpite tutus,
Non ſocer à genero, fratrum quoque gratia rara eſt.

Quod

Quod si magis exploratum habere volumus, an dominandi libidine frater sæviat in fratrem, legantur annales Gallici; ibi enim exactè describuntur quatuor filiorum Clodovei, primi Francorum Regis Christiani, atrocia inter se bella. Nam quilibet post mortem patris regium diadema sibi imposuerat. Unus Rex Aurelianensis, alter Parisiensis, tertius Suessionensis, & quartus Metensis Rex nuncupabatur: gravissima deinde inter fratres orta discordia, causa desolationis Gallici Regni extitit.

Omnibus passim nota est Turcarum historia, quorum Imperator, ut primùm suscepit Regni gubernacula, confestim omnes fratres, quamvis adhuc imbelles, & in cunis vagientes, trucidari jubet. At quorsum tam dirum nefas? regnandi cupiditate commotus. Itaque primum Imperii signum, est fraterni sanguinis effusio; & prima dies, quæ illum effert ad fasces, illos effert ad secures.

De Abimelech Gedeonis filio, nonne referunt sacrarum litterarum monimenta, quod hac potissimum de causa, fratres suos legitimos septuaginta viros, more barbarico jussit interfici? Jud. c. 9.

Cur Salomon Adoniam fratrem imperavit occidi? regni amittendi metu. sic divina narrat historia. Bersabea postulavit dari Abisag Sunamitidem Adoniæ in matrimonium: at Salomon fraudem fratris intelligens, respondit matri, Quare postulas Abisag Sunamitidem Adoniæ? postula ëi & Regnum. perinde ac si dixisset, an ignoras mater, Abisag, quam fratri postulas, patris mëi David conjugem fuisse, ac reginæ nomen adeptam, multis ab eodem locupletatam fuisse divitiis? quodsi Adonias hanc duxerit, nonne advertis, quod re- 1 Reg. 2.

gnandi

gnandi libidine incensus, in me conspiraturus sit, meque regno privaturus? Quomodo igitur se gessit Salomon, ut res suas in tuto collocaret? cognitâ fraude, Adoniam fratrem interfici mandavit. Sed omittamus fratres, nonne insatiabilis dominandi libido impellit etiam patruos ad cædem nepotum? Astyagis Medorum Regis testimonio comprobatur. is unicam filiam habens, Cambysi Persæ privato viro collocavit, metuens, ne ab illius futurâ sobole, Regno pelleretur: viderat enim per quietem ex pudendis filiæ vitem surgere, quæ palmitibus suis omnem Asiam obumbraret, idcirco natum ex ea infantem exponi jussit feris devorandum: sed puer nomine Cyrus, beneficio pastoris educatus, ac grandiusculus factus, ab æqualibus suis collusoribus,. Rex nuncupatus est; at cùm jam adolevisset, certior avitæ injuriæ factus, ultionem meditatus est, & contracto exercitu pastorum, in Medos trasmittit, quibus fugatis, captóque Astyage, regnum invadunt Persæ. Sed quid de Mithridate Rege commemorem? nonne immensâ Imperii cupiditate flagrans nepoti pugione vitam ademit? simulatâ namque occasione pacis ineundæ, eoque proinde ad colloquium evocato, abscondito sub femore pugione, dum ruit in amplexus tanquam nepotis, alterâ manu arrepto pugione crudeliter illum interfecit.

Huc optimè accedit dira Lotharii in nepotes fratris sui senioris filios crudelitas. adhuc enim tenellos projecit in parietes, & defixo in ventrem cultro interfecit. Quorsum hoc? ne Totildis mater Regina, eos ad regnum elevaret. Sed audiamus sævitiam longè majorem. Ptolemæus inauditis execrationibus adjurat se sincerâ fide matrimonium sororis petere, nuncupaturumque se

Just. hist. lib. 24.

eam

eam Reginam, neque in contumeliam ejus, ſe aliam uxorem, alioſve, quàm filios ejus, ſe liberos habiturum. Arſinöe, & ſpe impleta eſt,& metu ſoluta, in matrimonium fratris conſenſit. nuptiæ magno apparatu, lætitiaque omnium celebrantur, ad concionem quoque vocato exercitu, capiti ſororis diadema imponit, Reginamque eam appellat. quo nomine in lætitiam effuſa Arſinöe, ultro virum in urbem ſuam Caſſandriam invitat, cujus urbis cupiditate fraus ſtruebatur. Prægreſſa igitur virum, diem feſtum urbi in adventu ejus indicit, filios quoque ſuos Lyſimachum ſexdecim annos natum, Philippum triennio minorem, utrumque formâ inſignem, coronatos occurrere jubet, quos Ptolemæus ad celandam fraudem cupide amplexus, oſculis diu fatigat. Ubi ad portam ventum eſt,occupari arcem jubet, pueros interficit, qui cùm ad matrem confugiſſent, in gremio ejus inter ipſa oſcula trucidantur. Proclamavit Arſinöe, quod tantum nefas, aut nubendo aut poſt nuptias contraxiſſet, pro filiis ſeipſam percuſſoribus obtulit, corpore ſuo, puerorum corpora amplexata protexit, plurimaque vulnera excepit. demum ſpoliata etiam funeribus filiorum, ſciſſa veſte & crinibus ſparſis, duabus tantum ancillis comitata, ex urbe protracta, Samothraciam in exilium abiit, eo miſerior, quod mori cum filiis ei non licuit. Nec Ptolemæo inulta ſcelera fuere: nam exiguo interjecto tempore, à Gallis ſpoliatus Regno captuſque vitam ferro, ut meruerat, amiſit.

Sabell. enneade 4. lib. 8.

Antipater nonne Alexandro Magno nepoti venenum propinavit, ut ipſe Regno potiretur? Quid plura? nonne fames dominandi, filios etiam impellit in patres? Quis vidit unquam abomina-

Q. Curt. lib. 4.

tionem majorem? & tamen Alexander Magnus, si Justino credimus, Philippi patris mortem procuravit operâ Pausaniæ, quia timebat habere socium in Regno, Attalum spurium fratrem. Quis non abhorrebit immanitatem Tulliæ Tarquiniæ filiæ? impia hæc fœmina, non virgo, nec virago, sed vorago, ut regnaret, patrem occidi mandavit, & renitentibus equis, ac invito auriga, jussit ut cadaver paternum rotis currus, cui insidebat, contunderetur, ut Tarquinium Superbum virum suum, Regem salutaret. Ex quo intelligimus, quàm minimè tuta sit ambitiosis fides, quando ex sanguine etiam domestico ipsa exulat. Verissimum est illud pro oraculo habendum; Regnandi cupiditas nescit jura pietatis.

2 Reg. c. 15. Quare Absalon, Davidis Regis filius, patrem velut hostis expugnavit? infestum ei bellum movit? diras paravit insidias? quia regnandi desiderio ardentissimè flagrabat.

Nic. de Lira in cap. 14 Isa. Quid dicemus de immensa dominandi libidine Evilmerodach filii Nabucdonosoris Regis? is cum patrem vita functum cerneret, timens ne iterùm viveret, ejus corpus contundi jussit, in frusta concidi, ejusque pulverem in ventum dispergi, ne iterum coalesceret, & ipsum de solio deponeret. Ingenti urebatur ambitione regnandi Moreveus, Chilperici Regis filius, proinde patri suo adhuc viventi insidias varias & graves struebat, verùm à Domino divinitus admonitus, & terrore correptus abstinuit. Cùm enim quadam die ad convivium vocasset Gregorium, & postea postularet, aliqua legi ad instructionem animæ, statim Gregorius reserato Salomonis libro, versiculum, qui primus occurrit, arripuit. hoc autem continebat; Oculum, qui adversus patrem respe-

Gregor. Turon. lib. 5. c. 14.

Prov. 30.

reſpexerit, effodiant eum corvi de convallibus. diram hanc peſtem, utpote omnibus legibus ex diametro repugnantem, abhorrebat Decii Imperatoris filius. cùm enim pater imperiali diademate filium proponeret inſigniri, renuit filius dicens; Vereor, ne ſi id fiat, dediſcam eſſe filius; imperet pater meus, meum imperium ſit parere humiliter patri imperanti: quaſi diceret; turpe nefas, ita naturam ipſam exuere, ut quis in proprios parentes inſurgat; ad hoc autem impellit regnandi libido.

Proinde rogatus Solon, cur nullas leges adverſus eos, qui parentes verberaſſent, conſtituiſſet? quod nullos, inquit, tales futuros exiſtimabam.

Sed quid dicam? nimia dominandi cupiditate, horribile quidem dictu, verum tamen, ipſa etiam mater ſęvit in filium. teſtis eſt Irene Conſtantinopolis Imperatrix; hæc enim crudelia ſpectacula edidit, ſola dominandi libidine impulſa. duces namque, datis muneribus, eò pertraxit, ut Conſtantinum filium ex inſidiis captum, oculis effoſſis in carcerem conjicerent, ubi miſer mœrore luctuque confectus, paucis pòſt diebus, exſpiravit. Quorſum Herodes ad tantam ſęvitiam devenit, ut tot innocentes pueros, maternis uberibus affixos, jugulari præceperit? iratus eſt valde, & mittens occidit omnes pueros à bimatu & infra; ut firmiorem Regni ſedem ſtatueret. Et hac de cauſa, nonne etiam proprium filium trucidavit? unde Auguſtus Cæſar, audita tam truci immanitate, jocans, dicebat: In domo Herodis, mallem eſſe porcus, quàm filius. nam, ut rigidus legis Judaicæ obſervator, ſues ne quidem tangere auderet, in filium tamen cruentas manus injicere non fuit veritus. Quid ſi dixero cæcam

Matth. c. 2.

Macrob. li. 2 Saturn. c. 4.

regnandi libidinem, eò uſque prolabi, ut uxor in proprium virum ſæviat? hoc tamen liquet aperto Semiramidis teſtimonio. Cùm enim Semiramis à marito Nino impetraſſet, ut ſaltem diem unum in regio tribunali ſederet, obiretque munus regium, jus dicendo, ac ſanciendo, quæ vellet, exploratis jam ſatellitum animis; tunc Ninum Regem blandè apprehendi juſſit, deinde cum riſu in vincula conjici, & demum ludibrio expoſitum, capite truncari. O ſcelus planè inauditum! Sed quis crederet aliquem eò dementiæ devenire, ut ambitione ductus, ſeipſum interfici glorioſum ducat? Prodeat in ſcenam Agrippina Neronis mater, hæc tantâ ambitionis ſiti æſtuabat, ut cùm oracula conſuluiſſet, num aliquando filius regnaturus? eique reſponſum fuiſſet, Regnaturum quidem, ſed in Imperio matrem ſuam necaturum; avida diadematis dixerit, Occidat, modò imperet. Sed cur pluribus immoramur? ambitioſa dominandi libido ita ſævit, ut etiam in deos ipſos inſurgat.

Sabell. li. 4, c. 7.

In corde Caligulæ, ſi Fulgoſio credimus, ita invaluit ſola ſine conſortio regnandi cupiditas, ut non ſolum in homines; dicebat enim, Utinam populus Romanus unicam haberet cervicem! ſed in deos ipſos ſæviret. Nam omnium deorum ſimulacra decapitari juſſit, & ſingulis ſingula capita, vultum ipſius Caligulæ referentia, inſerebat, ut ſolus adoraretur. Quis tale facinus ſanè inauditum unquam crederet? ſed videamus, ſi lubet, inſaniam penè incredibilem ex regnandi libidine emergentem. Valens Imperator, ut ſolus Regno potiretur, nedum vivus, ſed & mortuus, ſuperſtites, quos ſuſpicabatur, poſt ejus mortem regnaturos, omnes trucidari juſſit. Cùm enim nonnulli curioſe

Fulgoſ. li. 9, c. 5.

curiose investigantes sciscitarentur, quis post Valentem Imperii gubernacula obtineret? ita responsum fuit, litteras quatuor esse. Th. E. O. D. ex quibus ejus nomen, qui esset post Valentem regnaturus, inciperet. mox ejus rei fama ad aures Imperatoris evolavit. Quo audito, omnes qui erant vel Theodori, vel Theodoti, vel Theodosii, vel Theoduli nomine appellati, quasi tigris sęviens, interfici mandat. In quorum numero fuit quidam vir nobilis ex genere patritio nomine Theodosiolus, qui ab Hispania ad Valentem adductus, morte mulctatus est, non alio titulo, nisi quia impius & vesanus Imperator suspicabatur eum Imperio potiturum. Hinc multi præ metu animis injecto, sua statim commutarunt nomina, & ea, quæ parentes illis in lucem editis, imposuerant, tanquam plena periculi denegarunt. O pestis diabolica ab inferis suscitata, quæ sensim serpens per corda potentium, contagio prorsus insanabili, totum penè infecit orbem terrarum. Sed quid dico terrarum? Nec cælum ipsum immune fuit ab immani bello, propter hanc impiam dominandi libidinem. Quod satis apertè comprobatur in sacrarum litterarum monimentis. Exclamat enim tuba cælestis; Factum est prælium magnum in cælo. Scio quidem varios doctores variè sentire, quodnam fuerit dæmonis primum peccatum. Apoc. c. 13.

Doctor subtilis opinatur fuisse luxuriam, non tamen quamcumque, sed inordinatum sui amorem. In 2. dist. 6.

Angelicus doctor arbitratur fuisse superbiam, ita etiam Athanasius, Ambrosius, Augustinus, Nazianzenus, Chrysostomus, Cyrillus. 1 p. q. 63.

Alexander de Ales doctor irrefragabilis, tenet radicem peccati dæmonum, fuisse avaritiam. non quidem 1 p. q. 78. memb. 2.

quidem pecuniarum; sed honoris, ac gloriæ, & proinde spiritualem.

Bernardus doctor mellifluus, vult dæmonem peccasse invidia, propter unionem hypostaticam Verbi divini, aliquando communicandam naturę humanæ; quasi indoluerit, quod creata natura longè se inferior, deberet sibi anteponi, & quod majus est, deberet eam venerari.

Rupertus Abbas arbitratur peccatum dęmonis, fuisse odium contra Christum, statim atque mysterium incarnationis est Angelis revelatum. Displicuit enim illi, quod potius humanam, quàm Angelicam naturam assumeret, hac de causa mortem ejus machinatum fuisse. Proinde dicebat Joannes: Ille homicida fuit ab initio. (Ioan. c. 8.)

Ego autem, si licet cum tam præclaris viris meam proferre sententiam, primum dæmonis peccatum dicerem fuisse, nimiam dominandi libidinem, quam rationem status vocant politici: dixerat enim in corde suo, In cælum conscendam, similis ero Altissimo. (Isa. c. 14.) Neque hoc est meæ mentis inventum, sed gravissimorum doctorum placitum, nempe, dæmonem in sui primordio, appetiisse Principatum, ut videre licet apud Bonaventuram, Lyranum, Augustinum, Gregorium, qui omnes asserunt, quod appetiit præesse cæteris, nulli subesse. (Bona. in 3. dist. 1. Au-gust. in Io-an. cap 14. Greg. li. 34 moral. c. 17.) Quid igitur mirum, si omnes ejus asseclæ, ubi de ratione status agitur, confestim nulla habita rationis ratione, indignantur, fremunt, sæviunt, dentiunt, vipereunt, & tanquam feræ furunt? Quid mirum, si inordinatus zelus amittendi Regnum, ita anxiè torqueat, angat, mordeat tyrannorum animos, ut ad omne impietatis facinus, præcipites ferantur? Quid mirum, si impius ille Herodes, tyrannorum antesignanus, tot parvulos

adhuc vagientes, tam dire jusserit trucidari? Quid causæ fuit, ut scelus tam execrandum perpetraret? timebat de regia sede deturbari; ita deplorat Ecclesia,

Audit tyrannus anxius,
Adesse Regum Principem,
Qui nomen Israël regat,
Teneatque David Regiam.
Exclamat amens nuntio,
Successor instat, pellimur,
Satelles, i, ferrum rape,
Perfunde cunas sanguine.

Submitte igitur, ô Princeps, legi divinæ fasces tuos, si vis tutum, si vis diuturnum imperium. noli viribus humanis inniti, tanquam baculis arundineis; sed in omnibus, consule Dominum; jura tua illi subjice, Principum seniorum vestigia sequere, qui, ut refert Joannes, Adoraverunt viventem in sæcula sæculorum, mittentes coronas suas ante thronum Dei. quasi cum regio Vate acclamarent; Non in gladio nostro possidemus terram, nec brachium nostrum salvat Imperium, sed dextera Domini exaltat Regnum, & dextera Domini facit virtutem. si autem secus feceris, vide, ne tibi contingat, quod minatus fuit Dominus Ezechiæ Regi; Auferentur omnia quæ sunt in domo tua, ut cognoscant Principes, non esse potentiam, neque consilium, contra Dominum.

Apoc. c. 4. Psalm. 117.

Imperii fines semper divina tuetur
Religio. labat hæc? vis labat Imperii.
Legibus ergo Dei Regnorum subjice jura,
Regna tibi, ô Princeps, si diuturna cupis.

Caput XIV.

Gloriosum Principi, servare fidem; violare, inglorium.

TUrpe nefas, violare fidem, & Christiano Principe prorsus indignum. Quod præclaro Alexandri Regis testimonio comprobatur. (Valer. li.6. c. 4.) Nam cum Parmenio Princeps militiæ,quidpiam suaderet,quod præter fidem, ac decorum esset, repeteretque sæpius, Ego quidem facerem, si essem Alexander; & ego, ait, si essem Parmenio. Quippe qui sciret, nihil à Regibus patrandum, nisi præclarum, & animo regio dignum. (Tull. li.3.de offic.) Egregium itidem apud Romanos Atilii Reguli testimonium.is enim à Carthaginensibus captus, ab iisdem Romam missus est Legatus, ut de captivorum redemptione ageret cum Senatu,fidem pollicitus,se reversurum.Fidelis fuit patriæ, fide etiam in hostes inviolata permanente. dissuasit captivorum permutationem, pro patriæ beneficio. hostibus tamen servavit fidem, quia (Aug. de civ. Dei, li. 1.) Carthaginem reversus,ubi postea atrocissimis pœnis vitam cum morte commutavit. poterat mortem durissimam evitare, at maluit diem extremum obire, quàm promissam hostibus fidem violare. ex qua servata fide, tantam consecutus est gloriam,quantam cæteri Principes, ex prẹliis feliciter gestis.Quid enim turpius esse potest,quàm fidem fallere, promissa non præstare, & dictis conventisque non manere? Proinde Romani, mundi dominatores, fidem ingenuè observabant: quod facile potest conjici,ex responsoCarthaginensibus allato.

allato. Nam Duellius Cornelius Asina, cùm in primo Punico bello exercitum in Sicilia haberet, ab Amilcare, & Hannone, qui exercitui Carthaginensium præerant, præstita fide ad colloquium evocatus, per dolum interceptus est, & in vincula conjectus: sed cùm postea adverso Marte, Carthaginenses terrâ marique bello succumberent, placuit ut de petenda pace ageretur, resque Amilcari & Hannoni demandata est à Punico Senatu. Amilcar memor violatæ fidei Cornelio Asinæ, ad Consules ire formidabat. Hanno autem Romanorum fide fretus, audacter ad Consules perrexit. ad quos profectus, cum causam liberiùs exponeret, tunc Tribunus quidam militum obstrepere cœpit, perfidiæque eum accusare, minitandoque dixit, Facilè fore, ut ei contingeret, quod Cornelio Asinæ jam acciderat. tunc uterque Consul silentium ei indixit, Hannonemque legatum ita sunt allocuti, Noli timere, isto periculo fides Romana te liberat. O memorandum exemplum Romano pectore dignum! Sacrum enim, etiam inter gentes, legatorum jus. Quid enim sine fide, hoc est, justitiæ base, regnum est aliud, nisi magnum & publicum latrocinium? Quod planè intelligens Aristoteles, inter multa præcepta, quæ reliquit Alexandro Regi, hoc præcipuum instituit: Cave ne infringas fidem datam, quia hoc, nec infidelibus quidem convenit. Siquidem turpe nimis, ac indecorum, fidem semel datam non servare. Proinde dux ille inclytus Alcibiades dicere solebat, quoties in Socratem incideret, se rubore suffundi, quod illi promissis non stetisset. hinc Phocion inter Græcos illustris consulebat, non esse magna hominibus promittenda, sed præstanda potius. Laudabilius nimirum est, pauca polliceri, & plura

Tac. lib. 3 hist.

facere, in Principibus præsertim, vicem Dei gerentibus, qui nec falli, nec fallere potest. ideo
Matth. c. 24. ipsemet dicebat: Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Perinde ac si dixisset, nolo ut verba mea irrita fiant, sed fidelis ero in omnibus verbis meis. quod re ipsa probavit: nam quod semel promisit, fideliter observat. Promisit justis mercedem laborum suorum, abundanter retribuit, quia, & ultra condignum;
Rom. c. 8. unde Paulus dicebat: Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam. Pro
D. Th. 1 p. q. 21 a. 1. cujus doctrina notare debes, quod triplex meritum apud Theologos reperitur; de rigore justitiæ, de condigno, & de congruo: meritum de rigore justitiæ est illud, quod non innititur gratiæ, aut misericordiæ acceptantis, sed habet valorem ex persona offerente, quale est meritum Christi Domini: nam persona Christi de se est infinitè grata, & ejus opera habent infinitum valorem apud Deum; propter quod meritum Christi est de omni rigore justitiæ. Meritum de condigno est illud, quod licet innitatur gratiæ, & misericordiæ acceptantis, est justum & condignum ad præmium futurum; hujusmodi est meritum Sanctorum. Meritum de congruo, est illud, quod non innititur justitię sed congruentiæ tantum. Deus itaque, quia est fidelis, præstabit justis de condigno, quod promisit, non tamen vi obligationis, quia Deus nulli debet; nam debitor quatenus debitor, est creditore inferior; debet tantum suæ ordinationi, & promissioni, & manu plena præstat, quod promittit; aliàs Deus non esset Deus, neque prima veritas, dicente Paulo. Fidelis Deus seipsum negare non potest. Quia ergo Princeps vices Dei gerit, fidem datam etiam hosti

hoſti inviolabiliter ſervare debet. hoc eſt enim animo excelſo, & regio dignum, cui concinne competit elogium, Sit ſine labe fides. Quod animadvertens Saul, fidem ſemel datam Davidi omnino ſervavit, generum Regis conſtituendo. Inter cætera Davidis adhuc adoleſcentis præclara fortitudinis indicia, refertur, quod urſos dilaniaret, leones laceraret, lupos jugularet, aliaſque belluas, & mole ingentes, & feritate immanes, non ſine magno corporis periculo conficeret. quæ quãvis ſingularia heroicæ virtutis argumenta forent, nullam tamen ex iis laudem, nullam gloriam, imo ne obolum quidem aſſecutus eſt; at mox, ut hominem interfecit, quem ictu lapidis eminus ad terram proſtravit, omnium præconiis celebratus, gratiam filiæ Regis conſecutus, & Saulis gener effectus eſt. Quorſum hoc? unica hujus rei ratio fuit, quod Saul, Goliæ percuſſori filiam ſuam dare ſpopondiſſet, nuptiaſque & affinitatem Regiam juraſſet. Tanti valuit apud Regem datæ fidei auctoritas, & verbi Regii obſervatio. hinc laudatur Nerva Imperator, cùm enim interpoſito jurejurando, Senatui dixiſſet, ſe auctore, nullum Senatorem morti tradendum, abſtinuit à ferro in eos, quos in caput ſuum conjuraſſe ſciret. tantum potuit, in alta gentilitate jurejurando fides confirmata, ut religione illius tactus Imperator, parceret ferro & ſanguini, etiam in capitis periculo. Ad rem ſatis appoſitè ſpectat, quod de Nerone refert Seneca. In familiari quadam confabulatione dixit Imperator, Ferrum tuetur Principem; at ipſe continuò ſubjecit, melius fides: hoc eſt, promiſſa adimplere. licèt noſtris temporibus pluris æſtimetur dolus & ſimulatio, quàm datæ fidei obſervatio. Non ita, non ita

Principes ingenui, quorum ſplendor regius, in rebus præclare geſtis glorioſe refulget. hi enim victorias obtinuere, Regna comparavere, hoſtes ſtravere, non dolo, non fraude, ac violata fide; ſed prudentiâ, armis, & ingenio. ita Lycurgus legiſlator egregius. Cùm enim Spartani reipublicæ gerendæ peritiſſimi, Lycurgo defuncti Regis fratri, Regnum. & coronam detuliſſent, viduáque defuncti, ſe prægnantem comperiſſet, verita, ne novus Rex, hoc audito indignaretur, ac moleſte ferret, quod forſitan maſculus ex ſe naſciturus, regnum illi auferret, utpote legitimus hæres, nuntiavit illi, ſe fœtum utero conceptum, veneno necaturam, aut aliquo medicamento, abortum cauſaturam, ſi modò vellet, quo illius Regnum firmaret tutum, & ab omni competitore liberum redderet. Placere ſibi conſilium finxit Lycurgus, at nolle effectum; ne tali medicamento, ſibi aliquod afferret detrimentum, quare, infantem tempore ſuo naſci ſineret, ſibi jam nati extinguendi rationes non defuturas. credidit illa, & cùm egregium maſculum Charilaum nomine peperiſſet, Lycurgus acceptum in Senatum detulit, hac uſus oratione; Ecce legitimum Regem veſtrum, Lacedæmonii, non vero me, quare regia ornamenta puello impoſuit poſthumo, ut omnes intelligerent, eum longe pluris fidem, quàm ampliſſima Regna facere.

Valer. lib. 6. De Camillo autem Conſule Romano, acerrimo fraudis inimico, quid dicemus? iſte dux egregius, cùm Phaliſcos obſideret, ludimagiſter nobiliſſimos pueros, tanquam ambulandi gratia, extra muros educens, in caſtra Romanorum perduxit, illos offert Duci, inquiens, En ſine ſanguine parta victoria, quoniam in repetendis talibus obſi- (Sabel. li. 10.)

dibus,

dibus, sponte civitas se tibi tradet, & imperata faciet. tunc Camillus, qui justitiæ personam sustinebat, non solùm respuit perfidiam, sed restrictis etiam post terga manibus, magistrum virgis agendum pueris dedit, ut ad parentes adducerent. quo beneficio, & animi ingenui testimonio capti Phalisci, magis quàm armis victi, portas Romanis aperuere. Itaq; Camillus, quam ex fraude recusavit, ex justitia consecutus est victoriam. Fit enim ad propugnandam, non ad evertendam justitiam. Fabricii Romani spectatã fidem quis non celebrabit? Cùm Pyrrhus Epirotarum Rex, cum Tarentinis venisset in subsidiùm contra Romanos, & intellexisset Fabricii paupertatem, qui erat unus de legatis Romanorum, missis nuntiis ad eum, obtulit quartam partem Regni sui, ut ad se transiret, necnon magnam auri quantitatem ei prędstare voluit, si proderet Romanam civitatem. cui Fabricius dixit; Regnum tuum simul cum auro tanquam lutum despicio. Existimo enim incorruptæ fidei observantiam nobiliorem esse omnibus Regnis, & auro mundi. Cęterum interjecto anno, missus est Fabricius cum exercitu à Romanis contra Pyrrhum, ad quem medicus Pyrrhi veniens nomine Timocrates, promisit se Regem veneno necaturum: at Romanus dux ingenuus, statim vinctum reduci jussit ad Pyrrhum, eique dici, quod contra eum medicus spopondisset. Tunc Rex plurimum admiratus, dixisse fertur: Ille est Fabricius, qui difficilius à fide, & honestate, quàm Sol à suo cursu potest averti.

Inviolatæ fidei observantissimus fuit Sextus Pompejus: nam cum Marcum Antonium, & Octavium conciliatos, navi sua susceptos veheret, necare poterat, & imperare. noluit, ne per violatam fidem ad imperiũ venisse videretur, dignissimus Fulgos. li. 6. c. 6.

ſimus Pompeji nomine, & vel hoc ſolo, quandò fidem monarchiæ præpoſuit, nec regnandi cauſa, jus violare voluit. ſic enim reſpondit Menodoro Pompejanæ claſſi Præfecto, Siquidem cum Menodorus adhærens Pompejo clam cum illo locutus, dixiſſet: Visne ô Sexte anchoras ſuccidam, & te non Siciliæ, neque Sardiniæ, ſed Romani Imperii faciam Dominum? cui Pompejus, cum paulisper ſecum cogitaſſet; Oportuit, inquit, ô Menodore, hæc per te ipſum, me inſcio, feciſſe. pejerare enim nequaquam meum eſt. En vox ingenuo Principe digna, licet à politicis noſtri temporis irrideatur. Sciebat enim, nihil magis gloriam Principis labefactare, quàm ſacros fidei cancellos tranſilire. hinc Divus Ambroſius dicebat; Sunt quidem jura bellorum, & fœdera etiam inter ipſos hoſtes ſervanda, contra quos geritur bellum. Quod idem ferme ſentit Auguſtinus; ideo ſcribens ad Bonifacium dixit: Fides quando promittitur, etiam hoſtibus eſt ſervanda. Poterat quidem dux ille, inimicum dolo proſternere, at maluit fidem in hoſtem ſervare, quàm doloſe ſuperando, turpiter triumphare; turpiter autem triumphat, qui dolo & fraude; glorioſe vincit; qui induſtria & ingenio. nullo enim eventu licet fallere hoſtes inſidiis, dicendo falſum, aut non ſervando promiſſum, licet quidem fallere hoſtes inſidiis, occultando illis intellectum & propoſitum noſtrum. Siquidem in pugna, non dolus, ſed induſtria militaris laudatur. hinc Lycurgus legiſlator non probabat prælii genus, in quo virtuti locus non eſſet.

Bruſon. li. 2 c. 35.

Auguſt. ad Bonifac.

D. Tho. 2.2. q. 41 a. 3.

Quod experimento docuit aliquando Cyrus rei bellicæ gnarus. hic enim firmatis caſtris, ſimulato metu; quaſi fugiens, caſtra vino epuliſque

referta,

referta, reliquit diripienda: quod cum Reginæ Thomiri denuntiatum foret, adoleſcentulum filium ad ſequendum eum, cum tertia copiarum parte miſit: adoleſcens autem rei militaris ignarus, cùm veniſſet ad caſtra, tanquam ad epulas, omiſſis hoſtibus, prorupit ad crapulas. Cyrus autem per exploratores edoctus, nocte revertitur, cibo, potuque graves, atque ſomno oppreſſos, ſtrenue invaſit, cunctoſque cum Reginæ filio trucidavit. At Regina mater, non metu perculſa, ſed Virago, perdito unico filio, & magna militantium parte, ipſa quoque ſimulata diffidentia, propter vulnus recenter acceptum, Cyrum ſemper refugiebat, quouſque hoſtem in inſidias traxit, ubi diſpoſitis inter montes inſidiis, ducenta millia Perſarum cum Rege delevit, adeò ut nec tantæ cladis nuntius ſuperfuerit, Cyriq; caput amputatum, in utre humano ſanguine pleno, reponi juſſerit, dicens: Sanguinem ſitiſti, ſanguinem bibe. hæc non eſt fracta fides, ſed induſtria militaris, quæ arte deluſit artem. hanc militarem aſtutiam obſervavit Gedeon dux ille fortiſſimus, qui pugnavit, ſuperavit, vicit; non quidem fraude, ſed induſtria ſingulari. juſſit namque à ſingulo milite lagenam fictilem ſiniſtra manu portari, in qua lucerna ardens latitabat; dextera vero tubam, nocturno tempore hoſtiles copias aggreditur. mox milites in tres turmas diviſi, buccinis clangunt, fractiſque lagenis, ardentes faces hoſtibus conſpiciendas oſtendunt. itaque hoſtes, quos ſomnus ante oppreſſerat, experrecti, tria exiſtimantes eſſe caſtra, nam copia hominum, multarum tubarum clangor, gentes in tres partes diſtinctæ, trium caſtrorum ſpecies præ ſe ferebant, repentino quodam terrore exanimati, Gedeoni

terga

terga verterunt, & in ſeipſos irruentes mutuis ſe vulneribus trucidarunt. Auxilium planè à Domino, ſed medio hoc ſtratagemate parta victoria. Gedeonis quoque filius Abimelech turrim Sichem fortiſſimam, ac penè inexpugnabilem, non dolo, ſed armis & aſtu militari obtinuit. aderant in ea homines innumeri, ſtrenue locum illum cuſtodientes. tunc aſcendit Abimelech montem Selmon, accepta ſecuri præcidit arboris ramum, quem ſtatim propriis impoſuit humeris, mox ad milites converſus, ait, Eja fratres, quod me videtis facere, & vos facite. Protinus ramis abſciſſis, ducis veſtigia ſequuntur, & exiguo temporis ſpatio, turrim veluti vallo circumvallantes, & ſtatim ramos ſuccendentes, fumo & igne, hoſtes, qui intus erant, miſere confecerunt. En duces egregii, non violata fide & dolo, ſed militum robore & bellica induſtria utebantur. noverant planè, quàm ſit execrandum crimen, fidem ſemel datam, etiam hoſti violare. Quod olim Athenienſes præclaro teſtimonio comprobavere. nam proditores, nec mortuos nec vivos ferre conſueverunt. Itaque Athenis fidei fractores, neque defunctos ſepeliebant, neque viventes inter ſocios admittebant. hinc Cæſar dicere ſolebat, Placere ſibi proditionem, non proditorem. Auguſtus idem ferè dictitabat, Ego proditionem amo, proditorem non approbo. Antigonus aſſerebat, ſe proditores amare, dum proderent; ubi verò prodidiſſent, odio proſequi. Philippus Rex Macedonum idem dicebat, ſed elegantius, Amo prodituros, non proditores. nec injuriâ. Quomodo enim ſperandum eſt, eum in alienos fidum fore, qui in ſuos perfidus fuit?

Non tamen perfidiæ arguendos dixerim, qui eam

eam fidem ftangunt, quam & ſibi, & reipublicæ indecoram, & exitioſam futuram cognoverint. quoniam cùm alter non habeat jus ad petendum, nec collatum bono jure poſſit accipere, ita nec iſte tenetur promiſſa, cum tanto publicæ rei detrimento adimplere, imò penitus frangenda: ſic conſulit Iſidorus; In malis promiſſis reſcinde fidem, & in turpi voto muta decretum: impia eſt enim promiſſio, quæ ſcelere adimpletur. hinc laudatur Rex David, quod jusjurandum in Nabal reſciderit: damnantur Herodes & Jephte, quod impia vota, impiâ ſanguinis innocentis effuſione expleverint.

Bannes in 2.2. q. 41. a. 3.

Siquidem cùm fides juſtitiæ fundamentum ſit, quis unquam ſanæ mentis, illam cenſebit fidem, quæ juſtitiam evertit? Quin potiùs eos irridendos arbitror, qui, ſi quippiam inhoneſtum promiſerint, mori malunt, tanta eſt vecordia, quàm inconſtantiæ convinci. Sunt enim nonnulli Principes, qui non minùs turpe exiſtimant flecti, quàm vinci, ſed hoc turpiſſimum eſt. non autem turpe, cum re mutare conſilium. hinc elicitur quanta olim fuerit Germanorum ſtultitia, qui aleam ſobrii inter ſeria exercent, tantâ lucrandi perdendive temeritate, ut cùm omnia defecerint, extremo, ac noviſſimo jactu, de libertate, ac de corpore contendant, victus voluntariam ſervitutem adit, quamvis junior, quamvis robuſtior, alligari ſe, ac vænire patitur, & quod ſtultius eſt, hanc dementiam, ipſi fidem vocant: at hæc non eſt fides, ſed pervicacia, ſed furor, ſed inſania; non enim eſt levitas, à cognito & damnato errore diſcedere. Eſt quidem ſuperbæ ſtultitiæ indicium, ſemel dictum, qualecunque ſit, & fixum, & ratum velle. ſiquidem melius eſt recurrere è medio curſu, quàm

Cic. l. 1 de offic.

Sen. de benef. li. 6. c. 30.

Sen. de benef. lib. 4.

malè currere. mutatio quippe in melius ſemper eſt optima.

Nec fides Principe digna, quæ comitata fuco, fraudibuſque implexa, qualem habuerunt Thraces. iſti enim cum Boëtiis inducias, certo dierum numero pepigerunt, ac noctu cùm illi in tuto ſe eſſe exiſtimarent, agros eorum populantur. violatam fidem, inclamant ruinam paſſi. negant iſti, ſe perperam egiſſe, cùm induciæ dierum pactæ eſſent, non autem noctium. ſed hæc, eſt ne dicenda fides? minimè gentium. Perfidia quidem, & ingenuo Principe prorſus indigna, ex cujus ore verba prolata, mentis conceptui reſpondere debent. de quibus poteſt dici, Averterunt ſe, & non ſervaverunt pactum. Proinde pomum Perſicum pro inſigni, unà cum folio adhærente, additâ notâ, Idem ambo, appoſitè attribuitur Principi. illud enim quis non videt, quandam humani cordis figuram præ ſe ferre, & ejus folium linguæ formam præmonſtrare? Quid hinc? ut diſcat Princeps, proprium illius munus eſſe, quod ore pronuntiat, opere complere,

Fert folium linguæ, fert poma ſimillima cordi,
Hinc vitam, ô Princeps, degere diſce tuam.

Ne vulgò decantetur, aliud habet in ore promptum, aliud in pectore clauſum. quod turpe, quod nefas, quod inglorium. Horret animus, cùm Radamiſti barbarum facinus memoriâ repeto, qui, ut Cornelius refert, in Mithridatis amplexus effuſus, ſimulans obſequium, ſocerum & parentem appellavit. Inſuper adjecit jusjurandum, non ferro, nec veneno vim allaturum. mox in lucum propinquum trahit, proviſum illic ſacrificium dictitans, ut, diis teſtibus, pax firmaretur. ſed quid immoror? Radamiſtus quaſi jurisjurandi memor, non ferrum,

Tac. li. 12 annal.

ferrum, nec venenum in patruum, & ſororem expromit, ſed porrectos in humum, & veſte multâ, & gravi opertos necat. En barbari hominis fides infida.

Scio quidem eſſe hominem quendam perditiſſimum, omni vitiorum genere maculatum, qui Principem inſtituit ſine fide, ſine pietate, ſine religione. Quippe, qui nihil tribuat religioni, præter opinionem hominum, in quorum gratiam, vult ſuum Principem aliquam rationem divini cultûs profiteri, adeò ut iſte homo, ſi tamen hominis nomen meretur impius atheus, Principem ſuum doceat, ut potius ſtudeat religionis cultor, & virtutum amator videri, quàm eſſe revera, ſi velit tutius potiri Regno. Quin vult eum ita animo eſſe compoſitum, ut quò flaverint venti, & quò fortuna impellit, eò ſe vertat, & cùm fuerit neceſſitas, operetur malum, leonem & vulpem agens violentiâ, & fraude. Quam impiam, peſtilentem, & perniciosſam inſtitutionem à cordibus Principum avertat Deus, utpote à fide, à religione, ab humanitate alieniſſimam. Quod etiam ipſi Pagani non ſolùm agnovere, ſed quàm maximè deteſtati fuere. ut præclarè Marci Tullii teſtimonio comprobatur. Cùm enim, inquit ille, duobus modis fiat injuria, nempe, aut vi, aut fraude; fraus quaſi vulpeculæ, vis leonis videtur, utrumque ab homine alieniſſimum, ſed fraus odio digna majore. Quid dicet hic, perditus ille homo, ſui temporis macula? nonne ſurget in judicio Paganus hic philoſophus, & condemnabit generationem iſtam? quæ Deum ipſum, ab animo ſuo penitus abalienavit? dixit olim Ethnicus quidam potentiſſimus tyrannus, Si violandum eſt jus, regnandi cauſâ violandum eſt; nec dixit abſolutè, ſed adhi-

Ambroſ. Catar. opuſc. de lib. eliminandis.

Cic. lib. 1 de offic.

Sueton. in vita Jul. Cæſ.

adhibitâ conditione, si violandum est jus. At hic nec Deum, nec homines veritus, absolutè jus violandum proponit, & suadet.

Nec silentio prætereunda ingens hominis istius stoliditas, duos proponit Principes, tamquam exempla imitanda, quorum tamen exitus infelix, ambo enim veneno extincti turpiter occubuere. Sed de hoc perditissimo homine, qui famam infamem, ut alter Erostratus sibi comparavit, satis hactenus. siquidem recitasse ejus impia dogmata, apud verè Christianos, est idoneè confutasse. Satiùs esse duco, Principes Catholicos in Domino exorare, ut malint Christi sapientiam audire, quàm hasce diaboli fallacias, per quas ad tartara præcipitantur. Potentes enim potenter tormenta patientur. Quod si, ô Principes, vultis experimentis doceri, illos Imperatores excogitate, qui & leones, & vulpes fuere, illorum planè vitam reperietis, & periculis, & angustiis refertam, mortem quoque prorsus horribilem. Annales Regum evolvite, & videbitis populum Israëliticum fame vexatum. sed quamobrem? quia Saul fidem à Josue Gabaonitis datam violasset, nec tantum scelus expiatum, nisi septem virorum è familia Saulis, in crucem actorum supplicio, ac nece. Perlegite quoque antiqua historiarum monimenta, & passim videbitis plurimos Principes, fideï beneficio, opibus locupletatos, longè, latéque suum Imperium propagasse. Verùm, quia longior esset sermo, quàm institutum nostrum patitur, si omnium Principum exempla hìc enumeranda susciperem, qui ob servatam fidem incolumes à Deo servati fuere. unum (instar omnium) proferam, ex quo Principes facilè intelligent, quàm benè bonis Principibus cesserit, integra & incorrupta fides. Cùm magnus

Lib. 2 Reg. cap. 23.

Joseph. de antiq. Jud. lib. 11. c. 8.

gnus Alexander Macedo bellum gereret cum Dario Perſarum Rege, omnem movit lapidem, ut Iaddum ſummum Judæorum ſacerdotem,à Dario abalienaret, eumque ſibi fœdere copularet, miſit proinde ad eum nuntios,qui illius animum optimis oblatis conditionibus, pertentarent. Quibus reſpondit ſummus Sacerdos, illud ſibi neutiquam licere. Fœdus enim, quod cum Dario percuſſum fuerat, inviolabili ſacramento confirmatur. Fateor, Alexandrum, audito Sacerdotis reſponſo, tunc vehementer excanduiſſe. Verùm explorata fidei obſervantia, uſque adeò ejus ira deferbuit, ut ipſum poſtea ſacerdotem pontificiis veſtibus indutum, piè ac religiosè veneratus fuerit. Feliciter itaque vobiſcum agetur, ſi dolis fraudibuſque rejectis, divino potius numini innitamini. Quoniam niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam.

Gloria quanta fidem præſtare? at frangere pacta,
Principibus magnum dedecus, atque nefas.

CAPUT XV.

Litterarum cognitionem Imperio annexam habeat Princeps, Et nomen ejus apud omnes glorioſum.

PRÆCLARUM Principis ornamentum,cognitio ſcientiarum,quæ ſummopere conducit ad ſummam reï ritè adminiſtrandam. Nec erit difficile comprobare plurimorũ exemplis, qui quò eminentiores doctrinâ, eò famâ clariores, populis gratiores, & in rebus gerendis feliciores. Ecquid eſt enim imperantis

ſcientia, niſi imperii ſanitas, conſilii lumen, juſtitiæ robur, & denique publicæ ſalutis inexpugnabile quoddam propugnaculum? omnia namque bene cedunt Imperio, cui ſapiens dominatur, neque lædi, neque decipi poteſt, quoniam (inſtar omnium) ſolus omnibus ſufficit. Quippe litteris ornatus, quaſi alter Janus, oculos habet etiam à tergo, ac duplum magis videt, quàm ſolent cæteri homines. Quod animadvertens Plato dicebat, tum beatum orbem terrarum fore, cùm vel Sapientes regnare, vel Reges ſapere cœpiſſent; hinc Regina Saba beatos appellabat, qui ſub Rege Salomone vivebant. Cùm enim ab extremis orbis terrarum partibus, multo comitatu ſtipata, veniſſet Hieruſalem, admirans in rebus gerendis Salomonis prudentiam, in eloquiis ſapientiam, in omnibus regium ſplendorem, præ nimio ſtupore exclamavit, O beati ſervi tui, qui aſſiſtunt coram te omni tempore! nec id falsò quidem. Quoniam Princeps baculo prudentiæ innixus, & doctrinarum cognitione inſignitus, veluti novus Theſeus, novit populos ſubjectos ex errorum Labyrintho, quaſi quodam virtutis glomere, & deducere, & in viam reducere. Proinde Philippus hortabatur Alexandrum filium, ut ſtudia bonarum artium complecteretur; ne inquit, multa committas, quæ me feciſſe nunc pœnitet. Cognoverat nimirum egregius Princeps Regem philoſophiæ expertem, Regno minùs idoneum eſſe. nec puduit fateri, ſe multa perperam feciſſe per errorem, quòd à teneris unguiculis, philoſophiæ præceptis non fuiſſet imbutus. Hoc apprime intelligebat Julius Cæſar primus Romanorum Imperator, in militia nulli ſecundus. hic enim pari ardore, & armis, & litteris fuit ſemper addictus:

Robert. lib. 1 de Conſul.

ctus: cujus excellens Elogium, Ex utroque Cæsar.

Scipio Africanus belli fulmen, dux invictissimus, Pædiam Cyri de manibus nunquam ponebat, quippe qui sciret, Principem sine litteris, contemptui semper habitum. unde Bernardus ad Eugenium, Simia in tecto, Rex fatuus sedens in solio. Carolus Magnus bonarum artium summo exarsit studio, quod ex hoc facilè intelligimus, quoniam Parisiense Gymnasium, & Papiense instituit, accersitis ex omnibus terræ partibus doctissimis viris, quæ ambo ad hæc usque tempora, & ingenti & pari gloriâ florent. Præclaro sanè testimonio hoc idem confirmavit Alexander Magnus, nam post Darium prælio fractum, scrinium in regia præda gemmis elaboratum comperiens, asserentibus amicis, hunc esse locum condendis lapillis accommodatum; longè magis pretiosa, respondit, includam. moxque Homeri Iliades in eo clausit. tanti faciebat doctrinarum cognitionem, utpote, qui potaverat ex Aristotelis fonte, hoc interesse inter doctos, & ignaros, quod inter vivos & mortuos: cùm enim aliquando interrogaretur philosophus, Qua in re differant docti ab indoctis; Quâ, inquit, vivi à mortuis. Sentiens hominem absque litteris, verius esse hominis statuam, quàm hominem. De hujus Principis studio scribit Seneca, quod Geometriam potissimum discere studuit, sciturus, quam pusilla erat terra, ex qua minimum quid occuparet, propterea se infelicem appellabat, quod falsò gerebat cognomen magni. Quis enim magnus in pusillo? quasi diceret cum Seneca, Punctum est, ô mortales, in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis, punctum est, in quo tumultuatur humanum genus, quod inter gentes ferro & igne dividitur.

Bernar. ad Eug. lib. 1.

Baptista, Egnatius.

Plut. in vita Alex.

Plin. li. 7. c. 20.

Sabel. li. 2, c. 7.

Laërt. li. 5. c. 1.

Bruson. li. 3, c. 3.

ditur. ô quàm ridiculi ſunt mortalium termini! In tanto precio apud Ægyptios habebatur litterarum cognitio, ut qui illarum eſſet ignarus, vir tantùm inter mulieres; mulier verò inter viros haberetur. At quoniam viri eſt imperare, non mulieris, ideo in Principe requiritur ſingularis eruditio. Siquidem, qui doctrinæ eſt expers, quaſi caſſus lumine, cæcus cæcos ducit, inde plurima emergunt incommoda in populis, & in Rege auctoritas non parùm negligitur. Proinde Antigonus Macedoniæ Rex, non ignarus, quantum adjumenti afferat doctrina regimini, famâ Zenonis permotus, & litteris, & nuntiis, & promiſſis enixè curavit, ut ad ſe veniret, ibique maneret. Gordianus Imperator imperii præſidia, firmiora in litteris ponebat, quàm in armis. illæ enim imperant, hæc imperata faciunt. Quare uſque adeò fuit litterarum ſtudioſus, ut pluris fecerit librorum, quàm auri vel argenti theſauros.

Pyrrhus Epirotarum Rex, qui bella cum Romanis ſemper ſtrenuè geſſit, non ſolùm ſtudiis ſcientiarum ſe totum dedit, verùm libros compoſuit, mirâ eruditione inſignes. De Theodoſio Imperatore, nonne ſcribit Sozomenus, quod nocturno tempore ſtudiis accuratè vacabat? ejus verba ſunt hæc, Ajunt te interdiu rem militarem, & corpus exercere, ſubjectorum cauſas exactè diſceptare, judicare, ſimul & agere, modò ſeorſum, modò publicè, quæ ſunt agenda conſiderare; totis verò noctibus, libris incumbere. Quid de clariſſimo Pericle, qui quinquies glorioſè triumphavit, quique ob res præclarè geſtas, Olympii nomen eſt adeptus? nonne Anaxagoræ in philoſophia diſcenda operam dedit, in arteque oratoriâ adeò claruit, ut omnes illius ætatis oratores ſuperarit? Nec ſilentio

Sozom. li. 1 hiſt. eccl.

tio involvendus Annibal Carthaginensis, qui dux exercitûs creatus fuit, annum agens trigesimum sextum; qui Saguntum Hispaniæ civitatem, ultra Iberum expugnavit, apud Ticinum, Publium Cornelium Scipionem, apud Trabiam Titum Sempronium, apud Cannas Romanorum exercitum debellavit, idque tantâ Romanæ nobilitatis strage, ut ex postrema hac victoria, duos modios annulorum aureorum Carthaginem miserit. is nonne litteris Græcis apprime eruditus, historiam illo eloquio luculenter scripsit, Phormionisque philosophi discipulus, & auditor assiduus extitit? Lucius Florus lib. 2.

Alphonsus Aragonum Rex, dum quodam tempore à familiaribus rogatus, qui fieri posset, ut tantæ potentiæ Rex, ad inopiam aliquando devenisset? sapienter respondit, Si sapientia venderetur, tacitè innuens, illam eum empturum, plurisque facere, quàm omnes divitias, omnia mundi Regna. quasi præ oculis haberet Salomonis oraculum, Præposui illam Regnis, & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius. Sap. 7. Cato junior, ne in curia quidem dum Senatus cogitur, temperare sibi voluit, quò minùs Græcos libros lectitaret, quâ industriâ ostendit, aliis tempora deesse, alios temporibus superesse. Quid de Cleante philosopho dicemus, cujus adeò pertinax fuit discendi studium, ut ne diurno tempore à Chrysippi lectionibus abesset, nocturnum extrahendæ aquæ ad inopiam suam sustentandam impenderet. Quis Marco Aurelio in discendi cupiditate conferendus? Fuit hic philosophiæ usque adeò addictus, ut annum duodecimum ingressus, habitum philosophi sumpserit, quod philosophiæ studium, nec ad imperium evectus, remisit, nam ad domum

Apollonii magiſtri, jam Imperator, diſcendi causâ ventitabat, audivit & Sextum Cheronenſem Plutarchi nepotem, & alios quamplures, illud Platonis ſemper in ore habuit, Tunc florere civitates, ſi aut philoſophi imperarent, aut Imperatores philoſopharentur.

Regna beata forent, ſi vel contingeret eſſe
Philoſophos Reges, vel Reges philoſophari.

Innumeri ſunt principantes, qui diſcendi deſiderio flagrantes, aſciverunt ſibi ſapientes ad inſtruendum: hinc Alexander Ariſtotelem præ oculis habebat, à quo multa Principe digna ſuſcepit. Inter quæ illud præcipuum, Annales patrum diſcute, inde enim poteris multa bona extrahere, quoniam facta præterita dant certum documentum in futuris. Si quis ex gravi & diuturno morbo, diligenti medicorum curâ convaluiſſet, quodnam conſilium opportunius, quàm ut id audiat, quo à ſimili morbo, ſibi in poſterum bene caveat? ſi quis ex longinqua, & periculoſa navigatione, poſt multa naufragii pericula, rebus omnibus ſalvis, optatum portum tenuit, an non eſſet ſermo bene acceptus, qui de iiſdem periculis in proxima navigatione evitandis, de locorum ſitu, de tempore navigationis opportuno, de ventis propitiis inſtruxerit? denique ſi ex quocunque vitæ, & fortunarum diſcrimine, recenter aliquis evaſerit, nonne amicus fidus cenſendus ille, qui qua ratione ſimile diſcrimen poſtea declinet, eum diligenter monet? ita prorſus efficiunt annales, tanquam veræ rerum gerendarum inſtitutiones; nec differas edoceri, quando jam ingruunt infortunia, & nullus penè locus effugii relictus: tunc enim, aut nihil, aut parùm proderunt conſilia, ſed tempeſtivè cavendum periculum. Experimento namque probatum eſt, quod

quod navis cum per rimulas aquam bibit, in portu, non in freto ſarcienda eſt. Mœnia civitatis diſrupta in pace, non in bello, reficienda ſunt, arma ante pugnam, non in ipſa pugna, præparanda ſunt. Quare Alexander Magnus, inſtructa jam ad prælium acie, cùm cerneret militem quendam eo tempore adaptantem arma, quando pugnandi tempus aderat, ut ignavum & inutilem ab exercitu ſubmovit. Non pigeat itaque, ô Princeps, libros & peritos conſulere, ut Regnum feliciter inſtituatur. Domitius Nero Senecam habuit, qui eum inſtruxit de clementia. Pericles Anaxagoram, à cujus conſilio ne latum quidem unguem diſcedebat. Trajanus habuit Plutarchum, qui eum accuratè erudivit in libro planè aureo, qui inſcribitur de inſtructione Trajani, ut videre eſt in ejus epiſtola, quæ paſſim circumfertur. Plutarchus Trajano ſalutem dicit: Modeſtiam tuam noveram, non appetere principatum, quem tamen ſemper mereri, morum elegantiâ ſtuduiſti. Quo quidem tanto dignior judicaris, quanto à crimine ambitionis videris alienior. tuæ igitur virtuti congratulor, & fortunæ meæ, ſi tamen rectè geſſeris, quod probè meruiſti, alioquin te periculis, & me detrahentium linguis, ſubjectum non dubito, cùm delicta diſcipulorum refundi ſoleant in præceptores, ſicut Seneca Neronis ſui improbitate, meritò detrahentium carpitur linguis. adoleſcentium ſuorum temeritas in Quintilianum refunditur. Socrates denique in pupillum ſuum fuiſſe clementior criminatur. Tu verò quis es? rectiſſima geres, ſi à te ipſo non receſſeris, ſi primò te compoſueris, ſi omnia diſpoſueris ad virtutem, rectè tibi cedent omnia. Ecce diſciplinam morum, & viam virtutis deſcripſi tibi, huic ſi obtemperas,

Plu-

Plutarchum habes vivendi auctorem, alioquin præsentem epistolam testem invoco, quod in perniciem imperii non pergis auctore Plutarcho. Probè noverant præstantissimi Principes, quod qui nullum prorsus habent cum Pallade commercium, in gravi regiminis negotio cæcutiunt, & quod deplorandum magis, unà cum populis turpissimè ruunt. Quoniam judex sapiens judicabit populum, & principatus sensati stabilis erit; at Rex insipiens perdet populum suum. Proinde Policratus dicebat, & quidem scitè; Tria sunt potissima media, ob quæ Romani omnium gentium domitores, & totius orbis dominatores fuere, fides, exercitatio, scientia. Et profectò, ut magna rerum publicarum felicitas est, dum virorum sapientum reguntur consilio; ita summa earum pernities, dum imperiti ad earum sedent gubernacula. Rectorum quippe ignorantia, universi Regni statum evertit. Quod divinus Vates pulchre innuit, dicens: Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant, movebuntur omnia fundamenta terræ. Una ex præcipuis Ægypti plagis, fuit densitas tenebrarum, quâ fiebat, ut unus alterum discernere nequiret. Quis autem nescit tenebras, ignorantiæ hieroglyphicum esse? nulla itaque major calamitas Regno potest accidere, quàm dum imperiti summam reï administrant. Corpus humanum, quamvis brachiis, pedibus, auribus, oculis, aliisque membris truncatum sit, vivere nihilo minùs potest, at capite imminutum, quàm primùm mori necesse est. ita Respublica cùm filios labe infectos habet, misera quidem, & deploranda est, vivit tamen & spirat, modo capita erudita, ac pastores honestæ vitæ nacta sit: at si præsules ipsi omnibus vitiis habenas

Ecclef. c. 10.

Policratus li. 6.

Psal. 81.

Exod. c. 10.

benas laxant, ignorantiæ tenebris involuti, ſtatim omnia collabuntur, & in præceps ruunt. Propterea Cabrias dux Athenienſium dicere ſolebat, Se malle exercitum cervorum, duce leone, quàm exercitum leonum, duce cervo. Quod egregium apophthegma noſtræ rei ſic adaptari poteſt, In majori periculo verſatur illa reſpublica, quæ doctis hominibus abundat, ſed ductor eorum eſt cervus, hoc eſt, ineptus & ignarus; quàm illa, quæ imperitis hominibus referta eſt, ſed regitur à leone, hoc eſt, à ſapientiſſimo Principe. Proinde bene conſulebat Sapiens; Diligite Sapientiæ lumen, vos qui præeſtis populis. ac ſi dixiſſet, ſicut Sap. c. 6. dignitate, ita & virtute excellere debetis. Quoniam Princeps ſine litteris, ait Petrus Chryſologus, eſt navis ſine regimine, & volucris abſque pennis. Interrogatus Plato, quidnam intereſſet inter peritum, & imperitum, reſpondit; Quod inter medicum & ægrotum. Huc facit perbelle aureum Diogenis reſponſum: Cùm enim quendam ad ſapientiæ ſtudium hortaretur, illeque renueret, dicens; non ſum idoneus philoſophiæ; quid igitur vivis? inquit Diogenes, ſi nulla tibi rectè vivendi cura eſt? Non enim ad hoc vivit homo, ut vivat tantùm, ſed ut diſcat rectè vivere. monuit philoſophus nobilem quendam virum, ut filium ad ſcholas mitteret, quò philoſophiæ operam daret; ille autem interrogavit, Quam utilitatem aſſequetur filius meus ex ſtudiis philoſophiæ? cui philoſophus reſpondit, cùm fuerit in theatro, de eo dici non poterit, Lapis ſuper lapidem ſedet. Quare Philippus nato ſibi filio Alexandro, ingenti lætitiâ perfundebatur, non tantùm, quia in lucem erat editus Regni hæres; ſed quòd his temporibus eſſet natus, quibus vivebat Ariſto-

Veget. li. 1 de re milit.

Ariſtoteles, à quo inſtituendus erat. ejus epiſtola eſt hæc, Philippus Ariſtoteli ſalutem. Scito mihi filium genitum eſſe, qua de re ingentem diis habeo gratiam, non ideò, quia natus eſt, ſed quia Ariſtotelis, à quo poteſt erudiri, natus eſt tempore. Spero fore, ut edoctus abs te, dignus fiat Regno paterno. Vale. ſiquidem nullus eſt, quem oporteat vel plura, vel meliora ſcire, quàm Principem, cujus doctrina poteſt omnibus prodeſſe ſubjectis.

Plato li. 4 de repub.

Aſpera quidem, non me latet, ad bonas diſciplinas via, earumque cognitio apprime difficilis, at proinde laudabilis, & præclara. Siquidem, quæ res grandis & glorioſa, ea ſolet plurimis rerum aſperitatibus intercludi. Nil enim præclarum apud nos reperitur, niſi arduum; nil pretioſum, niſi ſudore paratum; nil animo ſalutare, quod corpori non videatur amarum. ita circumfertur adagium, Per ardua virtus. ut eleganter deſcripſit Poëta,

Littera Pythagoræ diſcrimine ſecta bicorni
Humanæ vitæ ſpeciem præferre videtur.
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemque aditum primum ſpectantibus offert,
Sed requiem præbet feſſis in vertice ſummo.

Hinc Minerva ab antiquis fingebatur armata, quia doctrina nullis, niſi acriter diſceptantibus, fit præda. Hac de cauſa, ni fallor, Palladi templa apud Græcos in altiſſimis erigebantur arcibus, ut docerent, ſcientiam in arduo eſſe ſitam, & in magnis tantum animis habitare, ignavis autem ad doctrinam nullum omnino patere aditum. Quocirca Ægyptiorum ſacerdotes, os amygdali conſtituerunt virtutis hieroglyphicum; eſt enim plurimis veluti ſtigmaticis notis, & cicatricibus inſignitum, ejuſque arbor clavo innixa, fertilior, red-

redditur. atque quod maximè admirandum, arboris ejus cortex, cùm amarissimus sit, suavissimos tamen fructus edit. En verum virtutis symbolum, quæ non nisi laborioso certamine paratur. & quid mirum si ignavis omnibus ad virtutem interclusus est aditus? sudandum enim & laborandum est, ut pulchre Poëta.

Virtutem posuere dii sudore parandam,
Multa tulit, fecitque puer, sudavit, & alsit.

Non est magnum, mare tranquillum navigare; magnum est, in procelloso strenuè agere. Quæ magna laus equitis armati, qui pugnat contra hostem ligneum? Inertis est tuta secare.

Camelus non bibit, nisi prius pede concutiat aquam, sic ait academicus, adjectâ notâ, Juvat empta labore gloria. in discendi studio labor quidem, sed inde magna voluptas, & præ lætitia gestiens dices, Quæ prius devia, nunc pervia. Et ubi mentis oculus caligabat, nunc illuminatur & perficitur intellectus, quamvis enim excellens sensibile corrumpat sensum, excellens tamen intelligibile perficit intellectum. hoc autem non præstabis, nisi comite improbo labore. non tamen operis difficultas deterreat, sed strenuè prosequendum. Qui ignem è silice cupit excutere, non semel percutit, sed iterum atque iterum, donec tandem scintillam excutiat; ita licèt confestim abdita quæque non medullitus penetres, non tamen desistas, sed audentior eas, quoniam tandem nubibus disjectis, voti compos eris. Siquidem labor improbus omnia vincit. Quorsum Romani bovem diis mactaturi, caput illius coronis cingebant? proculdubio animus erat innuere, soli labori coronam deberi. Nulla enim (ait Romani eloquii pater) potest esse diuturna gloria, quam

labor

M. Tull. Tuſcul. lib. 3. Clem. Alex. ſtrom. 8. labor ſtrenuus, & indefeſſus primum non anteceſſerit. Memoriæ ſuccurrat illud Clementis, Fama eſt, virtutis domicilium eſſe in quibuſdam rupibus, ad quas difficilis admodum ſit aſcenſus, ea verò non conſpicitur, quibuſcunque hominum oculis, neque unquam ad eam quiſquam perveniet, tanquam ad fortitudinis propugnaculum, niſi primùm in ſudore, ac labore ſuam induſtriam probarit. Quid gloriæ Alexander, quid Epaminondas, quid Themiſtocles, ſibi conparaſſent, niſi laborioſis expeditionum anguſtiis, arduum virtutis iter ſibi conficiendum propoſuiſſent? Quas laudes Cæſar eſſet conſecutus, ſi facilè illi fuiſſet, Britannis inferre bellum; aut Annibal, quam famam ſibi cumulaſſet, ſi dum Italiam adiret, pervias Alpes citra pulverem & ſudorem, & ſine magna ſuorum clade feciſſet? Quàm bene Propertius,

Propert. 4. elegiarum.

Magnum iter aſcendo, ſed dat mihi gloria vires,
Non juvat ex facili lecta corona jugo.

Hæc eſt via regia, ingenuo Principe digna, res præclaras aggredi, ad quas non omnibus pateat acceſſus, per quarum ſemitas ad gloriæ culmen pervenitur; notâ poëticâ ita inſonante, Sic itur ad aſtra. Quod etiam perbelle inſinuarunt poëtæ, dum Palladem fingunt natam ex patre, ſine matre. hoc enim commento oſtendunt, doctrinam, non ex voluptate, quâ capiuntur molliores, quaſi mulieres, ſed ex plurimo labore naſci, quo viri vitam agunt, pro comperto habentes, unumquodque opus, quò difficilius, eò etiam præclarius; in Principibus præſertim, qui in ſacro dignitatis culmine conſtituti, aliis viris præcellere debent, non tantùm dignitatis robore, ſed viribus ingenii, & doctrinarum cognitione, quarum radices

radices amaræ nimis, & spinis undique circumseptæ, porrò fructûs gloriosi & suaves. ita canit adagium per omnium ora decantatum, Virtutis gloria fructus.

Imperium firmant victrices Palladis artes,
Ex quibus omne decus, gloria, fama simul.
Omne tulit punctum regalia sceptra gubernans,
Qui Imperio jungit, cum probitate, Togam.

CAPUT XVI.

Viros doctrinâ præstantes, ac probitate insignes, honoribus, ac beneficiis foveat Princeps, Et nomen ejus in benedictione erit.

O INFELICEM nostræ tempestatis conditionem, in qua paucissimi sunt potentes, qui bonarum disciplinarum studia, benevolentiâ complectantur. Ubi nunc Mæcenas, qui doctos viros observet, ac non potiùs negligat, ne dicam contemnat? non ita, non ita priscis sæculis, & quidem aureïs. Siquidem tunc temporis Principes eruditissimis viris delectabantur, favebant, fovebant, in consiliis maximarum rerum adhibebant, illos observabant, honoribus, ac beneficiis cumulabant. Quin etiam sapientum virorum consuetudine, adeò oblectabantur, ut eum diem se perdidisse putarent, in quo nullum cum eïs de rebus seriis sermonem habuerint. Imò viros insigni doctrinâ claros, sic amabant, venerabantur, suspiciebantque, ut ex iis tanquam ex oraculis penderent toti, nihilque probarent, nisi quod probarent ipsi, & quod generosius

est, illis, quorum sapientiâ, & consilio illustrabantur, quæ ad vitam necessaria erant copiosè suppeditabant, eorum instar, qui lucernæ, quâ opus habent, oleum instillant. Quippe, qui probè noverant, virtutem suapte naturâ amabilem, comitem secum trahere honorem, ac benevolentiam, veluti corpus umbram. Nec eos latebat, honorem esse prœmium virtutis; monstrum autem esse in natura, si vitiorum fiat præmium. Quod ut apertiùs omnibus sit exploratum, aliqua priscorum exempla proferamus in medium.

Arist. lib. 4. ethic.

Crœsus Lydorum Rex opulentissimus, cùm studio sapientiæ flagraret, cerneretque barbaras illas nationes, quibus imperabat, viris doctis omnino carere, Anacharsis famâ excitatus, ad eum Athenas usque, unum ex familiaribus suis misit, qui illum ad se accerseret, aurumque eï dono offerret; ad quem ille hujusmodi epistolam scripsit. Anacharsis Crœso bene agere. Veni in Græciam, Lydorum Rex, ut bonas disciplinas perdiscerem. auro non egeo. satis mihi fuerit, si doctior, meliorque ad Scythas rediero. Sed quia benevolentiam tuam mirificè amplector, ad te quamprimum ire pergam. Vale.

Antigonus Rex observantiâ penè incredibili prosecutus est Bionem Borysthenitem, quod vel ex hoc facilè conjici potest, quia cùm audisset illum graviter ægrotare, & multâ etiam inopiâ laborare, nonne duos ex suis familiaribus ad eum visendum, & curandum misit? jussitque, ut omnia eï opportuna suppeditarentur?

Metrodorus Sceptius, vir eloquio dulcis, & variis disciplinis eruditus, Mithridati maximo Regi tantâ benevolentiâ conjunctus fuit, ut ab omnibus passim Pater Regis appellaretur. Platonis quoque

quoque memoriam adeò veneratus eſt hic Rex eximius, ut illius ſtatuam in academia erexerit, ejuſmodi titulo inſcriptam, Mithridates Rodobati filius Muſis Platonis imaginem dicavit.

Antigonus Rex Macedonum, philoſophorum amantiſſimus, accepto nuntio de morte Zenonis Stoicorum Principis, quem ille ante omnes admirabatur, proclamavit, Quale theatrum perdidi!

Dionyſius tyrannus tanti faciebat doctrinam Platonis, ut illi in Siciliam venienti, regiam navim miſerit obviam, & egredientem in littore, albis quadrigis exceperit. Quid? nonne iſte, quamvis ad ſævitiam natus videretur, Ariſtippi tamen philoſophi diſciplinâ ſummopere delectatus eſt? eo præcipuè, quòd loco, & tempori inſervire noſſet, jociſque ac ſalibus abundaret; quod quidem vel ex hoc colligi licet: tres enim adoleſcentulas formâ inſigni, & integrâ ætate adducit ei Dionyſius, ut ex illis unam quam vellet, acciperet. Tunc Ariſtippus tres ſimul abduxit, aſſerens Paridem neutiquam impune tuliſſe, quod unam deam duabus prætulerit. quo quidem lepôre, ac joco voti compos factus eſt, & integrum munus accepit. Nec minùs habet feſtivitatis, quod de illo etiam circumfertur: Cùm Ariſtippus à Rege pecuniam aliquando poſtularet, facetè Dionyſius ait: Nonne docuiſti, ſapientem pecuniâ non egere? at ille, Da, inquit, & poſtea diſſeremus. cùm verò dediſſet, Videſne, ait, me pecuniâ non egere? & cùm tyrannus his rebus delectaretur, eundem ſummis honoribus, ac muneribus indies afficiebat.

Pyrrhus Epirotarum Rex nonne ſemper magno in honore habuit Cineam Theſſalum? imò tam præclarè de eo ſentiebat, ut diceret, plures urbes à

Cineæ oratione, quàm à se armis expugnatas esse. tantâ pollebat suavitate dicendi.

Sed quid dicam de Alexandro ob res præclarè gestas magno & maximo? viros spectatâ doctrinâ insignes, quot beneficiis affecit? quot honoribus decoravit? quantâ benevolentiâ prosecutus? nonne mirificè dilexit Onesicritum, quem in militia secum habuit, & res in bello ab eo gestas litteris mandari voluit? Diogenem quoque Cynicum nonne semper magnifecit? Seriò enim dicebat, Diogenes esse vellem, nisi Alexander essem; quasi se unum omnibus mortalibus anteponeret, Diogenem verò secundum faceret. Nonne tanto studio Homeri Iliadem observavit, ut eam reï militaris viaticum appellaret? imò dormiens sub pulvino cum pugione tenebat. Præclarus testis est Xenocrates, quantis honoribus viros doctos soleret afficere. siquidem Xenocratis ingenium admirans, quinquaginta talenta dono misit, eò quòd acceperat ab amicis, illum ex angustia reï familiaris laborare, & proinde Musas ipsas cum viro paupere in squalore jacere. dicebat enim egregius Princeps, potentiorum liberalitate Musas esse depascendas, quasi decantans Isocratis dictum, Nullus præclarior thesaurus, quàm beneficium apud doctos, & bonos viros collocatum. & illud Publii mimi oraculum, Beneficium dando capit, qui digno dat; qui autem non dat, videtur potiùs, quod alienum est retinere, quàm quod suum est, non dare. Nec silentio prætereamus observantiam singularem magni istius Principis erga Aristotelem philosophum. hunc tanto amore prosequebatur, ut diceret, pares gratias Aristoteli magistro, & Philippo patri se debere, ut qui ab hoc vivendi causam, ab illo autem bene vivendi ra-

tionem accepisset. quâ quidem sententiâ facilè intelligimus, quanti fecerit Alexander sapientiæ studium, & divinarum humanarumque rerum cognitionem, pro qua non minùs ambitiosus fuit, quàm pro imperio totius orbis terrarum. Siquidem cùm intelligeret ipsum philosophum evulgasse occultiora quædam philosophiæ arcana, illum per epistolam his verbis objurgavit, Alexander Aristoteli salutem. Quod speculativas edidisti disciplinas, id mihi nequaquam acceptum est, nec mehercule rectè egisti. Eam enim rem, quâ cæteris præstabam, jam omnibus dedisti esse communem. malueram equidem singulari disciplinâ, quàm ingenti potentiâ cæteros anteïre, quasi recolens Antisthenis monitum, ea esse paranda viatica, quæ simul cum naufragio enatarent; sentiens bonas artes ubique esse in pretio, nec posse à fortuna eripi. sic Aristippus Cirenæus civibus suis mandavit, ut eas sibi pararent opes, quæ navi fractâ, simul cum possessore possent enatare, nunquam enim & nusquam virtus sine honoris dignitate est, ut nunquam Sol sine radiis, etiam cum nubibus obducitur.

Aul. Gell. li. 20. c. 4.

Laërt. li. 6. c. 1.

Archeläus Macedonum Rex, Euripidis familiaritate, mirum est dictu, quàm vehementer fuerit oblectatus, quod ex hoc facilè conjicitur, quoniam cum Poëta ab eo rediens, præ malevolorum invidia à canibus fuisset laceratus, ejus reï dolorem non solum lugubri veste, sed etiam crine tonso, multisque propter immane scelus de medio sublatis, perspicuè demonstravit.

Marcus Antonius inter Cæsares singulari exarsit litterarum studio, quarum institutoribus tantùm deferebat, ut ad Consulatum usque eveheret.

Marius dux ille insignis, litteratos homines

unicè diligebat, Poëtas præcipuè, quorum ingenio ſperaret, ſuarum rerum geſtarum gloriam celebrari poſſe. talis ingenii fuit Antoninus Caracalla, qui in ſingulos Oppiani Poëtæ verſus, quos Imperatori dicârat, & quorum numerus ingens erat, ſingulos aureos juſſit rependi. Quis enim eſt Princeps, qui non cupiat nomen ſuum immortalitati mandare? at hoc ſine litterarum præſidio fieri nequit. Fluxa nempe eſt hominum memoria, picturæ labiles, caducæ ſtatuæ, & inter mortalium inventa, nihil ſtabilius litteris nullo tempore perituris. Scio quidem nunc temporis incultas, & penè mutas eſſe Muſas, ſed quid mirum? ſine Gratiarum choro, Muſæ parùm belle concinunt; rara nunc eloquentia, quæ Cleanthis lucernam oleat. in promtu cauſa eſt, qui indigent lucernâ, oleum non inſtillant. Quæ ſtrenuè geritis, ô Principes, obſcurâ oblivione involuta óccident, niſi ſcriptorum eloquentiâ, quaſi quodam Sole, illuſtrentur. illos igitur fovete, & veſtris beneficiis, immortalitatem rependent, dum veſtras laudes, tranſmiſſis ad poſteros egregiis litterarum monimentis, perpetuò perſonabunt. hoc probè intelligebat Alexander ille Macedo, nunquam ſatis laudatus. hic enim Princeps adhuc adoleſcens, Regno potitus, & ad ipſam orbis monarchiam evectus, nihil tamen ſibi actum in tanto rerum faſtigio putabat, niſi eruditos viros apud ſe haberet, quorum conſilio uteretur, quique ejus res geſtas æternitati commendarent. nec ſilentio involvendùm reſponſum illud, aureïs litteris inſcribendum. Cùm enim quadam die mœrore conficeretur, miles ad eum pervenit, dicens: bonum nuntium tibi affero, inviƈtiſſime Imperator; at Alexander, Quid mihi boni nuntiabis, niſi

nunties

nunties Homerum revixisse? en quanto studio prosequebatur viros doctrinarum cognitione insignes. sermo nimis protraheretur, si cuncta beneficia recensere vellem, quæ Alexander non conferebat, sed effundebat in viros Palladi addictos. hoc unum dicam, Thebis bello captis, cùm urbis excidio communis omnium strages immineret, statim edixit, ut à Pindari penatibus, ejusque familiâ, omnis vis bellica abstineret. Experimento namque animadvertit, quantæ utilitatis sit, habere viros à latere, doctrinâ præstantes; litteris enim traditum est, quosdam, qui Alexandrum oderant, obtulisse puellam quandam, formâ insignem, sed veneno nutritam, hoc consilio, ut ad illam accedens, veneno inficeretur: sed Aristoteles ejus præceptor, per oculorum puellæ obtutum, perpendit veneno illam esse enutritam, prohibuitque Alexandrum ab ejus contactu. Lyran. super Dan. c. 8.

Scipio Africanus perpetuis laudibus verè celebrandus, qui statuam Quinti Ennii Poëtæ in sepulchro suo collocari jussit, ut posteri perpetuò intelligerent, quanti fecerit tertiæ terrarum orbis partis victor Poëtam illum, qui primus apud Latinos carmen heroicum scripsit, & gesta populi Romani celebravit.

Sigismundus Imperator, Alberti socer, illo præcipuè titulo commendabilis fuit, quod, ut ipse linguarum ac litterarum peritissimus fuit, ita viros eruditione præstantes, semper fovere, ac beneficiis cumulare studuit. quo nomine, cùm à Germanis Principibus, qui Latinas litteras oderant, carperetur, quòd homines obscuro genere natos, ob litterarum commendationem ita complecteretur, Quid ni, inquit, eos amem, quos natura cæteros antecellere voluit? dignum sanè Baptista Egnatius.

 oracu-

oraculum, multo ſale aſperſum. ſicut enim homo, ratione cæteris præſtat animantibus, ita vir eruditione inſignis, imperitis hominibus antecellit. Germani plurimùm tribuebant generis nobilitati, at vir prudens intellexit in viris doctis eſſe quoddam ſtemmate præſtantius. illi habent parietes clypeïs & imaginibus depictos, at hi animum habent egregiis diſciplinis inſignitum. Porrò, ut naturâ animus præſtantior eſt corpore, ita ornamenta ingenii, pulchriora ſunt externæ nobilitatis inſignibus. Qui enim nihil amplius habent, quàm majorum imagines, iſti ſunt nobiles veriùs opinione, quàm re. at qui virtutum radiis undique coruſcant, hi germanam ac nativam habent nobilitatem. cuidam exprobranti patriam, reſpondit Anacharſis, Mihi quidem probro patria eſt, tu verò patriæ. Hinc Antigonus Rex, filio paternâ virtute glorianti, & idem ſtipendium poſtulanti, reſpondit, Andragathia, Patragathia. hoc eſt, virilitas, & bonitas paterna. quaſi diceret, non avitis ſtemmatibus, ſed propriis virtutibus innitendum. Solis inſtar, qui proprio, non mutuato lumine coruſcat. Satis compertum eſt apud omnes, qui bene ſentiunt, pluris ſemper fuiſſe habita nomina, quæ proprio Marte parantur, quàm quæ à parentibus accipiuntur. hæc enim jure ſanguinis, ad nos perveniunt, illa propriâ virtute quæruntur. Unde cernimus Patriarcham Jacobum, poſtquam fuerat cum Angelo fortiter luctatus, proprio nomine mutato, accepiſſe nomen Iſraël, quoniam Angelo prævaluit. Apoſtolus doctor gentium, Sauli nomine relicto, Paulus appellatus fuit, quòd Sergium Paulum ad fidem convertiſſet. Caput Eccleſiæ, relicto nomine Simonis, quo priùs vocabatur, Petri nomen aſſumſit, à Chriſto impoſitum,

tum, propter firmitatem fideï, quâ inter alios Apostolos excelluit.

Nec solùm in sacris, sed in profanis quoque litteris, hujus reï inveniuntur exempla. Scipio, cur Africanus nuncupatur? quia Africam subjugavit. Domitianus debellatâ Germaniâ, meruit Germanicus nominari. Manlius Romanus, quia Gallum quendam virum strenuum, in singulari pugna prostravit, & illi torquem detraxit, tanquam tropæum, inde laudis gratiâ, dictus fuit Manlius Torquatus. Otho Vicecomes in bello Terræ sanctæ, vicit Sarracenum, qui in galea, & in clypeo, pro stemmate, gerebat viperam, in memoriam tantæ victoriæ sumsit, & pro se, & pro posteris, viperam pro insigni gentilitio. hinc est quod Christus Salvator aliis nominibus, & titulis relictis, nomen Jesu nunquam demiserit. alia quippe nomina; ut Eloïm, Adonai, Jehova à divina natura habent originem, at præclarissimum nomen Jesu propriâ virtute quæsivit. propterea quando Paulum equo dejecit in terram, & diceret, Quis es Domine? non respondit, Ego sum Alpha, & Omega, magni consilii Angelus; sed tantùm, Ego sum Jesus, quem tu persequeris. Generosi enim animi proprium est, pluris æstimare, quod propriâ fortitudine, quàm quod jure hæreditario paratur. Hoc namque vix nostrum putamus. hinc videmus strenuos milites de signis hosti ereptis, de versis in fugam copiis, de superato vallo, aliisque in bello præclaris facinoribus à se gestis, libentiùs, & frequentiùs, quàm de majorum stemmatibus, & imaginibus gloriari. Proinde magnus ille dux Agatocles ex figulo ad Regnum assumtus, vasa terrea inter aurea collocabat. ut pulchre expressit Poëta,

Gell. c. 13. lib. 9.

Act. c. 9.

Auſon. lib. epigram.

Fercula gemmatis cùm poneret aurea vaſis,
Et miſceret opes, pauperiemque ſimul,
Quærenti cauſam, reſpondit, Rex ego qui ſum
Sicaniæ, figulo ſum genitore ſatus.

Perinde, ac ſi diceret, hæc eſt vera nobilitas, propriis meritis, non alienis inniti. non puduit priſtinæ fortunæ, ſed glorioſius exiſtimavit regnum virtute partum, quàm ſi hæreditate obveniſſet: nam Regem naſci, nihil magni eſt, porrò Regno dignum ſe præſtare maximum eſt. Quod præclaro Amaſis Ægyptiorum Regis exemplo comprobatur. is enim obſcuro loco natus, cùm ad regalem dignitatem perveniſſet, nobiles & primarii obſequium præſtare detrectabant. tunc Rex accito ad ſe aurifice, mandavit, ut è pelvi quadam pedibus ſuis lavandis antea deſtinatâ, inſignem Jovi ſtatuam conficeret, quam, dum quâdam die ipſe, totuſque populus in templo verſarentur, juſſit in medium afferri, mox eam flexis genibus omnes adorarunt. quibus Amaſis, Quid adoratis? adoratis vas, quod heſternâ die abluendis pedibus meis deſerviebat. Cui omnes uno ore reſponderunt, Non aſpicimus quod fuit, ſed quod nunc eſt. tunc Rex hæc eadem verba in eo retorquens, continuò dixit, Ergo non aſpiciendum, quod fui, ſed quod ſum. humili quidem ſum loco natus, tamen Deo ita diſponente, ad regalem thronum aſcendi. hoc commento docuit, in omni prælatione divinitus ordinata, non materiam, ſed formam ſpectandam eſſe. Quippe, quod vera nobilitas non alienis, ſed propriis ingenii viribus innititur, quibus, qui præſtant, cæteros homines facilè antecellunt. Ecquid igitur mirum, ſi olim præſtantiſſimi Principes, viros doctrinâ conſpicuos, veluti quædam numina admirabantur, ſuſpiciebant, beneficiis fovebant,

Herod. lib. 2 hiſt.

Ariſt. li. 8 polit.

bant, & multis honoribus cumulabant? & ne longè exempla petamus, instar omnium, veniat in mentem solus Leo Decimus Pontifex Maximus, Mediceæ familiæ splendor illustrissimus, verus litterarum Mæcenas, perpetuis encomiis extollendus: is enim in fovendis, & favendis doctis viris, totus fuit, & in ditandis, atque dotandis bibliothecis, assidue insudavit. Quid? nonne de hoc egregio Principe claris historiarum monimentis traditur, non sine maximâ admiratione & laude, ita beneficum fuisse erga viros litteris ornatos, ut pro numeris, nummos daret, & pro metris, mitras? ô præstantissimum virum æternâ memoriâ dignum! hoc idem gloriosè decantatur de Nicolao Quinto Summo Pontifice,

Consilio illustris, virtute illustrior omni,
Excoluit doctos doctior ipse viros.

Non tamen Princeps æquali omnes beneficio afficiat, neque omnes æqualibus debet cumulare honoribus: non enim est una omnium facies, ait Cicero; nec ex omni ligno fit Mercurius, ut ait vetus adagium. Nec quivis ad quodvis munus idoneüs est, ut apud omnes sapientes experimento est comprobatum. Sed majores virtute, majori etiam dignitate cumulabit. Solis instar, qui omnia quidem ædificia lumine suo illustrat, sed illa magis, quæ fenestras habent patentiores. ita sanè Princeps, omnes quidem subditos pari studio complectatur, at illos majori afficiat honore, quos animo præstantiores, & ad res gerendas noverit magis idoneos: cæteros tamen non negligendo, optimi pictoris instar, qui non oculos solùm, & faciem, quòd potiora sint, penicillo exornat; sed totam quoque imaginem colorum varietate honestat. cui reï convenit egregiè, insigne illud

acade-

academicum; vaſa nempe, parva, & magna, quælibet tamen pro modulo ſuo repleta, cum inſcriptione, Æquum, ſed non æqué. & tandem ſe habeat Princeps, veluti centrum, quod minores lineas mittit ad circulum minorem, & majores ad majorem, ne minùs dignos dignioribus anteponens, jure optimo redarguatur à ſapientiſſimo Rege his verbis, Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii, ita qui tribuit inſipienti honorem. Pro cujus loci intelligentia, non erit abs re, aliquorum ſententias adducere. Hieronymus linguarum peritiſſimus, pro explicatione, præſupponit antiquam gentilium conſuetudinem. hi namque in biviis viarum, Mercurii ſtatuam collocare ſolebant, in qua, quò iter tenderet, ſcriptum erat, unde viatores cultûs & religionis gratiâ, & in gratiarum etiam actionem, ſtatuam illam lapidibus circumdabant, non ſecus, ac modò peregrini juxta cruces, lapides varios coacervare ſolent. hoc ſuppoſito, ſenſus eſt, Sicut illi, qui colebant Mercurium, vero Deo injuriam inferebant, debitum honorem, qui eï ſoli debebatur, falſo Deo deferentes; ita etiam, qui ad dignitatem aliquam, indignum eligit, & erigit, injuriâ afficit dignum, eï denegans honorem ſibi debitum; eſt enim grave delictum minùs idoneïs, dignitatis munus committere, ut docet proverbium illud jam vetuſtate contritum, Clitellæ, bovi non ſunt imponendæ. proinde ſcitè admodum loquitur Sapiens; Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii, ita qui tribuit inſipienti honorem.

Prov. c. 26.

Alia expoſitio affertur, nec prorſus indigna. ſicut ineptum eſſet, gemmam aliquam pretioſam, in acervum lapidum mittere, ita ſtultum eſt marga-

ritam præclaram dignitatis, indigno tribuere. quod nefas ita abhorrebat Socrates, ut in quendam, quem videbat passim & sine delectu beneficia largientem, inveheretur his verbis, Malè tibi sit, qui Gratias virgines, scorta fecisti. quod planè fit, cùm Princeps ingentes opes, sine judicio, in obvios quosque etiam immerentes prodigit.

Doctores Hebræi aliter interpretantur. asserunt enim in originali linguæ sanctæ, reperiri hanc dictionem; margema, quæ quamvis acervum significet, purpuram etiam denotat. unde perinde fuit, ac si dixisset: quemadmodum, si quis saxum aliquod, purpurâ indueret, manifestum dementiæ argumentum proderet; sic qui dignitatem homini insipienti impertiretur. hinc Orator Romanus dicebat, Benefacta malè locata, malè facta arbitror. Pessimum malum est, dignitates ad indignos deferri, quia nequitia, quæ privata torpebat, in excelso collocata, plures provocat ad imitationem. Diversâ ratione explicarunt Septuaginta Interpretes: nam ubi nostra vulgata legit; Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii; ipsi legunt, Sicut qui ligat lapidem in fundâ, ita qui dat insipienti honorem. & sapienter quidem. sicut enim saxum, ob gravitatem à natura sibi ingenitam, ad inferiora semper propendet, & nihilominus in funda positum, brachii impetu, adeò evolat in sublime, ut & aves quandóque transcendat, ita ignarus suæ indignitatis pondere pressus, instar lapidis, loca inferiora petit: at Princeps in funda suæ protectionis collocans, & potentiæ suæ impetu sublevans, ad altissimum culminis fastigium præter omnium opinionem provehit. sæpe tamen accidere solet, quod veluti saxum ad æthera usque projectum, cessante

Cic. lib. 2. de offic.

cessante impetu à projiciente eï impresso, gravitatis suæ pondere, ad ima rursus descendit; ita etiam non semel visum est, ut ignarus honore indignus, deficiente benignâ Principis aurâ, à dignitatis fastigio misere decidat, &, quod notatu dignissimum est, sicut qui imprudenter lapidem projicit, ad illatum damnum tenetur; ita qui perperam dignitates distribuit, universa damna propter electi imperitiam, reïpublicæ illata, reficere debet. Quoniam cùm Princeps sit minister justitiæ in Republica; ideo si officia tribuat indignis, peccat, & restitutioni est obnoxius. Quis enim ignorat dignitates, instar gladii esse? quo vir prudens ad sui tutelam utetur opportunè, hostesque strenuè propulsabit; improbus verò ad neces, ad proditiones, ad infinita penè scelera abutetur. Porrò sicut furioso gladium petenti non dares, ita nec imperitis hominibus dignitates conferendæ, à quibus domûs, civitates, imperia everti solent. ut experimento docuit Tiberius Imperator, sub cujus regimine, plurimum meri exhausisse, virtus erat; & ebrietati, non integritati, supremi honores deferebantur. Quid? nonne litteris proditum est, ipsummet Principem, continuum biduum cum Pomponio Flacco, & Lucio Pisone epulando, potandoque consumsisse? quorum alteri Syriam provinciam, alteri præfecturam urbis confestim detulit. Cur tot flagitia perpetravit Nero, & tam brevi, tamque infelici exitu corruit Regnum? quia non judicium, & rationis trutinam, sed suas libidines in eligendo secutus. Satis abunde ejus turpitudines detegemus, si Sophonium Tigellinum, extincto Burro, prætoriis cohortibus impositum dicemus. Quid sordidius Vespasiano, qui rapacissimos quosque, provin-

D. Tho. 2.2.q.65. a. 2.

provinciis præficiebat, ut mox locupletatos condemnaret, indéque ditior fieret? Quis non usque ad stomachum detestetur Henrici octavi Anglorum Regis pueriles ineptias? in ejus enim aula, si Sandero credimus, alius ob suem egregie assatum, hoc namque cibi genere libentissimè vescebatur; alius quod in lusu aleæ elegantius se gereret, non beneficio solùm, sed etiam honore auctus dicitur. Ecquid mirum, si sub præfectis improbis, & ignaris, Regna sensim ad perniciem properant? non est bonus nauclerus, qui furentibus ventis, gubernaculum committit pueris imperitis. Prudenter itaque procedat Princeps in electionibus faciundis, ne indignos ad honorum culmen elevans, deturpetur, ut olim contigit in exaltatione Ventidii Bassi: hic enim cùm priùs curandis mulis victitaret, postea Cæsaris auctoritate, Consul effectus est. quam rem adeò molestè tulit populus Romanus, ut per vias Urbis vulgò scriberetur; Concurrite omnes augures portentum inusitatum conflatum est recens, nam mulos qui fricabat, Consul effectus est. Siquidem indignos eligens, præterquam quod ab omnibus non sui compos existimabitur, vix etiam notam tyrannidis effugiet. Solet enim nimia dominandi libido, eos qui servitio sunt promtiores, non qui virtutibus eminentiores, opibus ac honoribus cumulare, quoniam tyrannus viros, doctrinâ, & probitate præstantes, odit, ac perdit, ne arguantur opera ejus. Hinc fama est, falsum Mahumethem prohibuisse sectatoribus suis, philosophiæ studium, eo consilio, ne per eam illuminati, deprehendant errores, & suæ legis fallacias. Non ita Alexander Severus Imperator, qui nunquam gubernatores, ad provincias mittebat, quin priùs multò antè

Nicolaus Sand. lib. 1. de schism. Anglic.

antè nomina ederet, ut si quod eorum vitium apparuisset, aliis provincias committeret. Utinam Principes ex Christo veritatis fonte aliquando potarent. is enim ad montem excelsum, non quoscunque, sed tres tantùm selegit vitæ integritate insigniores, ut divino hoc documento edocerentur reïpublicæ capita, dignitates, & officia dignioribus esse conferenda. Nam indebitæ electionis damnum, non est unum tantùm, sed multiplex, damnum electo, damnum officio, & damnum electori. Quod perspicuè insinuavit Spiritus Sanctus, dum introducit Sponsam, dicentem: Posuerunt me custodem in vineïs; porrò quia tanti regiminis eram prorsus ignara; ideo vineam non custodivi. itaque cùm ad hujusmodi officium omnino inepta essem, cùm ad filum acu ducendum, non ad lanceam manu vibrandam nata sim, vinea funditus devastata est. non secus in dignitatibus dristribuendis contingere frequenter videmus. siquidem imprudens electio, damnum non exiguum officio, & ipsi electo afferre consuevit, quin non parùm etiam ipsis electoribus. Ad cujus reï comprobationem examinare oportet, cur Deus repentinæ mortis casu Ozam extinxerit. Quamvis enim de hac re variæ sint scribentium opiniones, non omnes tamen veritatis scopum attingunt. Doctissimus Abulensis arbitratur, Deum tam atroci supplicio affecisse, quia sacram illam arcam contigerat, cùm tamen ab uxoris concubitu, præcedenti nocte non abstinuerit. at cùm id culpa non esset, non videtur pœnam aliquam meruisse, cùm pœna sit culpæ correlativa. Lyranus sentit causam punitionis divinæ in Ozam fuisse, quod minori reverentiâ, quàm debuerat, arcam tetigisset. Verùm nec ista opinio mihi probatur: nimis enim gravis

Chrys. hom. 7. in Matt.

Cant. c. 1.

2 Reg. c. 6.

gravis esset illa pœna, ad levissimam illam culpam comparata. Quid? nonne arcæ contactus, ne in terram decideret, reverentiam potiùs, & religionem redolebat? Vera igitur tam repentini casûs causa fuit, quod cùm Oza teneretur, humeris suis arcam deferre, ipse tum, ut diverteret ab onere dorsum ejus, junctis duobus ad plaustrum juvencis, ferendam Dei arcam commisit, & cùm declinantibus à via juvencis, utpote, jugo minimè assuetis, Oza manum suam extenderet, ne penitus arca in terram corrueret, tunc Deus indignatione plenus, amplius dissimulare noluit, dicens: Cur tu arcam hominum humeris ferendam, brutis animantibus commisisti? pœnas pro tam nefario crimine nunc nunc exsolves, & continuò gravi vulnere humeros ejus percussit, quibus arcam gestare illi incumbebat, ut egregiè adnotavit Glossa interlinearis his verbis, Percussus est in humeris, quibus secundùm legem arcam ferre debuit. Hinc facilè colligent Principes, qui reïpublicæ officia conferunt, quàm sit periculosum, illa juvencis, hoc est, minùs expertis credere. ipsi enim veluti juvenci arcam in terram dejicient, officiis abutentur, & perperam administrabunt. Quod non obscurè expressit Ovidius, dum finxit Phaëthontem obtinuisse, ut uno die Solis currus sibi committeretur: verùm cùm esset aurigandi imperitus, deflectentibus Solis equis, in terram misere decidit, inde totam terram conflagravit. Quis sanæ mentis non videt, fabulam hanc ad vivum exprimere dissipatos nostræ tempestatis mores? Cùm enim litterarum imperiti, & regiminis omnino ignari, ad gubernacula sedent, tunc Rempublicam præcipitant, bona Regni dissipant, ac omnia funditus ad exitium pertrahunt. Quomodo qui regendus

ipse est, aliorum auriga fiet? Quomodo exercitûs curam suscipiet, qui ne hostis quidem vultum iratum, nedum exertum gladium conspexit unquam? Summâ itaque vigilantiâ utantur Principes, ut in præfecturis proponantur digniores. sic antiquitus apud Romanos in more positum fuit. Nam, ut refert Trebellius, cùm ad Romani Consulatûs electionem accederetur, prudentiores Senatores, ut Valerianus eligeretur, unanimi consensu suffragati sunt, eâ solâ ratione permoti, quia Valerianus omnibus melior, prudens, gravis, tyrannorum hostis, sed vitiorum multò magis. Hinc est, quod huic optimo regimini insistentes, duo celeberrima templa, virtutis, nimirum, & honoris construxere; ita tamen disposita, ut ad honoris templum, non aliâ viâ nisi per templum virtutis pateret ingressus, cui appositè adjungitur nota, Virtute præviâ. Vidit olim Daniel arborem altitudine insignem, in cujus altioribus ramis, aves ædificabant, sub umbra autem animalia terræ. Quid hinc? nonne edocemur, optimum regiminis institutum illud esse, in quo doctissimi viri, qui tanquam volucres cæli altiùs evolant, scientiâque ac prudentiâ insignes sunt, in eminentiori etiam dignitatum loco collocentur, ignari verò in imo jaceant? & omni jure. Nam sicut indecorum esset, si terrestria animantia in ramis sublimioribus morarentur, aves verò in terra degerent, ita nonne vitiosum prorsus regimen esset, si ignari ad æthera sublimentur, doctrinâ autem illustres, ad terram usque deprimantur? Hanc calamitatem deplorabat Sapiens, Est malum quod vidi sub Sole, positum stultum in dignitate sublimi. Perinde, ac si diceret, inordinatam omnino vidi compositionem, stellas in terris jacentes, animalia in nubibus cæli habitantia,

Aug. de civ. Dei lib. 4.

Dan. c. 4.

Eccles. c. 10.

tantia, viros nempe ſpectatâ doctrinâ conſpicuos, dignitate tamen vacuos ſerpere, ignaros autem ad ſumma faſtigia evectos. hæc eſt præcipua Hieremiæ lamentatio, nimirum, quod ſervi dominarentur, & imperarent illis, qui ad imperandum nati erant. hinc ſuſpirans ajebat, Servi dominati ſunt noſtri. Quid noſtris hiſce temporibus diceret? ubi homines imperiti, ac improbi, nati tantùm conſumere fruges, ad ſublimes evehuntur gradus; viri autem doctrinâ & virtute eminentes, in imis detinentur ſubſelliis, imò in pulvere ſedent, imò ſordeſcunt, imò humi ſerpunt. Verum planè adagium illud, Probitas laudatur, & alget. hinc Crates olim comparabat honores iis ficubus, quæ in altis præruptiſque locis naſcuntur, è quibus homo fructum non accipit, corvi tantùm, & milvi. Quam peſtem adeò Regnis pernicioſam, ut radicitus evellat Princeps, quid efficiet? qnod in officina monetam cudentium obſervatur. priùs quippe ponderant auri molem, deinde juxta pondus, figuram quoque imprimunt, ita in electionibus agendum prorſus. merita priùs trutinanda, inde dignitates diſtribuendæ, non tamen quibuſcunque, ſed dignioribus viris. Verum eſt enim illud apophthegma omnibus ſæculis celebrandum, Nihil æqualitate inæqualius.

Hierem. c. 5.

Quid juvat Imperium? Quid fortia mœnia circum?
Quid tibi divitiæ? Stemmata quid faciunt?
Si claros probitate viros, virtutis alumnos
Non foveas Princeps, muneribuſque colas?

Caput XVII.

Divinos libros præ manibus habeat Princeps, & feliciter administrabitur Regnum ejus.

SACRA oracula consule diligenter optime Princeps, & ex illis tanquam ex purissimis fontibus hauries, quæ ad rectam vivendi, & regendi rationem apprime conducunt.

In primis sese offeret venerandum Trinitatis arcanum; divinæ nimirum Essentiæ unitas, personarum Trinitas, sacræ quoque in divinis notiones. Siquidem quidquid in Deo est, aut essentia, aut persona, aut notio est.

Essentia quidem una est, & indivisibilis, quæ nec generat, nec generatur, nec distinguit, nec distinguitur. Personæ autem tres sunt, Pater, Filius, & Spiritus sanctus; Pater à nullo est, Filius à Patre est nascendo, Spiritus sanctus à Patre, & Filio procedendo. Notiones verò sunt, innascibilitas pro Patre, generatio passiva pro Filio, spiratio Patri & Filio conveniens, & processio ab utroque pro Spiritu sancto. Dicuntur autem à Theologis notiones, quia notificant personas; adeò ut divinæ personæ eandem quidem habeant naturam, sed non eodem modo, quoniam Pater à seipso, Filius à Patre per intellectum, & Spiritus sanctus ab utroque per actum voluntatis. Quod sanè mysterium satis bellè explicatur in nomine Dei Jehova quadrilitero. Jod. He. Vau. He. nam prima ejus littera, Jod, quæ principium significat, quod omnium aliarum principium sit, cùm unaquæque ab ea originem habeat, ipsaque à nulla originem sumat,

Galatinus de arcanis lib. 2.

ſumat, rectiſſimè Patrem in divinis inſinuat, qui cùm à nullo ſit, aliæque perſonæ ab eo emánent, principium ſine principio dicitur. Secunda littera, He, quæ eſſe vel vivere ſignificat, Filium in divinis aptiſſimè refert, per quem omnia quæ facta ſunt, eſſe cœperunt, & quidquid factum eſt, in ipſo vita erat. Tertia autem littera eſt, Vau, quæ copulativam dictionem, &, denotat, Spiritum ſanctum exprimit, qui cum ſit amor Patris & Filii, quo ſe viciſſim amant, rectè copula, hoc eſt, nexus utriuſque nuncupatur. Scitu præterea dignum eſt, litteram He, quam Filii figuram eſſe diximus, in hoc ſacratiſſimo Dei nomine, duplicem ob cauſam geminari; prima eſt, ut duas in Filio fateamur naturas, divinam, & humanam; altera cauſa eſt, ut intelligamus, ſolam ex divinis perſonis, nempe Filium, duas habere relationes, nimirum, producti & producentis; reſpectu Patris, eſt productus; reſpectu verò Spiritûs ſancti, eſt producens, & ſpirans cum Patre Spiritum ſanctum. ita quod Pater generat, & ſpirat; Filius non generat, ſed generatur & ſpirat. Spiritus ſanctus nec gignit, nec ſpirat, ſed ab aliis duabus perſonis procedit. In eo tamen quod abſolutum eſt, nullamque relationem continet, omnia communia ſunt, nihilque diſtinctum, omnia enim in divinis ſunt unum, ubi non obviat relationis oppoſitio.

Nec erit abs re, imò præſenti inſtituto valde conſonum, ſi adjecero Chaldaïcum morem, in Dei nomine exprimendo. tribus Iod Chaldaïcè deſcribitur Dei nomen ineffabile, circulo uno concluſis, & uno camez ſignatis. Quod myſterium verè magnum, ſic interpretantur doctores. Tria Iod æqualiter depicta, tres inſinuant Perſonas divinas,

quarum nulla minor eſt aliâ, ſed totæ tres Perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales. Iod ſignificat principium, tres divinæ Perſonæ non niſi unum principium ſunt rerum omnium conditarum, includuntur tres illi characteres in figura circulari omnium perfectiſſima, utpote, quæ nec principium habet, neque finem, ut denotetur perfecta æternitas. Eſt enim Deus ſphæra intelligibilis, cujus centrum ubique, circumferentia nuſquam: ſignantur autem uno tantum camez, quoniam trium perſonarum eſt una eſſentia. En perſonæ relationibus diſtinctæ, omnes tamen in majeſtate æquales.

Ad hanc rem appoſitè facit miraculum inſigne, quod ſcribit Euſebius Cæſarienſis. Naſcente Chriſto, ait, tres in cælo Soles apparuere, qui paulatim in unum redacti fuere, ut oſtenderent tres in Deo perſonas, in unum tamen conjuncti, unitatem divinæ naturæ declararent.

Boëth. Eugub. lib. 25. Nec minùs mirandum, quod narrat Boëthius Eugubinus; ait enim, in corde Sanctæ Claræ de monte Falco, poſt mortem inventos fuiſſe tres lapides, ejuſdem magnitudinis, ponderis, atque figuræ; in quibus hoc mirum eſt, quod ejuſdem ponderis unus eſt, ac tres, & ejuſdem tres, ac unus. Ecce Trinitatis ſimulachrum. O veneranda Trinitas, ô indiviſa unitas. O bone Deus, tu es cauſa omnium cauſarum, lumen omnium rationum, finis omnium actionum, per te omnes naturæ habent, ut ſint; omnes rationes, ut veræ ſint; omnes actiones, ut bonæ ſint; præter te nulla natura ſubſiſtit, nulla ratio inſtruit, nulla actio proficit; ſine te omnis ſubſtantia concidit, omnis ratio caligat, omnis actio deficit. mare magnum, adeò immenſum, ut ſine fideï cymba, tranſvadari nequeat.

Cornelius Muſſus de div. hiſt. lib. 2, c. 13.

queat. Hinc Gregorius Nyſſenus dicebat: Sicut Abrahamus reliquit pueros ad radicem montis, & ſolus cum Iſaac montem aſcendit; ita in hoc myſterio deſerenda ratio naturalis, & ſoli fideï innitendum; non quod contra naturam hæc ſint, ſed quia ſuperant. Heu quot miſeri in hoc Oceano naufragium fecere, quia ſine remis fideï navigare auſi fuere. Arrius miſer infeliciter periit, quia Patrem Filio majorem dixit. Macedonius naufragium paſſus, quia Spiritum ſanctum non niſi puram creaturam aſſeruit. Sabellius ab undarum vorticibus abreptus, funeſtum finem nactus eſt, quia rium perſonarum diſtinctionem negavit; alii multi in Scyllam, & Charybdin inciderunt, quia ingens hoc mare temere ingreſſi ſunt, ſoli rationi humanæ adhærentes; eſt enim myſterium hoc adeò profundum, ut naturalis ratio nulla habeat argumenta, quibus apprehendat: quamobrem ſatius judico, ſumma cum cordis humilitate ipſum adorare, quàm curioſiùs indagare. Ita olim conſulebat Innocentius Pontifex, Credere jubemur, diſcutere prohibemur. ſi ex terrenis minima percipere non valemus, quomodo cæleſtia audebimus ſcrutari? quis licèt ſapiens & acutus philoſophus, naturam plenè aſſequitur formicæ, inter omnes animantes minimæ; quis oro, dignitate explicabit, quo ſpiritu, vel anhelitu illius vita continetur? quibus conſtet nervis? quod ſit illi cor, qui ſenſus, venæ, arteriæ, medullæ, membranæ? quis parvam illam proboſcidem declarabit? quæ ſit illi propagandæ poſteritatis ratio, quomodo nunc repat humi, nunc alas induat, & per aëra ſuperba volitet? quod ſi minima hæc præſtare non valemus, quomodo Deum apprehendere gloriamur, quando formicæ naturam ignoramus? Quis philoſophus inti-

Gen. c. 21.

Innoc. III de myſter. Miſſæ li. 4, c. 8.

intimas omnium rerum naturalium caufas exactè attingere poteft? ut de ipſo canere liceat,

Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas.

Unde tremor terris? quâ vi maria alta tumeſcant? quæ ratio fontium? quæ ventorum? quid grando? quid fulgura? quid tonitrua? quid mare ſalſum? quid flumina dulcia? quis de coloribus Iridis? quis de magnete? quis de echineïde, quis de aranearum telis, quis de pendulo bombyce? quod ſi humani ingenii acies adeò exigua eſt, ut vilia naturæ penetrare non valeat, nonne extremæ eſt impudentiæ, ô homo, ſi ad divinam ſubſtantiam pertingere poſſe confidas? ô arcanum venerando ſilentio adorandum! dic, quæſo, ô homo mortalis, ſi de iis, quæ tibi ſunt ſub pedibus, ante oculos, ad aures, ad manus, neſcis exactè diſſerere, quomodo illa cæleſtia ſcrutari audebis? dic, quæſo, ſubſtantia terræ, eſt ne penitus defixa, & quaſi radicibus ſuis hærens, an media pendet? quibus librata ponderibus? quibus cavernis maria ſuſtinet? dic ſubſtantiam aëris, qui eſt ventorum ſedes, arca vaporum, theſaurus nivium, animantium refrigerium, vehiculum viſionum & auditionum; dic ſubſtantiam Solis, qui eſt orbis excubitor, moderator temporum, parens viventium, & omnia fovens. dic ſubſtantiam Lunæ, cur nunc plena, modò ſemiplena, modò clara, modò maculis infecta? dic ſtellas, non ſatas, non plantatas, non inſertas, non infirma aliquâ radice ſolidatas, ſed repentè Deï juſſu in cælo creatas. dic ſubſtantiam corporis tui, ſi noſti, quæ ſubſtantia nervorum, quæ venarum, qui ſitus partium, quam vim quæque pars habeat. ſed deſcendamus ad humiliora, dic cicadas, locuſtas, formicas, apes, dic artes, dic motûs gruum, dic induſtriam bombycum,

dic

dic ſtamina aranearum. O miſer homo mortalis, ſi hæc inferiora quæ vides, quæ tangis, quæ palpas, non vales mente percipere, quomodo ſcrutari cœleſtia tentabis? an ignoras, quod ſcrutator majeſtatis opprimetur à gloria?

Modò ex hoc theſauro recondito, quid hauries, ô Princeps, hic mente conſurge, ſurſum cor attolle, agnoſce dignitatem animæ tuæ, quæ facta eſt ad imaginem tantæ deïtatis, ſiquidem ſicut Deus unus eſt in ſubſtantia, trinus in Perſonis, ſic anima tua una in ſubſtantia, trina in potentiis, memoria, intelligentia, voluntate, & ſicut perſonæ inter ſe originantur, Filius à Patre, Spiritus ſanctus ab utroque, Pater à nullo, ita potentiæ ſunt ſub actibus ſuis, quia unus actus eſt ab altero per modum originis, quoniam ſicut à Patre Verbum, & ab utroque Spiritus ſanctus, ſic quodammodo à memoria actus intellectûs, & velle ab utroque originatur. Secundo loco, ex aureo divinarum litterarum theſauro colliges divinæ prædeſtinationis arcanum, quâ Deus voluntate antecedente ordinat omnes ad gloriam. Verùm voluntate conſequente neminem vult ſalvare, niſi ex præſcripto legis viventem. hîc tamen aliquis objiciet, Si Deus vult omnes homines ſalvos fieri, ergo omnes ſalvabuntur. quia voluntas Deï eſt ita efficax, ut nemo poſſit reſiſtere. Voluntati ejus quis reſiſtet? hanc difficultatem tollunt Sancti Patres aureâ ſanè doctrinâ. Duplex eſt in Deo voluntas; antecedens, & conſequens; voluntas antecedens eſt illa, quæ conſideratur in Deo, antequam merita reſpiciat; voluntas conſequens, quâ Deus vult aliquid, reſpiciendo tamen ad opus creaturæ, & ideo illa dicitur antecedens, quaſi antecedat operum noſtrorum cognitionem; hæc autem conſe-

[Marginal notes: Auguſt. li. 10 de Trinit. — 1 Tim. c. 2. — Rom. c. 9. — Chryſ. hom. 1. ad Epheſ. — Damaſc. lib. 1. de fide c. 29.]

Aug. de sp. & lit. c. 3. quens, quasi sequatur operum cognitionem. Ad rem igitur accedentes, dicimus, quod Deus vult omnes salvare, actu voluntatis antecedentis, non actu voluntatis consequentis. hinc non omnes salvantur, imò plurimi damnantur, quia nolunt voluntati divinæ conformari. Proinde conqueritur, Quoties volui, & noluisti? ideo relinquetur domus tua deserta. Deus enim nulli denegat auxilium sufficiens, ne dicatur, Orabat scelestus Dominum à quo non erat misericordiam consecuturus. pœnitentia sufficiens est ad delenda quæcunque crimina, sed dicitur de Antiocho, qui non erat misericordiam consecuturus, quia pœnitentia illa vera non fuit, qualis præsumi potest, quæ usque ad ultimum vitæ terminum protrahitur; quæ magis ex timore, quàm ex amore procedit. Pœnitentia namque sera, rarò est vera. doluit quidem, sed non consecutus misericordiam: quia non in loco criminis justitiam exercuit; crimen enim commissum fuit in corde, ipse verò pœnitentiam solùm in lingua. Pro majori dictorum explicatine advertendum, quod signa distributiva aliquando accipiuntur pro singulis generum, ut illud; Statutum est omnibus hominibus semel mori. aliquando non ita universaliter sumuntur, sed pro generibus singulorum, ut illud Pauli; In Christo omnes vivificabuntur. quod universaliter verum non est, sed tantùm pro genere salvandorum; ita quod est distributio accommoda, & significat quod omnes quotquot salvantur, per Christum salvantur; vel quod ex omni genere gentium, vivificantur aliqui. ita explicatur illud; Videbit omnis caro salutare Dei. siquidem non omnes viderunt Christum, sed ex omni populo, tribu, natione aliqui. ita ut nulla sit natio, de qua non salventur

Matt. c. 23.

tur aliqui. neque aliqua eſt in toto Orbe provincia, ubi Euangelium non ſit prædicatum, & Chriſti bonus odor non pervenerit. ſic namque dicebant ſenes agnum adorantes; Redemiſti nos Domine ex omni tribu, & lingua, & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum. non dixerunt, Redemiſti omnem tribum, neque omnem populum; ſed, ex omni tribu, & ex omni populo; ex his enim aliqui in Chriſtum crediderunt, & ſalvi ſunt. ita quoque exponitur locus Pauli paulò ſuperiùs adductus, Deus vult omnes homines ſalvos fieri. nimirum, pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis generum. Deus itaque, ut vela contrahamus, vult omnes ſalvare, voluntate antecedente; ſed non ſalvabit niſi mandata ſervantes, & non damnabit niſi vocationi reſiſtentes. Porrò ex hac doctrina tam recondita, quid colliget Princeps pro Regno optimè adminiſtrando? primaria intentio Principis hæc eſſe debet, nempe, ut ſubditos omnes, tanquam filios in ſinu foveat, quos autem criminoſos, & Regni perturbatores cognoverit, ultimo ſupplicio perdat. hinc ſummis laudibus extollendus Alexander Severus, qui fures à republica eliminabat, miniſtros autem integritate ornatos, muneribus & honoribus cumulabat.

D. Th. 1. p. qu. 19. a. 6.

Lampridius in vita Severi.

Sed ulteriùs, quæſo, progrediamur, & mentis oculo contemplabimur admirabile creationis opus, cæteris actionibus ad extra longè præſtantius, quamvis non habeat in utroque ſuo termino, ens, ſive bonum. & jure quidem dicitur præſtantius, non quidem propter magnitudinem ejus, quod fit, nam hoc modo majus opus eſt juſtificatio impii, quæ terminatur ad bonum æternum divinæ participationis, quàm creatio cæli & terræ, quæ

Albertus Mag. 2. diſt. 18. a. 4.

ter-

terminatur ad bonum naturæ mutabilis, ſed dicitur majus ex parte modi agendi, in quo ex nihilo fit aliquid.

D. Th. 1. 2, q. 113. a. 9. Hîc aciem mentis intende, ô Princeps, & conſidera ſummam Deï omnipotentis benignitatem, qui produxit creaturas, non ut inde bonum recipiat, ſed ut eïs bonitatem influat: nam ultimus finis productionis creaturarum, eſt divina bonitas, quam Deus creando communicat. Ex hoc aureo fonte, quid potabis ô Princeps? hoc nimirum, ut omnes actiones tuas dirigas in populorum commodum, nullâ cupiditate ductus: nam, ut veteres Academici affirmant, alienum bonum eſt juſtitia.

Adeò præclarum eſt creationis opus, ut Deus nulli creaturæ communicet, nec communicare poſſit, quoniam ſicut non poteſt communicari creaturæ, quòd ſit prima cauſa, ut egregiè docet Reverendiſſimus Florianus, Theologus celeberrimus; ita ſibi non poteſt communicari, quòd ſit creans. (Flor. Nan. Bon. in cat. arg. ſuper Gen.) Quid hinc, ô Princeps? in rebus magni ponderis clavum regiminis ipſe teneas, potes quidem, & debes, in adminiſtratione Regni conſultores adhibere, ſed omnimodam poteſtatem nulli committas, ne tibi contingat, quod Tiberio. Et ſicut Deus produxit creaturas mediantibus Angelis, non tamen operantibus, ſed tantùm cognoſcentibus; (D. Th. de pot. Dei, q. 3. a. 4.) Tu quoque, qui vices Deï geris, Regni habenas moderare, adhibitis conſiliariis pluribus, non tamen agentibus, ſed tantùm conſulentibus. Prœterea licèt Deus ipſe ſolus poſſet illuminare orbem ſine Sole, & hæc inferiora ſine corporibus cœleſtibus gubernare: eſt enim axioma à philoſophis receptum, Quidquid poteſt Deus mediante causâ ſecundâ, poteſt & immmediatè, quod quidem (D. Th. 1 p. q. 45. a. 5.) intel-

intelligendum eſt, in genere cauſæ efficientis, non autem formalis aut materialis : quia non poteſt facere album ſine albedine , nec animal ſine corpore; vult tamen admittere creaturas intermedias,& cauſis ſecundis uti, præterquam in opere creationis, ubi nulla creatura concurrit,ut inſtrumentum ad creandum ; imò (ſi credimus Divo Thomæ) neque per potentiam divinam , creatura poteſt eſſe inſtrumentum creationis. ſiquidem in Principio , hoc eſt antequam quidquam faceret , creavit cœlum & terram , nulla igitur creatura potuit eſſe inſtrumentum , quia lumine naturali compertum eſt , inſtrumentum eſſe prius ſuo effectu. Ita licèt Princeps poſſit , & ſciat , ipſe ſolus imperii clavum regere , & rerum gerendarum ſcientiâ polleat , nil tamen ſine ſapientum conſilio adminiſtret.

At plùs ultrà, & in lucidiſſimo ſacrarum litterarum ſpeculo videbimus ſingularem ſupremi opificis providentiam , qua omnibus creaturis providet , etiam minimis ; Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt. Unde Auguſtinus dicebat : Deus totus oculus eſt,quia omnia videt; totus manus eſt, quia omnia operatur ; totus pes eſt ; quia ubique eſt. Scio quidem circumferri dictum quoddam Hieronymi dicentis : Deum non videre quot pulices quotidie naſcantur ; Sed hanc difficultatem tollit Magiſter ſententiarum. aſſerit enim , quod Deus non videt per ſingula momenta quot pulices naſcantur ; ſed ſimul, & ſemper cognoſcit omnia. Nec moveat dictum Pauli;Nunquid Deo cura eſt de bobus ? nam curam omnium gerit pater omnium. Tu pater providentiâ cuncta gubernas. ſed ſpecialem curam habet de animantibus ratione præditis , quibus præcepta tradidit. porrò hanc

Luc.cap. 11.

Auguſt. epiſt.36.

Mag. ſent.li.1. diſt.39.

1 Cor.8.

hanc curam de brutis non habet. Possèt tamen aliquis objicere Sapientis dictum; Æqualiter est illi cura de omnibus. at facilè dissolvitur hic nodus; vox, æqualiter, non videtur hoc loco referenda ad ipsam curam, quasi Deus non magis curet rem unam quàm aliam; sed ad res ipsas quæ curantur, ut sensus sit, nihil omnino subtrahi à providentia Dei; sed res omnes, nullâ prorsus exceptâ, quamvis infimâ & vili, divinâ providentiâ gubernari. Sed hinc quid colligendum? munus Principis hoc esse, omnium subditorum curam gerere, omnibus prospicere, neminem negligere, quia, ut ait adagium; Etiam capillus habet umbram suam.

Sap. c.6.

Bellarm. de gratia. & lib. arb. lib.2.c.4.

Nec te pigeat iterum sacrarum Scripturarum fodere parietem, & videbis arcana majora, ibi namque se offeret ineffabilis sapientia Dei, qui licèt omnes creaturas infinitâ charitate diligat, non omnibus tamen omnia passim communicare voluit. Non est vestrûm nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Nec animæ Christi adeò dilectæ, quæ in ipso instanti conceptionis fuit unita Verbo, omnia communicare voluit: siquidem anima Christi apprehendit quidem divinam essentiam, sed non comprehendit; cognoscit quidem omnia, quæ scit Deus scientiâ visionis; sed non omnia, quæ scit Deus, scientiâ simplicis intelligentiæ. Quid hinc hauriendum? caveat Princeps bono regimini incumbens, ne omnia omnibus communicet, quamvis intimis, & longo usu probatis, quia semel emissum volat irrevocabile verbum. Quod enim tacitum esse velis, nemini dixeris.

D. Th. 3 p. qu. 10. a. 2.

Innumera ferè sunt arcana, quæ ex aureïs divinarum litterarum thesauris colligi possunt, sed brevitati

vitati studentes, consultò omittenda duximus, tu ipse sacras paginas evolvendo, invenies. hoc tantùm oro, utinam & exorem, ut die, noctuque oculo mentis perlustres, quanta sit Beatorum in cælesti Regno felicitas, quæ in actu intellectûs, ut sentit D. Thomas, hoc est, in solâ Dei visione consistit; vel in actu voluntatis, ut arbitratur Scotus, hoc est, in solâ Dei fruitione; vel in intellectu, & voluntate conjunctim, ut scribit Richardus; in visione, nimirum, & fruitione simul. Quæ quidem felicitas tanta est, ut omne desiderium superet, universamque hominis sitim adeò extinguat, ut nihil ampliùs relinquatur appetendum. tanta est illa felicitas, ut non possit augeri, neque minui. non quidem minui, quia nequit amitti, Gaudium vestrum nemo tollet à vobis; nec potest augeri, quia infinita est. at infinito nulla fit additio. cui potest perbelle adaptari pro insigni, fons Madutii, qui est in campis Salentinis, de quo Plinius scribit; quod neque exhaustis aquis minuitur, neque infusis augetur, appositâ notâ, Nec haustu, nec auctu. sed ex tam felici Beatorum gloria, quem fructum capies? hunc nimirum, ut sanctè justitiam administrando, sic transeas per Regna temporalia, ut non amittas æterna. ô quàm gloriosum est Regnum, in quo beati tantâ felicitate fruuntur, ut à summo bono ampliùs deficere nequeant. Scio quidem in hoc loco objici posse Jobum dicentem: Ecce qui serviunt eï, non sunt stabiles, & in angelis suis reperit pravitatem. Porrò hic locus rectè intelligentes parùm urget, exponitur enim de angelis viatoribus, quales sunt sacerdotes, & sic nulla est difficultas; si autem intelligatur de angelis beatis, sensus catholicus hic est, quod quantum est ex sua natura

Iob. c. 4.

Greg. li. 5. mor. C. 27. natura, possunt delinquere, sic explicat Gregorius. Aliqui verò, nomine pravitatis intelligunt, non peccatum, sed ignorantiam, & in hoc sensu dicit Dionysius Areopagita, quod Angeli superiores illuminant, & purgant inferiores, non tamen lumen infundendo causativè, sicut Sol illuminat aërem; quia sic solus Deus illuminat, sed luminosum offerendo, sicut deferens candelam lucentem illuminat domum, hoc modo Angelus superior illuminat Angelum inferiorem, eï loquendo de aliquo noto sibi, non alteri. Erunt itaque Beati ita confirmati in gratia, utpote videntes divinam essentiam, quod erunt omnino impeccabiles, & proinde semper exultantes. Exultabunt sancti in gloria. sed insurget quispiam, Quomodo Beati vivunt in gaudio perenni, si habent timorem comitem individuum? timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi; nemo autem ignorat objectum timoris esse malum, quod timemus. si timor perpetuus, quomodo animi tranquillitas? In vita beata non est timor, qui sollicitudinem secum afferat, qualis est timor servilis, qui non est in patria, illum enim foras mittit perfecta charitas. manet quidem timor filialis, qui in Beatis non est expectatio futuri mali, sed reverentia quædam voluntaria tantæ deïtatis, cùm perpetuâ animi tranquillitate. Si autem dicas, quomodo non tanguntur aliquo saltem animi mœrore, advertentes filios, parentes, amicos esse damnatos; non propterea turbantur? respondeo ego, quia beati id volunt, quod vident Deum velle, & in adimpletione divinæ voluntatis conquiescunt. Lætabitur justus cùm viderit vindictam. Conformantur namque penitus divinæ voluntati, tum in volito materiali, tum etiam in volito formali, in volito

Medina in. 1. 2. q. 9. a. 8.

Psal. 57.

volito quidem formali, quia quidquid volunt, volunt propter ultimum finem, in volito materiali, quia volunt, quidquid Deus vult. Sed adhuc aliquis fortaſſe dubitabit, ſi Beati ſpiritûs omnino conformantur divinæ voluntati, quomodo conciliabitur illa diſſenſio inter Angelos beatos, quam refert oraculum Danielis? Princeps Regni Perſarum reſtitit mihi viginti & uno diebus. Divus Hieronymus explicans hunc locum dicit: Principem Regni Perſarum eſſe Angelum, qui ſe oppoſuit liberationi populi Iſraëlitici, pro quo Daniel orabat, Gabriele preces ejus Deo præſentante. Princeps autem Regni Perſarum, eſt bonus Angelus cuſtodiæ illius Regni deputatus. Contentio autem erat iſta, Archangelus cuſtos Regni Perſarum procuravit, quantum in eo erat, ſalutem illorum, qui erant in dicto Regno videnſque quod ex converſatione Judæorum, multi ex Perſis convertebantur, annuebat, ut populus ille, in captivitate perſeveraret. alter verò, qui præſidebat populo Judæorum, illius populi liberationem procurabat, preceſque Danielis, præſentabat Deo. omnes tamen Deï voluntatem impleri volebant. modò ex prædictis locis explicatis quem fructum colliges? conſiderare debes ſedulò, Principes inſtar Angelorum eſſe conſtitutos, ad cuſtodiendas animas, & corpora ſubditorum, proinde rationem exactè reddent, & ſtabit anima illorum pro animabus iſtorum, ſic acclamante oraculo divino, Duriſſimum judicium fiet his qui præſunt; idcirco regius Vates non ſine lachrymis dicebat: Ab alienis parce ſervo tuo.

Dan. c. 10.

D. Tho. 1 p. q. 113.

In illo Regno felicitatis æternæ Deus Princeps liberalis, præmiat Beatos ultra condignum, ſic atteſtante Apoſtolo, Non ſunt condignę paſſiones hujus tem-

Rom. c. 8.

temporis ad futuram gloriam. hinc dicitur, Dominus, quasi, do munus. Nec contradicit doctrina Theologorum ab omnibus recepta, nempe, quod Sancti merentur vitam æternam de condigno. hanc enim difficultatem solvit egregiè Divus Thomas, hâc aureâ distinctione, Quando dicit Apostolus, non sunt condignæ passiones, ita explicari debet iste locus, non sunt condignæ, quatenus opera nostra procedunt ex libero arbitrio; at quatenus prodeunt ex gratia Spiritûs sancti, & ex merito Christi Salvatoris, ingentis sunt valoris & momenti, & tunc merentur de condigno. Sed quid hinc degustabis ô Princeps? de republica bene meritos beneficiis fove, non tantum pro merito, sed cumulatiore mensurâ, ut alter Alexander, qui dicebat: Non quæro, quid oporteat te accipere, sed quid deceat Regem dare.

Improbos, & sacræ legi adversantes, in perpetuas flammas tradit supremus Judex sine fine duraturas, nullum spei relinquendo locum. Nec me latet historia illa, quæ circumfertur de Trajano, Divi Gregorii precibus à pœnis inferni erepto, quam ego nullatenus approbo, cùm ipse Gregorius in suis operibus nullam hujus reï mentionem faciat, nec est alicujus ponderis citatio Damasceni dicentis in quodam sermone, quod Gregorius oravit pro eo, & audivit vocem dicentem sibi: Vocem tuam audivi, & Trajano veniam do. non probatur inquam, quia Damascenus vir magnæ auctoritatis, non potuit de eo talia scribere. ratio est, quia Damascenus antiquior fuit Gregorio ducentis annis. Nam floruit sub Theodosio Imperatore, & fuit illi à secretis, Gregorius verò sub Mauritio. necesse est ergo ut dicamus, illud opus alterius esse, & non magni Damasceni. denique si vera est illa

Melchior Canus li. 11 de locis c. 2.
D. Tho. in 4 sent. d. 55. q. 2. a. 2.

illa historia,cujuscunque sit, necessario dicendum, non quod translatus sit ex Inferno ad gloriam, quod est omnino contra legem, sed quod fuit revocatus ad vitam, in qua egit pœnitentiam, paulò post defunctus,& salvus factus. Licèt autem pœnæ Inferni sint æternæ & acerbissimæ, aliquatenus etiam misericordiæ recordatur Deus, quia punit damnatos citra condignum. Posset enim peccatorem ad nihilum redigere de rigore justitiæ, tamen illis relinquit esse, quod est bonum. Tu quoque,ô Princeps,quos verè criminosos, & proinde suppliciis dignos cognoveris, nec prece, nec pretio liberabis; ita tamen,quod semper effulgeat aliquis clementiæ radius. Ex parte objecti, ait Divus Thomas, una est omnium Beatorum gloria; omnes enim eundem Deum possident, & possident totum; sed non totaliter, quia vident quidem divinam essentiam infinitam, sed modo finito; omnes apprehendunt Deum, sed non comprehendunt, quia solus Deus comprehendit seipsum. Nec ipsa anima Christi comprehendit divinam essentiam: illud enim dicitur comprehendi,quod perfectè cognoscitur, perfectè autem cognoscitur, quod tantum cognoscitur; quantum cognoscibile est,nullus autem intellectus creatus potest pertingere ad illum perfectum modum cognitionis divinæ essentiæ, quo cognoscibilis est, quia cùm essentia divina sit infinita, infinitè cognoscibilis est, porrò intellectus creatus non potest illam infinitè cognoscere. Hoc etiam Epictetus philosophus videtur insinuasse, licèt lumine fideï destitutus. Cùm enim plura discipulis verba fecisset,ut declararet Deum, & illis dicentibus, non plenè intellexisse, respondit; Si omnino ego declarassem Deum, vel ego Deus essem, vel quem ego declaravi, Deus non fo-

Abulens. sup. 4. reg. 4. q. 57.

D. Tho. 1,2. q. 5. a. 2.

Cic. lib. 1 de nat. deorum. ret. idem prorſus ſentiebat Simonides, Quantò magis Deum conſidero, tantò mihi videtur obſcurior. Doctè quidem ac ſapienter, nam cùm plenè intellexeris hoc myſterium, beatus eris; imò nec tunc comprehendes: ut enim Deus ſit, infinitus oportet ſit; quem verò caperet intellectus tuus, infinitus non eſſet. Omnes ergo Beati vident Deum, ſed non omnes eodem modo, quia pro menſura meritorum unus videt perfectiùs altero. Ioan. c. 24. hinc dicebat Paradiſi Princeps, In domo Patris meï manſiones multæ ſunt. & Paulus, Stella differt à ſtella in claritate. quæ ſanè alluſio pulcherrima eſt, & valde appoſita ad intelligendum, pro 1 Cor. 15. varietate meritorum, diverſam quoque Beatorum eſſe gloriam: ſicut enim aſtra omnia recipiunt quidem à Sole omnem ſplendorem, quodlibet tamen juxta ſuam qualitatem, & prout magis minúſve ſolidum eſt, & diaphanum, plùs, minúſve refulget. Sic ſanè quamvis omnes juſti videant Deum, & Deum totum, qui eſt Sol fulgentiſſimus, nequaquam tamen ex æquo, ſed juxta modum ſuæ diſpoſitionis, hoc eſt, meritorum ſuorum diverſitate, gloriam animæ & corporis recipiunt. Hoc etiam præclaro Concilii Florentini teſtimonio roboratur, nam in illo definitur hæc concluſio; animæ beatæ vident Deum trinum & unum ſicuti eſt, ſed pro diverſitate meritorum, alius alio perfectiùs videt. neque repugnat illud Matth. c. 20. Matthæi; ubi videtur dari idem præmium omnibus operariis, nempe, denarius quidam diurnus: nam denarius ille ſignificat æqualitatem æternitatis, non gloriæ & excellentiæ. datur omnibus idem denarius, ait Ambroſius, quoniam Sancti omnes ſine fine regnabunt, quamvis non omnes eâdem eminentiâ regnabunt, quemadmo-

admodum commune eſt ſtellis omnibus,perpetuò fulgere in cœlo, licèt aliæ aliis clariùs micent. Ex hoc ſacro fonte quid potabis ô Princeps? hoc ſanè præclarum documentum, pro diu & feliciter ſumma reï adminiſtranda, nempe, ut viros ſummâ integritate ornatos, muneribus & honoribus colas, non tamen æqualiter omnes, ſed pro dignitate meritorum. Non enim eſt æquum omnibus ex æquo. Et ecce ô Principes quanta Beatorum felicitas? tanta utique ut Beatus Auguſtinus venerandâ admiratione permotus exclamet, omnem ſermonem ſuperat, omnem humanæ mentis ſenſum excedit, illud decus, illa gloria, illa pulchritudo, illa majeſtas. Gregorius Magnus in admirationem raptus dicebat, Quæ autem lingua dicere, aut quis intellectus capere ſufficit illa ſupernæ civitatis quanta ſint gaudia. Ad hanc rem appoſitè facit viſio illa Hieronymi olim Auguſtino facta. Cùm Auguſtinus Hieronymo in Palæſtinam ſcribere decreviſſet,& petere illius de æterna beatitudine judicium, contigit Hieronymum interea expiraſſe, Auguſtino apparuiſſe, & verba hujuſmodi locutum fuiſſe, Vide ſi numerare potes ſtellas cœli, & guttas maris. id namque facilius eſt, quàm gloriam Paradiſi dicendo explicare; eſt enim res tanta, ut niſi ipſe vidiſſem, nunquam credidiſſem, & tam longè abeſt ab eo, quod ego vivens cogitabam, ut omnino ſit quidpiam in infinitum majus.

Bellarm. de juſtif. lib. 3. c. 16.

Auguſt. epiſt. ad Cyrillum.

Angelicus doctor cùm immenſum cœleſtis gloriæ Oceanum ingenii ſui velis tentaſſet transfretare, ſtatim in ſacrum ſilentii portum ſe recepit, admiratio enim quæ maxima eſt, non parit verbum, ſed ſilentium, atteſtatus eſt,nihil præſtantius cœleſti Beatorum gloriâ. In prima namque quæſtionum ſuarum parte, diſquirens, an ſummus ille

Baſil. lib. 7.

opifex, qui cuncta è nihilo produxit, creaturas perfectiores posset efficere! posset quidem, concludit, cùm sit omnipotens, tribus tamen exceptis, quæ non patiuntur augmentum. nempe, Christi Salvatoris humanitas, Mariæ Virginis maternitas, & Beatorum gloria. O beati igitur qui habitant in domo tua Domine. ibi enim est omnium deliciarum oceanus, omnium divitiarum thesaurus, omnium bonorum fons indeficiens. ibi juventus nunquam senescit, ibi vita terminum nescit, ibi decor nunquam pallescit, ibi amor nunquam tepescit, ibi gaudium nunquam decrescit. ô gaudium super gaudium, ô gaudium vincens omne gaudium, quando intrabo in te? ut videam Deum meum, qui habitat in te? Ex hoc torrente voluptatis, quid hauries, ô Princeps? omnibus viribus enitendum, omni studio elaborandum, remis, velisque contendendum, ut de terreno hoc, ad cæleste illud Regnum perveniamus. sed quibus semitis? audi sapientissimum Regem, vias regias demonstrantem; Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam. en media regia, vitæ nimirum integritas, & justitiæ æquitas. ita se gerebat in administrando regno Ludovicus sanctus Galliarum Rex, qui de terreno ad cœlestis Regni gloriam est evectus. sed quibus ducibus? audi. Quia justitiam strenuè administravit, quia neminem læsit, quia jus suum unicuique tribuit. his itineribus pervenit ad Regnum. illud academicum decantando, Sic itur ad astra.

Augúst. in soliloq.

Psal. 14.

Sacrarum, ô Princeps, divina volumina legum
Præ manibus teneas, perlege nocte, die.
Fontibus ex istis, quænam sit forma regendi,
Quid caveas, quid agas, lectio sacra docet.

C A-

Caput XVIII.

Sæpius mente revolvat Princeps, ſe eſſe hominem, & proinde ad cæleſtia formatum, mox enim viles ſcent omnia, quæ habentur in terris.

IOANNES Picus Mirandulanus Princeps, ob ſingularem doctrinarum cognitionem, noſtræ ætatis Phœnix appellatus, in quadam quæſtione examinat, quam ob cauſam, Deus poſtremum omnium creavit hominem. Creavit enim cœlos, & Angelis cumulavit; creavit terram, & beſtiis omnis generis implevit; creavit aërem, volucribus dedit; creavit aquam, piſcibus conceſſit; repletis omnibus locis, tunc creavit hominem. At ſi jam occupata ſunt omnia, ubi erit locus Principis? creavit hominem ſummus ille artifex, reſpondet egregius doctor, omnibus jam occupatis, ut cognoſceret quietem, & finem hominis, non in rebus creatis, ſed in Deo ſolo collocari debere, teſte Auguſtino; Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te. Ad rem facit Anaxagoræ dictum, hic enim licèt gentilis, & veri numinis ignarus, cùm æmuli propter opes actionem intentaſſent, omnium potiùs jacturam facere maluit, quàm judicio jus ſuum proſequi, cùmque argueretur, quod omnibus bonis ſe orbari ſineret, digitos in cælum ſuſtulit, clamans, Illa patria mea eſt, illa hæreditas mea, illam curo, non ea quæ ſuper terram. ac ſi diceret, immortalia immortalis animus meditetur. O præclaram Ethnici homi-

Aug. 1 li. Confeſſ. c. 1.

Diog. Laër. lib. 2.

nis sententiam. sed quid? nonne, cùm per varias regiones peragraret, compellantibus quibusdam, quò tenderet? Cœlum intuens, dixit, Ad patriam tendo, quasi oraculum Apostolicum pronuntiaret; Non habemus hîc civitatem permanentem, sed futuram inquirimus. Hoc apprime intelligebat Phocion Atheniensis, cui cùm Alexander Magnus ex Persica gaza, magnum auri pondus misisset, recusans, interrogavit, Cur ad me solum tantùm auri pondus Rex mitteret? responderunt, Quia te omnium Græcorum optimum esse arbitratur. Sinite igitur, inquit, eum esse me, quem ille me esse arbitratur. sentiebat quippe vir sapiens, quod homo ad cœlestia formatus, divinis debet inhiare; hæc autem fortunæ bona, tanquam ludibria parvifacere. Nec abs re erit, si in medium proferemus, quod Divi Bernardi fratres ad monasterium convolantes, dixerunt ad natu minimum; Ad te solum respicit terra possessionis nostræ. At ille, licèt puer ætate, non tamen sensu, dixit; Vobis cœlum, mihi terra? non ex æquo divisio facta est, & paulò pòst omnibus relictis, secutus est fratres. quasi diceret cum philosopho morali, Ad majora natus sum, quàm ut rebus terrenis serviam. Ipsi quoque Philosophi, quamvis à fide alieni, nonne hac in re Christianorum sententiam secuti sunt, cum Platone dicentes, hominem inter cætera animalia, arborem esse inversam? ramos enim inferiùs habet homo, radices verò, præter omnium arborum naturam, superiùs extollit. sed quorsum hoc? ut ostendat cælo se omne bonum petere, ac si dicat; Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.

Hebr. c. 13.

Quod quidem etiam Philonis Hebræi hominis doctis-

doctiſſimi teſtimonio comprobatur, ait enim Solam in terris cœleſtem plantam Deus fecit hominem, cæterarum plantarum capita defixit in terra, ſoli homini caput ſublime dedit, ut alimenta cœlitus incorruptibilia quærat. pulchre Poëta,

Pronaque cùm ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Siquidem homo creatus eſt, non ut ſtatuat oculos in terram, ſed ut extollat ad contemplandum Deum, cujus gratiâ conditus eſt. Quorſum cor ſuperius latum, inferius anguſtum? ut claudatur terræ, aperiatur cœlo, à quo bona cuncta procedunt. Hinc Propheta Regius dicebat: Quis aſcendet in montem Domini? mox ſibi ipſi reſpondit, Qui non accepit in vanum animam ſuam. Fruſtra autem aliquis dicitur aliquid accipere, quando finem non conſequitur, ad quem ordinatur. In vanum miles accipit arma, quando ad militiam non procedit. Cur anima nobis à Deo conceſſa? non ut terrenis inhiet, cùm ipſa ſit immortalis, ſed ut Deum contempletur, in quo felicitas noſtra conquieſcit. Hoc probè noverat Tertullianus, vir planè egregius, Cur in ſacris litteris, nunquam Deus, nomen Domini aſſumit, niſi poſt creationem hominis? tunc enim ſtatim nomen dominii ſubjungit; Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ. rationem reddit, id factum fuiſſe, ut hominem doceret, nullum dominum, niſi Deum cognoſcere debere, in quem aſſiduè oculos defigeret, ad cujus imaginem factus eſt. Porrò in quo propriè conſiſtat hæc ſimilitudo & imago, non eſt ita facile explicatu. Lib. contra Hermog. hæreticum. Gen. c. 1.

Aliqui arbitrantur, hominem dici ad imaginem

Deï formatum, quia ſicut Deus replet omnia, Cælum & terram ego impleo; ita corpus univerſum replet anima. anima eſt tota in toto, & tota in qualibet parte corporis. Alii ſentiunt, ad imaginem Deï formatum, quia ſicut Deus eſt Dominus univerſorum, Domini eſt terra, & plenitudo

Pſal. 23. ejus, ita homo omnibus dominatur creaturis. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus. opinantur nonnulli hominem ideo ad imaginem Dei formatum, quia ſicut in Deo omnia continentur eminenter, & cauſaliter, ſic in homine quodammodo etiam omnia continentur: nam participat in eſſentia cum lapidibus, vitam communem habet cum plantis, ſenſum cum brutis: at rationis particeps, ſimilis Deo efficitur; ſicque in omnibus communicans,

Lib. 3. de anima. omnia in ſe continere dicitur. Proinde bene docebat Ariſtoteles, dum inquit, animam noſtram eſſe quodammodo omnia. & Plotinus; Homo eſt

Ambroſ. lib. de dignit. hum. cond. quoddam omne. Ambroſius affirmat, ſimilitudinem hanc, in unitate animæ conſiſtere, cum potentiarum Trinitate. nam ſicut in Deo, cum Trinitate perſonarum reperitur unitas eſſentiæ, ſic anima cum una ſit, tres potentias habet diſtinctas. Chryſoſt. tenet, hanc ſimilitudinem in dominio conſiſtere, nam ſicut Deus eſt ſupremus orbis monarcha, ſic homo ſuper opera manuum ſuarum conſtitutus. cui opinioni videtur favere illud Ge-

Gen. c. 1. neſis, poſtquam enim dictum fuit; Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram; quaſi reddens rationem hujus ſimilitudinis, mox adjecit; Qui præſit beſtiis terræ, piſcibus maris, & volatilibus cæli, inſtar Regis prudentiſſimi, qui in ſuis provinciis ſolet Rectorem conſtituere, qui ejus vices gerat, & perſonam regiam referat; ſic planè Deus hominem conſtituit, ſuper univerſam mundi familiam,

miliam, qui omnibus creaturis imperaret. Cyrillus tenet, hominem in hoc Deï imaginem exprimere, quia capax eſt beatitudinis Deï, in quo ſolo ſatiatur, & quieſcit.

Hinc apud Rabbinos Hebræos vocatur Deus, nomine Sadai, quod apud nos ſonat, Qui ſufficiens eſt; quaſi innuere vellent, Homo, ſi habes Deum, habes omnia, quia Deus univerſale bonum, & hoc ſufficit. Ad rem pulchre facit Regii Vatis oraculum, Dominus regit me. ſed ex hoc, quid erit tibi? nihil mihi deerit. quia ſolus Deus ſatiat. Pro cujus reï confirmatione, egregiè facit Felicis verſio, nam ubi nos legimus; animam meam convertit; Felix legit, animam meam quietavit. Hoc itidem Sponſi cœleſtis teſtimonio comprobatur. ubi enim noſtra vulgata legit; Ego flos campi; exemplar Hebræum habet, Ego flos ſaturitatis. Cant. c. 2. At dicet quiſpiam; Nonne ipſemet Sponſus alibi dixit: Qui edunt me, adhuc eſurient? ſi Eccleſ. c. 24. ſatietas, ergo non fames? ſi fames adeſt, ſatietas non erit. Quomodo nodum hunc explicabimus? Advertendum inprimis, quod fames duo continet, unum moleſtum, aliud gratum, & jucundum. Moleſtum eſt, quod quandiu durat fames, ſtomachus languet, quia caret ſufficienti alimento. Gratum verò, quod excitat appetitum. Unde abiit in proverbium millies decantatum; Optimum cibi condimentum, fames. Satietas & ipſa habet aliquid, quòd eſt utile, & aliquod noxium; utile eſt, quod indigentiæ naturæ ſatisfacit; noxium verò, quod faſtidium & nauſeam parit.

Beatorum ergo felicitas, ejus eſt conditionis, ut ex ſatietate & fame, noxiis dimiſſis, in unum copulaverit, quæ optima ſunt. è fame, comedendi

appetitum, & desiderium mutuat. sic intelligitur
1 Petr. 1. illud, In quem desiderant Angeli prospicere. At ex satietate accipit posse explere, & plenè desiderio satisfacere. & hinc est, quod Dominus loquens de Angelis custodibus dicebat: Angeli eorum semper vident faciem Patris meï, qui est in cœlis. Nec obstat, si aliquis objiciat; Quomodo si Angeli vident, videre desiderant? Quod enim possidetur, non desideratur. Huic difficultati satisfacit Theologus, hâc planè doctrinâ aureâ, In visione beatifica, hæc duo apprime conjunguntur, satiat quippe Beatos, eïsque plenè satisfacit, & hinc fit, ut ab òmni molestia, & anxietate liberi, continuo quodam appetitu, & desiderio videndi, ac fruendi Deo in æternum, & ultrà, avidissimè trahantur, unde utroque bono, quod in fame, & satietate reperitur, feliciter potiuntur. Satiant igitur bona cœlestia, & plenè, & semper, & sine molestia; non sic terrena, quæ dum habentur, in fastidio sunt; dum non habentur, in desiderio. Quocirca Sponsa cœlestis declaratura inconstantiam, & brevitatem temporalium bonorum, & æternorum firmam perpetuitatem, dixit, Sponsum alloquens: Meliora
D. Bern. super Cant. 1. sunt ubera tua vino. Per vinum caduca, & brevis hujus sæculi voluptas; per ubera, constans & æterna cœlestis vitæ delectatio. ratio autem hujus discriminis est, quoniam si racemum uvarum comprimas, semel & iterum succum elicies, sed postea in racemo nihil superest liquoris, sed rugosa tantùm uvarum pellicula, secus autem maternis accidit uberibus, quæ quia, instar fontis perennis, continuè manant, proinde puer hodie sugit & satiatur, cras itidem, idque toto anni circulo factitans, uberum maternorum

lacteo liquore, & ubertate non destituitur. En latum discrimen, quod inter bona temporalia, & æterna versatur; nam illa sunt momentanea, nec omnino delectant; bona verò cœlestia æterna sunt, omni bono redundantia sunt, & cordis humani desiderium explent usquequaque, quod totus mundus obtinere nequit, ut egregiè indicavit magnus ille Alexander, qui audiens à quodam Philosopho plures esse mundos, ingemuit dicens: Heu me miserum! qui nec uno quidem sum potitus. En evidens argumentum, animum Alexandri toto mundo esse capaciorem. Hinc Philippus pater, ejus magnanimitatem admirans, solebat dicere; Quære aliud regnum Alexander, quia Macedonia te non capit. & Poëta, Plutar. in vita Alex.

Vnus Pellæo juveni non sufficit orbis.

Quod rectè expressit elogium illud; Alexander toti orbi augustus est, totus orbis Alexandro angustus est.

Parvus Alexandro fuit orbis, sed fuit orbi
Magnus Alexander, ipse sibi exiguus.
Questus, quod citius, quàm miles, terra deesset,
Quodque suum Oceanus clauderet Imperium.

Siquidem dominandi libido neque finem, neque modum habet. Cyneas philosophus hanc insaniam Pyrrho Epirotarum Regi perspicuè demonstravit. Pyrrhus enim cùm cum Romanis bellum gereret, rogatus à Cynea, quid illis subactis faceret? respondit; Italiam totam occupabimus, Quid Italiâ subacta? Siciliam vicinam capiemus. Quid captâ Siciliâ? superest Lybia, & Carthago. quibus captis, facilè Græciæ dominabor. sed deletis omnibus, quid tandem facturus es? tunc otio, & amicis fruemur, nosque invicem oblectabimus. Tum Cyneas, At quid vetat, ô Rex,

quo

quo minus nunc eodem otio perfruaris? nisi quod cæca ambitio te quietum esse non sinit? Sine quiete quid profuit Alexandro totius Asiæ dominium, qui non secus ac si esset mendicus lachrymabatur, quod totum mundum suo Imperio non subjugasset. Hinc colligemus solutionem illius celebratissimæ quæstionis, Athenis olim propositæ, nimirum, Quid maximum pariter & minimum? Omnes qui tunc aderant Philosophi, quæsiti difficultatem considerantes, in varias distracti sententias abiêre. Quidam enim arbitrabantur, id esse visûs potentiam, quæ intra oculi pupillam includit, Solis, Lunæ, ac Stellarum magnitudinem, quarum quælibet, totum mare, terramque transcendit. Ecce maximum pariter & minimum. Alii verò sentiebant, id esse proprium intellectûs humani, quoniam omni carens quantitate, universam mundi machinam complectitur, ac cælum puncto temporis perlustrans, pari quoque velocitate terrarum profunda perscrutatur. hoc est maximum pariter & minimum. Alii verum scopum attingentes, dixere, cor hominis, esse maximum & minimum; est enim minima pars corporis humani, si molem attendamus; at si illius capacitatem; adeò magnum, ut totus mundus sinu suo capere non possit, nec ejus sitim omnino extinguere. Unde de siti unius Alexandri cecinit Poëta,

Æstuat infelix angusto limite mundi.

Magna porro sitis hominis, cui totus mundus non sufficit. nec mirum, quia aquæ hujus mundi salsæ sunt, proinde sitim non extinguunt, sed excitant, replent, non satiant. sitim potus sedat; famem, cibus restinguit; corpus vestis operit; nulla mundi voluptas cordi satisfacit, de qua, jure

licet

licet dicere, quod medico competit imperito, Pharmacum tuum morbum auget. Heliogabalus Romanus Imperator, joci captandi gratiâ, universum populum Romanum in Palatio invitavit, omnis plebecula prandii avida confluxit, mensæ sternuntur, aulæis parietes vestiuntur, verùm non nisi fucata fercula mensæ inferuntur, ita ut convivæ delusi, tantùm abfuit, ut satiarentur, quod etiam majori cùm fame à mensa recesserint, quàm accesserint. En convivium mundi, in quo fercula picta, & illusionibus plena. Quid mirum si non extinguunt? Dubitant expositores, quare Lothi uxor de Sodoma egrediens, in statuam salis conversa est? Cur non æris? cur non marmoris? quia res mundi, inquit Cajetanus, naturam salis imitantur, quæ sitim potiùs excitant, quàm expleant. Quærunt sacri Doctores, cur Salvator noster moritur sitiens? dixit enim, Sitio, cùm proximus esset morti. Cyrillus exponit de siti naturali, quæ in Christo Domino patiente maxima fuit; imò fuit unum ex gravissimis tormentis, quæ pertulit. Sitis autem hujus causa fuit, quod ab hora cœnæ nihil biberat, & summis laboribus, ac doloribus afflictus fuerat, qui sunt causa præcipua sitis. Præterea in sanguineo sudore plurimum sanguinis emisit, & in cruce penè omnem. hinc exhaustus fuit, & humidum radicale consumptum, ideo ardentissimâ siti vexabatur. Quod ut explicaret, dixit, Sitio.

Augustinus intelligit de siti spirituali, quasi diceret; Sitio salutem animarum vestrarum, sitio sanguinem effundere, sitio conferre beneficia. Egregiam, ac prope auream Titi Imperatoris sententiam, refert Plutarchus, Amici hunc diem perdidimus, quia nullum in eo beneficium contulit. Sueton. de Tito cap. 7.

Si

Si homo vermiculus tanto ſtudio optabat beneficia conferre, ut perditum eum diem diceret, in quo beneficia non contulerit, quid mirum, ſi infinita bonitas Principis ſupremi dicat, & ſæpius dicat, Sitio dare, ſitio beneficia conferre?

Cyprianus reddens rationem, quare Chriſtus moriens dixit, Sitio. Sitiebat, inquit, plura pati. maximus charitatis ignis ardebat in corde Chriſti. hic autem fecit, ut veſtimenta abjiceret, & ſitiret. Licèt enim multa paſſus eſſet, totum tamen eï parùm videbatur præ amoris magnitudine, ideo clamat, Sitio: quia cùm illius charitas ſine termino eſſet, optabat etiam labores immenſos, & abſque limite eſſe.

Rupertus Abbas, aliam rationem noſtræ reï magis conſonam in medium profert, ideo Chriſtus moriens dixit, Sitio, ut oſtendat, nihil eſſe in mundo, quod ſitim noſtram expleat. vita hominis finietur, ſed non ſitis. Nam licèt plurimas dignitates ſuperbus bibat, nunquam dicit, Sufficit: ſed ſemper, plùs ultrà. ſiquidem aquæ hujus mundi non extinguunt ſitim. Qui biberit ex hac aqua ſitiet iterum. talis autem ratio aſſignari ſolet, quia res mundi non permanent, ſed tranſeunt, Quæ felicitas in umbris? at res mundi ſicut umbra prætereunt; bona verò æterna ſemper durant, ideo ſatiant. Satiabor cùm apparuerit gloria tua.

Ioan. c. 4.

1. p. q. 2.

Siquidem, ut ſcribit Doctor Angelicus, ſola beatitudo cœleſtis eſt bonum perfectum, quòd taliter quietat appetitum, aliter non eſſet ultimus finis, ſi adhuc remaneret aliquid appetendum. objectum autem voluntatis eſt univerſale bonum, & hoc bonum univerſale, non eſt in ente creato, niſi in Deo ſolo, in cujus viſione conſiſtit noſtra beatitudo.

Nec

Nec moveat dictum illud Joannis, Deum nemo vidit unquam. multas enim explicationes admittit, & quidem pias omnes, & verè catholicas. Prima explicatio est, Deum nemo vidit unquam, nimirum, in hac vita mortali, Non videbit me homo, & vivet. Nec objicias, de Moyse, de Paulo, & de Benedicto, quia isti viderunt divinam essentiam in carne mortali (si tamen viderunt) per modum transeuntis, non permanentis. Secunda explicatio, Deum nemo vidit unquam, intelligitur etiam de Beatis in patria, oculo corporeo, sed bene vident oculo intellectuali. Tertia explicatio, Deum nemo vidit unquam, oculo scilicet comprehensionis; apprehendunt quidem divinam essentiam Beati, sed non comprehendunt, quia solus Deus comprehendit seipsum. Illud enim dicitur comprehendi, quod perfectè cognoscitur; perfectè enim cognoscitur, quod tantùm cognoscitur, quantùm cognoscibile est, at nullus intellectus creatus potest pertingere ad illam perfectam cognitionem divinæ essentiæ, quâ cognoscibilis est. Siquidem cùm essentia divina sit infinita, infinitè cognoscibilis est: at intellectus creatus non potest illam infinitè cognoscere. Nec etiam anima Christi comprehendit divinam essentiam, licèt semper fuerit Verbo unita, cognoscit quidem omnia in Verbo, quæ cognoscit Deus scientiâ visionis, at non scientiâ simplicis intelligentiæ. Scientia visionis, est cognoscere omnia quæ fecit Deus, quæ facit, & quæ facturus est. Scientia simplicis intelligentiæ, est cognoscere omnia quæ fuerunt, quæ sunt, & quæ futura sunt, & quæ possent fieri, sed nunquam erunt. hæc cognitio dicitur comprehensio, quæ soli Deo competit. At dubitabit aliquis, & jure, si anima Christi cognoscit

[Margin notes: Joann. c. 1. — D. Th. 3. p. q. 10. a. 1.]

Matth.c. 24. omnia in Verbo, quæ ſcit Deus ſcientiâ viſionis; quomodo intelligendum illud, De die illa nemo ſcit, neque Filius hominis, cùm ſit articulus fideï, diem judicii aliquando futurum. Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos. Circa hoc variæ ſunt Doctorum expoſitiones.

D. Th. 3 p. q. 10. a. 2. Divus Thomas aſſerit Filium hominis neſcire, non quod verè neſciat, ſed quia non facit ſcire.

Origenes exponit de Chriſtò, ſecundùm corpus ejus, quod eſt Eccleſia, quæ hoc tempus ignorat. Divus Ambroſius, & Divus Hieronymus dicunt, quod illa dictio, neque Filius hominis, addita fuit ab Arrianis. ſed non probatur hæc expoſitio, quia hæc particula habetur in editione vulgata, quæ ex decreto Concilii Tridentini eſt authentica. Conc. Trid. ſeſſ. 4. certum itaque eſt, quod Chriſtus cognovit diem Judicii, & ut Deus, & ut homo, quia cognovit omnia, quæ ſcit Deus, ſcientiâ viſionis; ſed non cognovit, ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ: hoc enim eſſet comprehendere, ad quod nec anima Beati, nec anima Chriſti poteſt pertingere. Si autem aliquis objiceret illud Pauli; Sic currite, ut comprehendatis, pro explicatione advertendum, quod comprehenſio duobus modis à ſacris Theologis conſideratur, vel pro cognitione divinæ eſſentiæ totaliter & omnibus modis, quibus eſt cognoſcibilis. hoc modo dicimus, ſolum Deum comprehendere ſeipſum, quia Beati vident Deum totum, ſed non totaliter. vident divinam eſſentiam infinitam, ſed non infinité. alio modo accipitur comprehenſio, pro conſecutione ultimi finis, nimirum, quia habent Deum præſentem cum perpetuitate, & ſecuritate. D. Th. 1. p. q. 12. a. 7. hoc modo Sancti dicuntur comprehenſores, quia vident, poſſident, & tenent Deum, nec unquam dimittent. ſic intelligitur illud Pauli; Sic

curri-

currite, ut comprehendatis. Quapropter licet Divus Paulus viderit divinam essentiam, non tamen fuit comprehensor, quia fuit per modum transeuntis. Beati vero jure dicuntur comprehensores, quia habent semper Deum præsentem, & præ lætitia canunt, Gaudium nostrum nemo tollet à nobis. Si igitur, ô homo, divinæ consors factus es naturæ, si ad Regni gloriam cum Angelis vocatus, si ad Imaginem divinæ Majestatis conditus, cur non aliquando agnoscis dignitatem tuam? cur tanto studio curas res viles, res perituras? Cur ad cælum natus, circa terram cor tuum apponis? O quàm melius tecum ageretur, ô homo, si tanto studio animæ salutem quæreres, quanto corporis. Quid enim non præstas, ut corporis saluti prospicias? quas opes non profundis? quibus laboribus non insudas? si ob hoc in longinquas partes peregrinandum sit, peregrinaris. si corpus diuturnâ inediâ extenuandum sit, extenuas. si à solitis deliciis abstinendum sit, abstines. si ferro, igne, incisionibus opus fuerit, ferrum pateris, & ignes, ut corporis dispendio majus redimas ejusdem corporis dispendium. Nonne magnæ insaniæ evidens argumentum, corporis morituri gratiâ, tam multa præstare, & propter immortalem animam ad cælestem gloriam destinatam, aut nihil, aut parùm pati? Hanc dementiam eleganter expressit Ovidius,

2 Cor. c. 9.

Vt corpus redimas, ferrum patieris & ignes,
Arida nec sitiens ora lavabis aquâ.
Vt valeas animo quidquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore majus habet.

De Leone animalium Rege legitur, quod sinit se ligari, & exiguo filo etiam à puero circumduci ut eleganter expressit Alciatus; dum currui à leonibus

Alciat. embl.

nibus tracto, puerum aurigam præficit, qui eos, quò libitum erat, dirigebat. at si fortè transeundo respicit fontem aquæ vivæ, & ibi imaginem regiam repræsentari, statim indignatus vincula frangit, puerum dejicit, & rugiens properat ad silvam. Tu Rex omnium creaturarum, Deï imaginem gerens, cur non fremis? cur non rubore suffunderis? cur non dissolvis vincula colli tui? cur non clamas cum Philosopho morali, Ad majora natus sum, quàm ut terræ serviam.

Sueton. in Aug. Julia Cæsaris Augusti filia, cùm argueretur à patre de superbo amictu, & ipsam enixè rogaret, ut mundum muliebrem nimis pretiosum exueret, audacter respondit; Pater meus oblitus est, se esse Cæsarem; at ego memini me esse Imperatoris filiam, & proinde primam omnium, quæ sunt in mundo Reginarum: quare æquum est, ut quæ sim, exteriùs quoque demonstrem. Tu homo, qui summi Imperatoris es filius, ad Regni gloriam destinatus, super omnes creaturas, Angelis exceptis, collocatus, propriæ dignitatis immemor, rebus vilibus deservies? ad æternam gloriam te voco, ad quam natus es, at quid potest commensurari animæ æternæ, nisi æternum? si ergo ad gloriam non morituram creatus es, quid gloriam quæris perituram? Recordare cujus capitis sis membrum, attende ad petram, de qua excisus es; in

Iob. c. 5. mentem revoca, cujus Principis sis Imago, sic enim visitans speciem tuam, non peccabis. cujus loci duplex est interpretatio, prima est lectionis Hebraïcæ, quæ sic habet, Visitans habitaculum tuum non peccabis. ubi per habitaculum, corpus intelligimus, quo anima includitur, cujus si cogitemus miserias, humiliter de nobis sentiemus; non secus ac superbus Pavo, qui postquam pulchras expandens

pandens alas intumuit, cùm ad pedum deformitatem deflectit oculos, mox illas contrahit, ac mœrore languescit. Secunda expositio nostro instituto valde accommoda, est doctissimi Lyrani, qui per speciem intelligit pulchritudinem, adeò ut sensus sit; Visita speciem tuam, hoc est, considera animæ tuæ dignitatem, in qua Deï relucet imago, tunc non ita humiliter de te judicabis, ut ad res viles indignè illam dejicias. Recole, ô homo, cujus imaginem geras, Deï nimirum, sic enim affirmant divina oracula; Faciamus hominem ad imaginem nostram. Sed dubitabit quispiam, cur in productione hominis mutatus est loquendi modus? primò enim dictum fuit, Fiat, postea dicitur, Faciamus. quid est hoc? Respondet Augustinus super Genesin, non in hoc præeminet homo aliis rebus, quod Deus fecit ipsum hominem, quasi alia ipse non fecerit, cùm scriptum sit; Opera manuum tuarum sunt cœli. sed in hoc, quod ad imaginem Deï factus est homo. utitur tamen Scriptura in productione hominis speciali modo loquendi, ad ostendendum, quod alia propter hominem facta sunt, ea autem quæ principaliter intendimus, majori cum studio efficimus. Nec intelligendum est, Deum Angelis dixisse, Faciamus hominem, sed hoc dicitur ad significandam pluralitatem divinarum personarum, quarum imago expressiùs invenitur in homine. dixit ergo, Faciamus, quasi in formatione hominis Deus advocaret divinarum Personarum consilium. tantæ molis erat humanam condere gentem. Hanc hominis præstantiam non ignorabat Cicero dicens: Qui seipsum novit, sentit se habere aliquid divinum. Huic reï de qua agimus, appositè facit exemplum, quod narrat Plinius de Rege Demetrio; is enim o-

D. Th. 1 p. q. 91 art. 4.

Alex. 2 p. qu. 55. memb. 2.

Lib. 2 de legibus.

pulentam urbem Rhodum, obsidione dum premeret, monitus à militibus, urbem capi non posse, nisi templum, in quo Protogenis inclyti pictoris erat imago, incendio immisso, corrueret, protinus obsidionem amovit, majus arbitrans incommodum, tam præclaram excellentis viri statuam comburi, quàm optato victoriæ triumpho privari. si ergo Demetrius inane unius hominis simulachrum tanti faciendum judicavit, quanti, quæso, sempiternæ divinitatis Imaginem, quam animo habemus inclusam, æstimare debemus? O maximum dementiæ genus, pro umbris & figmentis solida & vera bona negligere! Pulchre hujusmodi homines insipientes cani comparantur, quem moralis Philosophus in suis apologis fingit flumen transeuntem, qui portans in ore magnum carnis frustum, mox videns subter aquam, umbram ipsius, putansque illud quod apparebat in aqua grandius esse, dimisit verum, ut apprehenderet fictum, unde contigit, ut utroque fuerit destitutus.

Refert Plutarchus in vita Periclis, Cæsarem, cum exterarum gentium legatos Romæ obambulantes cerneret, & catellos brachiis foventes, interrogasse, num mulieres apud illos liberos parerent; quasi ineptiam illorum argueret, quod amorem pueris debitum, bestiis adaptarent. O quantis lachrymarum imbribus, calamitatem hanc deplorabat Vates Regius; Homo, (suspirans ajebat) cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. siquidem quemadmodum bestiæ nihil amant, nihil quærunt, nihil volunt, nisi bona hæc sensibilia, quia aliorum bonorum capaces non sunt; sic homines, culpâ suâ, in conditionem bestiarum

ſtiarum tranſierunt; nihil enim cogitant, nihil expetunt, nihil ſapiunt, niſi terrena, quaſi ſine ſpe alterius vitæ viventes, veluti pecudes omnia bona, & mala ex utilitate, & ex detrimento corporis metientes. & quæ, rogo, major calamitas, quàm ut homo baptizatus, qui ſupra Angelos ſeſe attollere poteſt, in gradum beſtiarum ſeſe dejiciat? Quod expendens Gregorius dixit; Pejus eſt comparari, quàm naſci, quoniam naturaliter non habere rationem, tolerabile eſt; hominem verò ratione decoratum, irrationabili naturæ comparari, crimen eſt voluntatis. Ò quàm pulchre Tertullianus, Video hederas, quantum velis premas, ſtatim ad ſuperna conari. video illas, nullo præeunte ſuſpendi, quod malint parietibus invehi textili ſylva, quàm humi teri voluntariâ injuriâ. Tu animal ad ſublimia natum, humi reptare pulchrum putabis? cælum, cælum potiùs inſpice, ad cujus ſpectaculum te excitavit Deus, & pro ſtemmate Helitropium gerens, audacter clama, Non inferiora ſequar.

Os ſublime datum? Mentem quoque dirige ſurſum,
Si ad cælum natus, cælica Regna pete.
Quid tibi cum brutis, ſupremi Regis Imago?
Terram terra colat, ſpiritus aſtra petat.

CAPUT XIX.

Facilis & benignus ad Principem pateat accessus, & omnes gentes magnificabunt eum.

DIVINUM oraculum ab historico Euangelico relatum vobis propono, Principes, imitandum. Stans autem
Luc.c.18. Jesus jussit cæcum adduci ad se. Hinc enim facilè intelligetis, præcipuum munus Principis esse, aures benignas auxilium implorantibus præbere, eorum lites non protrahere, jus sum unicuique reddere, populi salutem totis viribus procurare, etiam æraria exhauriendo, etiam proprias divitias, etiam sanguinem
Sen.ep.47. effundendo, si res expostulasset. Licèt enim servi
Arist.li.8 ethic. sint subditi, homines tamen sunt; licèt servi sint, humiles tamen amici sunt. Nec obstat axioma Aristotelis, Domini ad servum non est amicitia, quia sic intelligitur: non est amicitia secundùm quod servus, sed secundùm quod homo; nam secundùm quod servus, dissimilis est eï; ut autem homo, similis. At si similis, benignus esse debet, juxta illud adagium, Homo homini Deus. Quod quia Principibus, ad Imperium ritè administrandum plurimum conducit, proinde non erit absonum, si ejus reï quædam singularia, nec omnibus passim obvia, proferemus exempla.

Xiphilinus ex Dione in Adriano Imper. Cùm Adriano Imperatori mulier occurrisset in via, ab eoque, ut se audiret contenderet; primo quidem sibi esse otium negavit, ubi tamen mulier ita exclamare cœpit; Noli ergo regnare, mox conversus libenter eam audivit.

Nec Demetrii exemplum silentio obvolvendum,

dum, de quo ita Plutarchus. Obtundente aliquando Demetrium anu in transitu, & crebrius flagitante audientiam, ait Rex, tunc temporis sibi non vacare. quæ cum exclamaret; Noli ergo Rex esse, graviter hoc dicto stimulatus, & rem tacitus considerans, statim domum rediit, omniaque postmittens, exorsus ab illa anu, per multos dies vacavit. Plut.to. 3 vitar. in Demetrio.

Idem prorsus de Philippo Alexandri patre scribit historicus, Anus quædam inops, ait, sæpenumero petiverat, ut causam disceptaret, at respondente Philippo, non vacare sibi, confestim subjecit mulier; Noli ergo regnare. Quod ille dictum admirans, non illam modò, sed & alios statim audivit. Plut.to. 2, opusc. de Phil.

Quid dicam de Artaxerxe Cyri minoris fratre? hic non tantùm compellantibus liberalissimè vacabat, sed & uxori suæ jubebat, ut pilenti aulæa dimoveret, quò posset ab iis, qui vellent, compellari in via. Plut.to. 1, opusc. de Artax.

De Cn. Pompejo, Romanæ eloquentiæ parens ita scribit, Adeò facilis aditus ad eum, ita liberæ querimoniæ de aliorum injuriis esse dicuntur, ut is, qui dignitate Principibus excellit, facilitate par infimis esse videatur. Cicer. orat. pro. l. Manilia.

Sed quid? Nonne de Octavio Augusto scribit Suetonius, quod promiscuis salutationibus admittebat & plebem? quin tantâ comitate adeuntium desideria excipiebat, ut quendam joco corripuerit, quòd sic sibi libellum porrigere dubitaret, quasi elephanto stipem. hoc est, non sine metu. molestum autem erat ei, timeri. Sueton. in Oct. Aug. c. 3.

Quis pro dignitate celebrabit Vespasianum Imperatorem, summis laudibus ad sidera usque extollendum? Hunc enim etiam è morbo decum-

bentem, legatos admisisse, & audisse accepimus, ut ostenderet, Principes, omni prorsus horâ paratos esse debere, subditorum necessitatibus audiendis. dicebatque familiaribus, Imperatorem stantem mori oportet. bene in hanc rem Divus Bonaventura, Subditi facilem accessum ad præsulem habeant, patienter eos audiat, benignè eïs satis faciat, studeat magis amari, quàm timeri; quia libentiùs obeditur illi, qui diligitur, quàm qui timetur.

Hoc probè noverat Rudolphus Imperator, Austriaci sanguinis decus, & ornamentum. hic cùm intelligeret, purpuratos, & aulæ regiæ primarios, ab ejus congressu, tenuiores arcere, diguam suo genere vocem edidit. Sinite homines ad me venire, neque ideo Imperator sum, ut arculâ includar. dignissima vox Imperatore Austriaco.

Nec minori laude dignus, Princeps ille piissimus, qui ut omnibus pateret, querelas auditurus, duobus hebdomadæ certis diebus in loco publico considebat, duos secum insignes habens viros, quibus illud sæpè dictitabat, sanè memorabile, Si nobis, qui homines sumus; licet ad Deum accedere absque ullo intercessore, quomodo non etiam id licebit conservis nostris ad nos? ô vox Christiano Principe digna.

Quid dicam de Trajano Imperatore, præclaro pietatis exemplo? hic cùm profecturus ad bellum, jam equum conscendisset, vidua quædam occurrit suspirans, plorans, altaque voce clamans, Filius meus (ô Rex) te regnante interfectus est. mox apprehenso pede illius, dixit: Obsecro domine, ut quia eum mihi reddere non vales, sanguinem ejus saltem vindicare digneris. Ego, ait ille, satisfaciam tibi, cum rediero; quod si non redieris, ait illa,

Vinc. Beluac. spec. histor. lib. 10, c. 46.

illa, quis mihi præſtabit? Succeſſor meus, ait Imperator, ſatisfaciet tibi. at illa, Quomodo hoc ſciam? quod etſi facturus eſt; quid tibi proderit, ſi alius benefecerit? Succeſſor tuus injuriam patientibus, vel paſſuris, pro ſe tenebitur, te non liberabit juſtitia aliena. nonne meliùs tibi eſt, ut tu juſtitiam mihi facias, & pro hoc mercedem tuam recipias, quàm alteri hanc tranſmittas? Tunc Trajanus ratione pariter pietateque commotus, equo deſcendit, & cauſam viduæ diligenter examinans, condignâ ſatisfactione viduam conſolatus eſt. O Principem perpetuis encomiis celebrandum! de quo Plinius ita ſcribit, Nulla in audiendo difficultas, nulla in reſpondendo mora, audiuntur ſtatim, admittuntur ſtatim.

Quid? de hoc etiam Principe, refert Eutropius, quod culpantibus amicis, quia nimis circa omnes communis eſſet, & facilis, benigné reſpondit, Talem ſe velle eſſe Imperatorem privatis, qualem Imperatorem privatus optaſſet. Hinc meritò acclamatum eſt, Bonitas Trajani. Eutrop. rerum Rom. lib. 8.

His artibus Abſalon Princeps furabatur corda hominum, ait enim ſacer textus, Omnem virum, qui habebat negotium, ut veniret ad Regis judicium, vocabat Abſalon ad ſe, & familiariter alloquebatur dicens: Videntur mihi ſermones tui boni & juſti, ſed non eſt qui te audiat conſtitutus à Rege, dicebatque, Quis me conſtituat judicem ſuper terram, ut ad me veniant omnes, qui habent negotium, & juſtè judicem? ſed & cum accederet ad eum homo, ut ſalutaret illum, extendebat manum ſuam, & apprehendens, oſculabatur eum, faciebatque hoc omni Iſraël venienti ad judicium, ut audiretur à Rege, & ſollicitabat corda virorum. Benevolentia enim populorum (dicebat Lib. 2. Reg. c. 15.

Rex

Rex Antigonus) est optimum Regni fundamentum, & unicum rerum gerendarum præsidium.

Luc. c. 5. Discant itaque Principes à supremo omnium Regum Monarcha, de quo Apostoli acclamabant, Turbæ te comprimunt. Quo ex loco apertè colligitur, Deï filium non habuisse janitores, qui accedentes ad eum impedirent, contra plurimos Principes, qui inaccessibiles se reddunt; perinde ac si essent res, quæ non solùm usu, sed & visu consumerentur. Servandus tamen omnino est modus à lege præscriptus, quæ sic præcipit, Observandum est jus reddenti, ut in adeundo quidem facilem se præbeat, ita tamen ut non patiatur se contemni. l. obser. dig. de offic. præsid.

Aures sponte tuas miseris poscentibus offer,
Omnibus esto pius, omnibus affer opem.
Sic populis charus, sic Regni firma potestas,
Sic tibi summa quies, fama perennis erit.
Templa patent cunctis, omnes ut Numen adorent.
Regia si pateat, Numinis instar eris.

Caput XX.

Importunos delatores non facilè audiat Princeps, nec admittat, & erit in pace Regnum ejus.

Delatoribus non facilem aditum præbeat Princeps. sic præscribit divinus Plato, & quidem pulchre. Intelligebat, nimirum vir sapiens, nimiâ delationum facilitate, ingentem campum calumniis aperiri, calumniis autem innocentiam exterminari, ac demum omnia confundi, ac perturbari. rogatus Apollonius à Rege Babyloniæ, Plato li. de Repub.

niæ, quâ ratione quietus in suo principatu perduraret? Si, inquit, paucis fidem adhibueris: nulla enim major Regibus pernicies impendet, quam cum delatoribus facilem ad se aditum præbent. Non tamen accusationes omnino rejiciendæ, nec omnibus abroganda fides. utrumque enim, ut ait Seneca, in vitio est, & omnibus credere, & nulli. sed magna est adhibenda cautio, ne aures Principis seducantur. Hic est enim nervus Imperii, non temere credere, quoniam pro rectè administrando Regno omnibus fidem præstare, fatuitatis est; nulli, pertinaciæ; bene autem consulenti ambas aures aperire, summa prudentia est. Cæterùm, quia frons, oculi, vultûs persæpe mentiuntur, & oratio sæpissime; nec facilè est, insidias artificiosè compositas primo congressu dijudicare; proinde summo studio invigilandum. siquidem, quot homines experimur, verba melle dulciora proferentes, qui tamen incautos misere decipiunt? Annales Taciti evolvamus, & Sejanum scelestissimum hominum reperiemus, pro optimo, fidelissimoque habitum à Tiberio, de quo sic historicus; Et quamquam exitiosa suaderet, ut non sui anxius, cum fide audiebatur. Vetus erat adagium, Homo homini Deus. non multò pòst; Homo homini lupus. at nostrâ hac tempestate; Homo homini hamus. est lupus, non inficior, bellua ferox, & sæva nimis, verùm si te eminus aspiciat, aliquando in fugam convertitur; si cominus, spiculo transverberatur. At quis est tam lynceüs, qui hamum escâ opertum dignoscat, ab illoque semper caveat? Quis, inquam, tam prudens, qui hominis insidias dulci sermone obvolutas, subterfugere sciat? Utinam tam facilè esset præstare, quàm est simulare bonitatem. Proinde mo-

Corn. Tac. lib. 4 annal.

Lactan. lib. de vero cultu c 6. monendi sunt Principes, ut cautè delatores audiant, aures omnibus præbeant, non etiam fidem, illud adagium præ oculis habentes,

Pelle sub agnina, latitat mens sæpe lupina.

Nam multi spe, aut odio, vana deferunt, & aures Principum phaleratâ oratione ita præoccupare solent, innocentes criminando, ut difficillimum sit, ex præcordiis illorum evellere, quod falsus criminator infixit. Quam aptè Regius Vates delatores impios comparat serpentibus, Acuerunt linguas suas sicut serpentes. in tribus consistit similitudo, in cibo, in morsu, in lingua. quis cibus serpentis? terra. Terram comedes. qui cibus detrahentis? proximi peccatum. sic peccatorem appellat David, nimirum, terram & pulverem, Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis quem projicit ventus à facie terræ. serpentes, quos mordent, veneno inficiunt, præsertim aspides, sic affirmante Vate Regio, Venenum aspidum insanabile. detrahentis morsus insanabilis, quia sagittæ instar penetrat, Dentes eorum arma & sagitæ. facili negotio ingreditur sagitta, sed in extrahendo illam, hoc opus, hic labor. pulchre Bernardus, Levis est sermo, quia leviter volat, sed non leviter vulnerat; leviter ingreditur, sed non leviter removetur. Prov. c. 8. Proinde Sapiens dicebat; Verba bilinguis, quasi simplicia, & ipsa perveniunt usque ad interiora ventris. hinc Propheta comparabat detractores carbonibus, quia, aut comburunt, aut inficiunt; Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis. Hyeronymus ex Hebræo legit, cum carbonibus juniperorum. isti adeò inficiunt, & denigrant, ut vix possit deleri nigredo,

Quem semel horrendis maculis infamia nigrat,
Ad bene tergendum multa laborat aqua.

Quinque

Quinque conditiones linguæ ſerpentis affert Plinius; ſubtilis, atri coloris, perlonga, vibrans, triſulca. Lingua detrahentium, omni gladio acutior, lingua eorum gladius acutus, & adeò ſubtilis, ut intimas cogitationes hominum, inſtar Deï, audeat penetrare. O improbe, an neſcis regulam apud legiſtas, qui judicat in alieno territorio, incurrit crimen læſæ majeſtatis, quia eſt vitium uſurpatæ juriſdictionis? hoc eſt munus proprium Deï; ſolus enim Deus ſcrutatur corda. atri coloris. quia detractor, utpote, quia malus & niger, omnes alios judicat eſſe malos, juxta Philoſophi oraculum, Omne quod recipitur, per modum recipientis recipitur. & Sapiens dicebat; Cor ſapientis in dextera ejus, cor fatui in ſiniſtra. ſcribunt medici, quod cor ſituatum eſt in medio pectoris, & inclinat in ſiniſtram, & hoc in omnibus; quomodo igitur dicit Salomon, cor ſapientis in dextera, & cor fatui in ſiniſtra? quia fatuus omnia quæ videt perperam judicat, & ad ſiniſtram partem flectitur. perlonga eſt lingua ſerpentis, lingua impii delatoris longa, quia omnes attingit, nemini parcit; ideo vitium detractionis dicitur peccatum ſine lege. dixit Angelus ad Iſaïam quondam aulicum, Peccatum tuum mundabitur. Hebræus legit, peccatum tuum ſine lege. ſed quomodo? quia nulli parcit, nec amicis, nec inimicis, nec bonis, nec malis, nec præſentibus, nec abſentibus, nec vivis, nec mortuis. vibrans. hoc eſt, ad feriendum parata. triſulca. quia lingua delatoris iniqui, tres interficit ictu uno. ſed quid? non ſolùm impius delator eſt ſimilis ſerpenti naturali, ſed etiam diabolico. quis enim fuit primus detractionis inventor? utique diabolus. Scit Deus, dicebat, quia in quacumque hora comederitis aperientur oculi veſtri.

Rom. c. 8.

Eccl. c. 10.

Iſa. c. 6.

Gen. c. 3.

vestri. hinc in oraculis divinis hoc vitium dicitur
1 Tim. c. 3. diabolicum. Paulus namque enumerans conditiones sanctarum mulierum, dixit; Non detrahentes.
Psal. 40. lectio Græca habet; Non diabolicas. sic David; Verbum iniquum constituerunt adversùm me. Hieronymus exponit, verbum diaboli. Quid igitur, ô Princeps? non libenter audias, sed sepi aures tuas spinis, sic particeps peccati non eris. ita
Psal. 14. volebat innuere David; Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? qui loquitur veritatem, & qui opprobrium non accepit adversùs proximum suum. D. Hieronymus ex Hebræo vertit; Et opprobrium non sustinuit adversùs proximos suos.
Prov. c. 25. Dubitat Bernardus, uter magis delinquit? qui loquitur, an qui audit? nodum solvit dicens: Qui murmurat habet diabolum in lingua; qui autem libenter audit, habet diabolum in aure, quia si vul-
Prov. c. 4. tum subtristem, imò iratum exponeret, statim vox detractoris faucibus hærebit. Ventus aquilo, dicebat Sapiens, dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem. audi consilium Salomonis Regis sapientissimi; Remove à te os pravum, & detrahentia labia sint procul à te. propterea prudenter admonebat divus Augustinus,

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

Nec valet, cognitâ causâ, facti aliquando pænitere, tum quia res nunquam in integrum redit, tum etiam quia in viro sapiente nihil turpius, quàm dicere, Non putaram. Cum itaque delator sese offert, vires tuas collige (ô Princeps) insidiosum aliquid suspicare, alteram aurem absenti claude. ita consueverat Alexander Magnus, qui in audiendis causis, quamdiu diceret accusator, aurem alteram manu occludebat, quæ reo illi-

bata

bata ſervaretur, alteram tantùm porrigebat accuſatori. Huc pulchre facit, quod ſcribit Amianus, de quodam Cephido accuſatore acerrimo, qui apud Julianum Imperatorem accuſabat Numerium furti. Cùm autem objecta diluerentur; tunc accuſator irâ percitus, exclamavit, Et quis nocens poterit eſſe unquam, ſi negare ſufficiet? Tunc Julianus, Et quis innocens eſſe poterit, ſi accuſare ſufficiet? Exemplum ſupremi Principis ante oculos tibi conſtitue, ille enim non contentus clamore, qui uſque ad aſtra pervenerat, deſcendit, ut videret. ſic divina narrat hiſtoria, Deſcendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint. ignorabatne Deus, omnia perluſtrans, iſtorum ſcelera, ut videre opus foret? non ita quidem, ſed eo factum fuit, ut Principibus daretur exemplum, ne in judicando præcipites ruant, ſed audita relatáque exactè diſcutiant. ſiquidem in primo ſtatim congreſſu patulas aures calumniantibus aperire, non ſolùm eſt indignum viro, ſed etiam à juſtitia valde alienum. Quoniam nimia credulitas Principis, ſæpe eſt calamitas innocentis.

Amian. Marcell. lib. 18.

Gen. c. 18.

Omnibus haud credas, ſed tantùm vera loquenti,
Sæpius innocuo lingua doloſa nocet.
Regia (crede mihi) res eſt, non credere cunctis,
Rara fides hominum, ſemper in ore dolus.

CAPUT XXI.

Adulatores tanquam Regni corruptores, abhorreat Princeps. Et erit nomen ejus gloriosum.

PRINCIPUM Regiis quàm perniciosi sint adulatores, satis facilè colligi potest ex Tigrane Ponti Rege, qui in primordio sui principatûs, erga omnes mitis, ac placidus fuit; sed brevi temporis intervallo, vanis & variis adulationibus illectus, non acerbus modò & durus, verùm crudelis, & penitus intolerabilis evasit; adeò ut, illius mores Græci omnes execrarentur, nec eum ullo pacto ferre possent. Quin eò superbiæ, & amentiæ devenit, ut graviter contra L. Lucullum indignatus sit, quòd eum Regem tantùm, non autem Regem Regum per epistolam salutasset. Cur autem miser iste Princeps, ad tantam ruit dementiam? quia aures nimiùm faciles præbuit adulatoribus, à quibus ficta pro veris plerumque audiuntur. Quid Domitianum Imperatorem ad tantam stultitiam perduxit, ut fastu plenus, divinum sibi honorem fieri imperaverit? Quid Maximinum impulit, ut Romanis Senatoribus suos pedes osculandos præberet? Quid Demetrium fascinavit, ut divinum honorem affectans, legatos Atheniensium, biennium apud se detinuerit? Cur Rex Chaldæorum, ad tantam ruit insaniam, ut in aurea statua effigiem suam populo præberet adorandam? omnes, omnes ex fœdo adulationis fonte potarunt. In initio Imperii sui clementissimus fuit Domitius Nero, de ipso enim refert Seneca, quod cum appre-

Sen. li. 2. de clem. c. 1.

apprehendiſſet calamum, ut quoſdam damnaret delinquentes, jam morti addictos, cum lachrymis exclamavit: Utinam litteras neſcirem! vox Principe digna. At quomodo ad tanta facinora devenit, horrendum ſævitiæ portentum? vide annales Taciti, & intelliges, quanta incommoda afferat Principibus fœdiſſima adulatio. dicat, dicat Xerxes in quot mala inciderit nimiâ adulatione corruptus. Hic vanâ elatione tumens, bellum Græciæ indixit, tunc hominem jam furentem variis adulationibus familiares impellunt, alius enim dicebat, Græcos ad primam adventûs famam terga verſuros. alius, tantâ mole militum non ſolùm vinci Græciam, ſed obrui poſſe. alius, vix rerum naturam ſufficere. ſed quid? tandem ſuperatus Xerxes, intellexit quàm ſit perniciosa Principibus peſtifera adulatio. Hanc ſæviſſimam peſtem abominabatur Julius Cæſar, quod multis declaratur argumentis, & inprimis, cùm ex Alba Romam rediret, dum complures obvii eum ſublatis vocibus regem ſalutarent, indignatus ille exclamavit, Non ſe Regem, ſed Cæſarem vocari; quin cùm honores humanis majores, ex Senatûs conſulto eï deferrentur, id iniquo animo tulit, dixitque, Referte reliquis Senatoribus, minuendos potiùs eſſe honores, qui mortalibus exhibentur, quàm augendos. Cùm etiam aliquando lupercalia ſpectaret, Conſul Antonius lauream coronam Cæſari imponere voluit; at ille mox eam rejecit. ſed cùm rurſus afferret, juſſit in Capitolium eam deferri, ut oſtenderet Jovem Regem, non Cæſarem coronandum eſſe.

Sen. lib. 6 de benef.

Quid de Tiberio Imperatore? nonne adulationes abhorruit? Cùm enim à quodam, Dominus

Sueton. in vita Tib. cap. 27. appellaretur, tanquam injuriâ affectus ægre ferens; Nolo, inquit, honorem, qui humanitatis fastigium transcendat, at Dominum vocari, soli Deo convenit. & statim, publico decreto vetuit, ne quis eum dominum appellaret. neque (ut scribit Diodorus) ullum templum sibi proprium extrui passus est. Et tandem nomen patris patriæ à Senatu sibi oblatum, totis viribus, ut tradit Tacitus, recusavit.

Diodor. lib. 57. histor. Rom.

Tac. li. 1. annal.

Hoc etiam titulo laudandus Carolus Quintus Imperator invictissimus. hic enim dum esset in tentoriis, audiens nuntium barbarum, Regem suum vocitantem, Dominum dominorum, justo furore excandescens, dixit: Turpiter mentiris impie, quoniam hoc nomen solius Deï proprium est. sic attestante Romanâ Ecclesiâ, Quoniam tu solus Sanctus, tu solus Dominus. siquidem omnes monarchæ, Deï comparatione, non Domini, sed vicedomini appellandi sunt. Hinc enodatur quæsitum illud non contemnendum, quare in officio divino lectiones dicturi, petunt benedictionem, dicentes: Jube domne benedicere, per syncopam; non, jube domine? quia solus Deus est absolutè Dominus, cui meritò decantandum Davidicum illud elogium, Domini est terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & qui habitant in eo. proinde illi soli debetur pleno jure nomen Domini non syncopatum; reliqui verò Principes, non domini, sed diminuti domini, appellari debent. ut sapienter decrevit Imperator Tiberius, pro vitanda & vetanda adulationis nota.

Dignus obelisco Pascenius, quia adulatores, indecoros, & inglorios, tanquam propriæ vitæ insidiatores, ex aula eliminavit. Cùm enim quidam Imperatori, recens constituto, panegyricum recitare

tare vellet, adulatoria verba ægre ferens dixit: Scribe laudes Marii, Annibalis, vel alterius ducis optimè functi, & narra, quid ille fecerit, ut nos imitemur: nam laudare viventes, irrisio est, Principes præcipuè, à quibus speratur.

Nec silentio involvendus Alexander semper magnus, cùm enim Onosicrates laudes Alexandri Regis conscripsisset, sed adulationis & falsitatis plenas, Alexandroque præsentaret, tunc, ait Alexander; O quàm cuperem Onosicrates, cùm defunctus essem, ad modicum tempus reviviscere, ut cognoscerem quo animo, posteri scripta hæc lecturi essent; minimè mireris, si nunc illa laudant, nimirum, quia hac quasi quâdam inescatione, unusquisque benevolentiam expiscaturum se sperat. Strabo lib. 5.

Isocrates vir sapientiâ & eloquentiâ insignis, nullam pestem esse dicebat magis pernitiosam Principibus, adulatore. Corrumpit enim ingenuos mores, cùm semper mentiatur, & vitia pro virtutibus extollat. Proinde Carneades dicere solebat, Principum filios nihil rectè discere præterquam equitare, quod his omnes adulentur, solus equus non curans, Regem gerat an privatum, tergo excutit quemlibet, qui equitandi fuerit imperitus. Hinc est quod haud facilè Principes ab erratis recedunt, quod nemo audeat illos corripere, nedum leniter admonere. Quin vix audent ipsi confessarii nudam aperire veritatem. Quod quidem turpe, & inglorium, imò gravi supplicio dignum. Et huc appositè facit exemplum memorabile cujusdam potentis. quod utinam mortalium cordibus infigatur. Hic igitur morti proximus, accersito notario, qui voluntatis suæ dispositionem scriberet, inter cætera dixit; Corpus meum terræ detur, ex qua sumptum fuit;

anima verò dæmonibus tradatur, quia eorum est. Stupentibus omnibus præ horrore, & scribere recusantibus, rabie plenus repetiit. anima mea dæmonibus debetur, insuper anima uxoris meæ, & animæ filiorum meorum, & anima Confessarii meï. mea quidem, quia aliena rapui & retinui. anima uxoris, quia ad id me invitavit; filiorum, quia ut eos locupletarem, aliena surripui; anima Confessoris, quia debitè non me absolvit, nec unquam corripuit. Et hæc loquens animam exhalavit. Ecce multorum potentium damnatio, quia ipsorum aures, nec veritas, nec correctio pertingit. hinc Carneades dicebat: Vis scire, cujus reï inopiâ laborant magna fastigia? & quid omnia possidentibus, desit? ille, qui verum dicat. imò pro quodam miraculo habetur, quod Principes resipiscant. ita innuere videtur divinum illud oraculum. Ecce Magi ab oriente veniunt. hoc enim adverbium admirandi vix unquam in sacris litteris usurpatur, quin novi semper aliquid portendat. Cùm ergo dicitur, Ecce Magi. prodigia, paradoxa, res novas, & planè admirandas insinuat. Est enim quasi prodigium, principantes ad cœlestia converti, cùm non habeant, qui eos ad viam salutis alliciant. habent quidem adstantem applaudentium turbam, qui illos nimiùm bellè sibi placentes, pertrahunt in præceps. Asperum quidem primo intuitu bonus Consiliarius tibi aliquando propinat, sed cùm divinæ legi consentaneum sit, non debes respuere, sed eorum exempla tibi proponere debes, qui cum speciosiora suadentibus accessissent, dulci adulationis veneno epoto periere, pereuntque in dies funditus. Davidis optimi Principis consilium sequere, ô Princeps, qui malebat à viro justo corripi, quàm ab impro-

Sen. de benef. li. 6. c. 30.

Matth. c. 2.

Tac. li. 1.

improbis unguento ſimulatæ adulationis deliniri. Verè laudandus Philippus Macedonum Rex, qui cùm quorundam captivorum ſpectator eſſet, veſteque ſupra genua collectâ ſedebat, unus captivorum rogavit, ut eum liberare vellet, qui amici ejus fuerat filius. petiit Philippus, ut nomen exprimeret, cui cùm captivus ipſi ſoli ſe id dicturum reſpondiſſet, vicinior factus hoc unum dixit, Veſtem, ô Rex, quam ſupra genua collegiſti, demitte, neque enim ita ſedendo, decorem Regium ſervas; quo verbo audito, Philippus ſtatim veſtem demiſit, & ut amicæ admonitioni gratus eſſet, captivum ſtatim, ut amicum liberavit. en bonus Princeps veritatem non abhorruit, ſed libenter audivit. Nec erit abs re, illos Sirenibus comparare, ſiquidem hæc monſtra marina faciem habent muliebrem, & ſuaviter concinunt, ſed nautas auſcultantes in ſomnum inducunt, ſopitoſque in mare demergunt. Quod intelligens Ulyſſes, ſuas, ac ſociorum aures, cerâ obturavit, nè incauti illos Sirenum cantûs exaudirent, & ipſe navis malo adſtrictus, incolumis periculum evaſit. ita planè, qui aures adulatoribus aperiunt, in vitiis ſuis conſopiuntur, & ſopiti in mare iniquitatis demerguntur. Princeps igitur, & gloriæ, & ſalutis memor, mortiferos blandientium applausûs, Ulyſſis inſtar, ſurdâ debet aure pertranſire, frequenter inclamando, Procùl procùl abite profani.

Ingens hoc periculum intelligebant Athenienſes ſuarum legum obſervantiſſimi, proinde adulatores tanquam acerbiſſimos reïpublicæ hoſtes, capitali afficiebant ſupplicio. Legimus enim Timagoram fœdum Darii adulatorem, ab illis publicâ morte mulctatum, ne unius civis molliſſimis blanditiis, tota civitas inficeretur.

Quapropter præclarè docuit Diogenes ille Cynicus, periculosius esse incidere in adulatores, quàm in corvos; isti enim cadaveribus insidiantur, illi autem homini, etiam superstiti, oculos misere effodiunt. Siquidem veritatem, humanæ vitæ oculum, à cordibus Principum tollere nituntur, quibus, instar meretricum, præter judicium, & mentem, omnia precantur. nec desideriis fraudantur, quia Princeps falsâ applaudentium laude delinitus, usque eò insanit, ut præ se omnes despiciat, arbitreturque, se solùm egregiè loqui in hominum cœtu, cùm vix tria verba connectere sciat, seque solum pugnare, & vincere, cùm in pace sit Leo, in prælio Cervus. En miseranda pernicies, ex pessimis adulatoribus emergens, qui homines extra se rapiunt, populisque ludibrio exhibent. De quibus appositè Euangelicus propheta. Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum, lucem tenebras, & tenebras lucem; qui ex eodem ore calidum, & frigidum efflant: ut ait adagium, natum ex apologo quodam satìs noto, sed quia ad rem præsentem facit, non erit absonum recensere.

Pythag. apud Stobæum.

Isa. c. 5.

Satyrus quidam cùm vehementer algeret, hiberno tempore supra modum sæviente, à rustico quodam inductus est in hospitium, admiratus autem, cur homo inflaret in manus ori admotas, rogavit, cur ita faceret? respondit ille, ut frigidas manûs halitûs tepore calefaciam; deinde ubi extructo foco, appositâ mensâ, in pultem fervidam rursum inflaret, magis etiam admiratus, denuo postulavit, Quid hoc sibi vellet? ut pultem, inquit, nimiùm ferventem, halitu refrigerem. Tum Satyrus surgens à mensa, quid ego audio, inquit? tune eodem ex ore, pariter calidum & frigidum

frigidum efflas? Valebis. neque enim mihi ratio est, cum ejusmodi homine, commune habere hospitium. Quis compos mentis non videt, hunc apologum adulatoribus satis aptè accommodari? isti enim bilingues & mendaces, virum strenuum omni laude dignum, ad ima usque deprimunt, & hominem omnino ignavum, extollunt ad sidera. Ecquid turpius unquam dici potest, quàm hominem vitiorum mancipium, virtutum exemplar nominari? hominem ignavum, natum consumere fruges, parentis patriæ nomine cohonestari? Deum immortalem, quis seipsum adeò ignorat, ut cum artis bellicæ sit omnino ignarus, æquo animo illos audire queat, qui strenuum, ac fortissimum Ducem prædicent, admirentur, ac aliis cunctis præferant? Quonam pacto perpeti potest quispiam, se Achillem vocitari, cùm vilis Thersites, & telluris inutile pondus, ab omnibus passim existimetur, & revera existat? Non possunt viri graves, ficta, ac simulata de se dici animadvertentes, non iniquo animo ferre. Proinde Isocrates Regem suum monebat, ut omnes illos evitaret, qui laudant quæcunque fecerit; illis autem obtemperaret, qui non fortunam, sed personam metientes, ejus errata placidè, ac sine contumelia ante oculos ponunt: quippe, quod illi, dignitati Principis consulant, isti autem mendacii præmium expectantes, interim gloriam Principis labefactant. Hinc Regni præcipitia, quia Principes hac nostrâ tempestate, libentiùs aures accommodant blandis adulantium lenociniis, quàm sanis Philosophorum consiliis, quod Demosthenes orator insignis, apologo de aselli umbra satis eleganter ostendit. Plurima, ac propè innumera possem afferre exempla, ex quibus facile esset conjici,

quàm ſit pernicioſa aulis Principum adulatorum peſtis, qui veluti ſcorpiones, brachiis ad amplexandum extenſis, amorem præ ſe ferunt, ſed caudâ pungunt, & venena effundentes, inficiunt. Unum tantùm, inſigne tamen, in medium proferam, quod vix ſine magna animi indignatione, nec legi, nec audiri poterit. De quodam Briano, ganeone turpiſſimo; ſcribit Sanderus, quod eò impudentiæ corruit, ut Henrico Octavo Angliæ Regi percunctanti, quàm grave crimen eſſet, habere rem cum matre primùm, deinde cum filia? reſpondere auſus fuerit, tam grave, quàm gallinam cum pullo ſuo comedere. ô vocem non homine, ſed diabolo dignam! Fuit tamen cum riſu ab homine perdito lætanter excepta. En proprium adulatorum munus, ingenio Principum, ac moribus conformari. Quocirca non abs re Echo comparantur, prolatas voces repetenti, quoniam ſi Principes aliquid aſſerunt, annuunt & ipſi; ſi negant illi, renuunt & ipſi; ajunt, ajo; negant, nego. Sunt etiam umbræ ſimiles, nam illa te ſedente, ſedet; erigitur, te erigente. hoc tamen fit ſolùm, præſente Sole; quod ſi ipſe deficiat, evaneſcit & ipſa. ita prorſus adulatores rident, obſequuntur, applaudunt, dum torcularia vino redundant, & dum horrea frumento abundant; cùm verò intelligunt, te ad inopiam redactum, tunc negligunt, deſerunt, & turpiter explodunt. Si Regia abundat, ad laudes & præconia; ſi laborat inopiâ, ad improperia & contemtum. quibus valde appoſitè poſſet accommodari tetraſtichon illud, quod primò continet laudes, & ſalutem precatur; ſed ſi legitur ordine retrogrado, plurima mala exoptat. En carmina miro artificio elaborata.

Nicol. Sand. de chiſm. Anglico.

Laus

Laus tua, non tua fraus, virtus, non copia rerum
Scandere te fecit hoc decus eximium.

En laudes. invertamus ordinẽ. & ecce improperia,

Eximium decus hoc fecit te ſcandere rerum
Copia, non virtus, fraus tua, non tua laus.

Iterum

Conditio tua ſit ſtabilis nec tempore parvo
Vivere te faciat hîc Deus omnipotens.

En laudes, en elogia, en bene valere: ſed legamus ordine præpoſtero,

Omnipotens Deus hîc faciat te vivere parvo
Tempore, nec ſtabilis ſit tua conditio.

En mala imprecatio: eleganter dicebat os aureum; Sicut finis oratoris eſt, dictione perſuaſiſſe, & medici, medicinâ curaſſe, ſic adulatoris finis eſt, ſuaviloquio decepiſſe.

O quàm pulchre, qui adulatores locuſtis ſimiles dixere. hujuſmodi enim animalia per vineas diſcurrunt, agros perambulant. ſed quando? verno tantùm tempore, quando eſt odor agri pleni: at tempore brumali, quando folia decidunt, frondes areſcunt, & fructibus agri ſpoliantur, mox & ipſa recedunt. hoc eſt proprium adulatoris ingenium, divitum aures lenociniis mulcere, quando torcularia redundant; at ſi opes deficiunt, ſtatim terga vertere, imò dentibus & morſibus turpiter impetere. ſicut accidit Actæoni, ut Poëtæ fingunt, hic enim à canibus, quos alebat, fuit devoratus; ſic Princeps conſumtis opibus ab adulatoribus derelinquitur; imò ſæpe duris morſibus dilaniatur. Eſt enim quotidiano experimento probatum, quod qui adulatoribus aures accommodant, brevi ad extremam adiguntur pauperiem. Quippe tam frequenter hauriunt, ut omnino exhauriant.

Nec erit abſonum Chamæleonti comparare, hoc namque Plin. lib. 8, c. 33.

namque animal, ut ſcribit Plinius, omnibus veſtitur coloribus, albo excepto: ita prorſus adulatores, vitia Principum laudantes, omnibus induuntur mendaciorum coloribus, nunquam tamen veritatis candore. Egregiè doctor ille Gallus, adulatorum mores expreſſit, inquiens; Adulator, amicus in obſequio, ſed hoſtis in animo; comtus in verbo, ſed turpis in facto; lætus ad proſpera, fragilis ad adverſa; facilis ad humana, difficilis ad honeſta, & ſemper mendax. O quàm feliciter omnia caderent Principi, ſi adulatoribus ab aula eliminatis, viros admitterent integritate ornatos. ſiquidem ob talium ſocietatem domus regia plurima evitat infortunia. hoc autem liquidò conſtat ex oraculo Geneſis capite octavo; Non delebo, ait Dominus, propter decem juſtos, ſi ibi inventi fuerint, Pentapolim. at vix boni à malis ſeparantur, ſtatim Deus ſævit in impios; nam ſimulatque Loth à Sodomis eductus, flammâ gentem peſſimam devoravit. vix Iſraëlitæ ab Ægyptiis ſeparantur, illico Ægyptii in mari rubro ſubmerſi ſunt. ſimulatque Noë ab impiis ſejunctus, & in arca incluſus, diluvium perdidit omnes. hoc probè novit Themiſtocles Athenienſium dux, volens enim domum venditioni tradere, juſſit præconi ut diceret, Eſt vicina homini bono. tantæ molis eſt bonorum ſocietas. Divus Ambroſius dubitat, quid eſt quod navigantibus Apoſtolis, motus magnus factus eſt in mari? credit Ambroſius hanc tempeſtatem excitatam, quia ibi erat Judas proditor. ex quo colligere poſſimus ingentes calamitates illi domui impendere, in qua impius commoratur. nam ſi ob unius Jonæ inobedientiam, mare ita concitatum eſt, ut navim in extremum naufragii diſcrimen conjecerit, quid expectandum, quan-

do

do plures omnibus flagitiis contaminati, ad iracundiam provocant cælum? Perinde Rex David in familia instituenda cautionem magnam adhibebat, Oculi meï ad fideles terræ, ut sedeant mecum; ambulans in via immaculata hic mihi ministrabit; non habitabit in medio domûs meæ, qui facit superbiam; qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum. dicunt naturales, super Laurum radium cœli non cadere: vis fulgura & calamitates à domo tua repellere? in ea justum insere, & omnia feliciter ex votis. Psal 56.

Utinam Principes, Sigismundum Imperatorem sibi proponerent imitandum. hic enim hoc genus hominum, Regiis infensum, tanquam Reïpublicæ pestem, cane pejus & angue insectabatur. Hinc memorandum illud & dictum & factum summis laudibus celebratur. Cùm eum quidam adulator, fucatis verbis demulcere tentaret, iratus, colapho percussit, cui dicenti: Cur me cædis? protinus respondit; Et tu, cur me mordes? ô vocem Imperatore dignam! Hisce enim verbis insinuavit Princeps, adulationem esse quendam rabidum morsum, quoniam sub exteriori verborum suavitate, canini latent dentes, ut ait Propheta: Denteseorum arma & sagittæ, lingua eorum gladius acutus. Psalm. 140. Proinde malebat à viro justo corripi, quàm à simulatore demulceri, Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Quid autem per oleum peccatoris intelligebat? adulationem, nimirum, quæ blanda est, & corda stultorum hominum demulcet.

Notatu tamen dignum est, quod ubi in vulgata lectione legimus; Oleum peccatoris, in Hebræo legitur; Oleum veneni, vel, ut Hieronymus vertit; oleum

oleum amaritudinis. Verùm, quomodo adulatio, quæ quasi blandum oleum corda audientium penetrat, oleum amaritudinis appellatur? optimo quidem jure. Nam comprehendit utrumque adulatio, dulcis est, & amara. dulcis, quia delectat; amara, quia cor decipit, & judicium rationis pervertit.

Turpis adulator semper longè exulet aula,
Ni velis Imperii perdere sceptra tui.
Vincit adulator blando sermone Sirenes,
Aures si claudis, instar Vlyssis eris.

CAPUT XXII.

Amicos spectatæ fidei, in adversa fortuna probatos, non negligat Princeps; sed amore, & beneficiis foveat. Et tutam Regni custodiam inveniet.

Petr. Rebuffus lib. de privilegiis.

SCITE admodum, ac perbelle fidelis amici figuram descripsere antiqui sapientes. Pingebant insignis formæ adolescentem, capite nudatum, hirsutâ veste indutum, in cujus fimbria scriptum erat, Vita & mors. In fronte hiems, & æstas. habebat latus usque ad cor apertum, ubi hæc aurea verba legebantur, Propè & longé. Hæc autem omnia, insignia quædam documenta præmonstrabant. Quid ætas viridis, & rosea, quando flavescunt crines, caro nitescit eburnea, oculorum gemmis, facies rosea decoratur, viget ratio, visus acutior, auditus promtior, incessus rectior, vultus jucundior? quid, inquam, hæc florida ætas adumbrat? quod vera

Ugo de sancto Victore. Canon. Reg.

vera amicitia virescit semper, tempore senescit nullo. Quid villosa vestis? quod fidelis amicus, debet esse paratus ad toleranda quælibet ardua pro amico. detectum caput, indicat amicum nunquam esse negandum. quod egregiè insigni eventu testatus est Mithridates Rex Ponti. hic enim pro uno Leonico amico, à Rhodiis in pugna navali capto, omnes hostes captivos, qui plurimi erant numero, permutavit. tanti faciebat amicitiæ vinculum. latus apertum quid? innuit amicum esse diligendum, non ore tantùm, sed corde, & opere: ut verè possit decantari elogium illud academicum, Idem ambo. Olim apud antiquos in academiis Atheniensium pingi solebat Cupido, inter Mercurium & Herculem, quorum alter pulchri eloquii Deus, alter verò virium & roboris. Quorsum hoc? hoc monimento testabantur, veri amoris munus, non in verbis, sed in factis agere radices. Hinc dilectus hortabatur, Non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere 1 Joan. & veritate. Quoniam, ut ait Gregorius, proba- 2, c. 3. tio dilectionis, exhibitio est operis. Sicut ignis in nube inclusus quiescere non potest, sed huc illucque agitur, donec cum tonitruo foras erumpat; ita si amoris ignis in corde amici includatur, in opera externa progreditur: amor enim si operari renuit, amor non est, sed instar ignis picti in tabella, qui non calefacit; & instar leonis marmoreï, qui neque rugit, neque sævit. Egregius testis Anaxagoras. hic enim cùm jacéret in rerum angustiis, illum Pericles Dux potentissimus, toto cordis affectu monebat, ne se perderet, sed amicis servaret. cui statim ille respondit, Qui lucernâ indiget, oleum instillat. carpens illos, qui nihil prorsus effundunt præter bona verba. Hinc cele-

anima verò dæmonibus tradatur, quia eorum eſt. Stupentibus omnibus præ horrore, & ſcribere recuſantibus, rabie plenus repetiit. anima mea dæmonibus debetur, inſuper anima uxoris meæ, & animæ filiorum meorum, & anima Confeſſarii meï. mea quidem, quia aliena rapui & retinui. anima uxoris, quia ad id me invitavit; filiorum, quia ut eos locupletarem, aliena ſurripui; anima Confeſſoris, quia debitè non me abſolvit, nec unquam corripuit. Et hæc loquens animam exhalavit. Ecce multorum potentium damnatio, quia ipſorum aures, nec veritas, nec correctio pertingit. hinc Carneades dicebat: Vis ſcire, cujus reï inopiâ laborant magna faſtigia? & quid omnia poſſidentibus, deſit? ille, qui verum dicat. imò pro quodam miraculo habetur, quod Principes reſipiſcant. ita innuere videtur divinum illud oraculum. Ecce Magi ab oriente veniunt. hoc enim adverbium admirandi vix unquam in ſacris litteris uſurpatur, quin novi ſemper aliquid portendat. Cùm ergo dicitur, Ecce Magi. prodigia, paradoxa, res novas, & planè admirandas inſinuat. Eſt enim quaſi prodigium, principantes ad cœleſtia converti, cùm non habeant, qui eos ad viam ſalutis alliciant. habent quidem adſtantem applaudentium turbam, qui illos nimiùm bellè ſibi placentes, pertrahunt in præceps. Aſperum quidem primo intuitu bonus Conſiliarius tibi aliquando propinat, ſed cùm divinæ legi conſentaneum ſit, non debes reſpuere, ſed eorum exempla tibi proponere debes, qui cum ſpecioſiora ſuadentibus acceſſiſſent, dulci adulationis veneno epoto periere, pereuntque in dies funditus. Davidis optimi Principis conſilium ſequere, ô Princeps, qui malebat à viro juſto corripi, quàm ab impro-

Sen. de benef. li. 6. c. 30.

Matth. c. 2.

Tac. li. 1.

improbis unguento ſimulatæ adulationis deliniri. Verè laudandus Philippus Macedonum Rex, qui cùm quorundam captivorum ſpectator eſſet, veſteque ſupra genua collectâ ſedebat, unus captivorum rogavit, ut eum liberare vellet, qui amici ejus fuerat filius. petiit Philippus, ut nomen exprimeret, cui cùm captivus ipſi ſoli ſe id dicturum reſpondiſſet, vicinior factus hoc unum dixit, Veſtem, ô Rex, quam ſupra genua collegiſti, demitte, neque enim ita ſedendo, decorem Regium ſervas; quo verbo audito, Philippus ſtatim veſtem demiſit, & ut amicæ admonitioni gratus eſſet, captivum ſtatim, ut amicum liberavit. en bonus Princeps veritatem non abhorruit, ſed libenter audivit. Nec erit abs re, illos Sirenibus comparare, ſiquidem hæc monſtra marina faciem habent muliebrem, & ſuaviter concinunt, ſed nautas auſcultantes in ſomnum inducunt, ſopitoſque in mare demergunt. Quod intelligens Ulyſſes, ſuas, ac ſociorum aures, cerâ obturavit, nè incauti illos Sirenum cantûs exaudirent, & ipſe navis malo adſtrictus, incolumis periculum evaſit. ita planè, qui aures adulatoribus aperiunt, in vitiis ſuis conſopiuntur, & ſopiti in mare iniquitatis demerguntur. Princeps igitur, & gloriæ, & ſalutis memor, mortiferos blandientium applausûs, Ulyſſis inſtar, ſurdâ debet aure pertranſire, frequenter inclamando, Procùl procùl abite profani.

Ingens hoc periculum intelligebant Athenienſes ſuarum legum obſervantiſſimi, proinde adulatores tanquam acerbiſſimos reïpublicæ hoſtes, capitali afficiebant ſupplicio. Legimus enim Timagoram fœdum Darii adulatorem, ab illis publicâ morte mulctatum, ne unius civis molliſſimis blanditiis, tota civitas inficeretur.

Quapropter præclarè docuit Diogenes ille Cynicus, periculosius esse incidere in adulatores, quàm in corvos; isti enim cadaveribus insidiantur, illi autem homini, etiam superstiti, oculos misere effodiunt. Siquidem veritatem, humanæ vitæ oculum, à cordibus Principum tollere nituntur, quibus, instar meretricum, præter judicium, & mentem, omnia precantur. nec desideriis fraudantur, quia Princeps falsâ applaudentium laude delinitus, usque eò insanit, ut præ se omnes despiciat, arbitreturque, se solùm egregiè loqui in hominum cœtu, cùm vix tria verba connectere sciat, seque solum pugnare, & vincere, cùm in pace sit Leo, in prælio Cervus. En miseranda pernicies, ex pessimis adulatoribus emergens, qui homines extra se rapiunt, populisque ludibrio exhibent. De quibus appositè Euangelicus propheta. Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum, lucem tenebras, & tenebras lucem; qui ex eodem ore calidum, & frigidum efflant; ut ait adagium, natum ex apologo quodam satìs noto, sed quia ad rem præsentem facit, non erit absonum recensere.

Pythag. apud Stobæum.

Isa. c. 5.

Satyrus quidam cùm vehementer algeret, hiberno tempore supra modum sæviente, à rustico quodam inductus est in hospitium, admiratus autem, cur homo inflaret in manus ori admotas, rogavit, cur ita faceret? respondit ille, ut frigidas manûs halitûs tepore calefaciam; deinde ubi extructo foco, appositâ mensâ, in pultem fervidam rursum inflaret, magis etiam admiratus, denuo postulavit, Quid hoc sibi vellet? ut pultem, inquit, nimiùm ferventem, halitu refrigerem. Tum Satyrus surgens à mensa, quid ego audio, inquit? tune eodem ex ore, pariter calidum & frigidum

frigidum efflas? Valebis. neque enim mihi ratio eſt, cum ejuſmodi homine, commune habere hoſpitium. Quis compos mentis non videt, hunc apologum adulatoribus ſatis aptè accommodari? iſti enim bilingues & mendaces, virum ſtrenuum omni laude dignum, ad ima uſque deprimunt, & hominem omnino ignavum, extollunt ad ſidera. Ecquid turpius unquam dici poteſt, quàm hominem vitiorum mancipium, virtutum exemplar nominari? hominem ignavum, natum conſumere fruges, parentis patriæ nomine cohoneſtari? Deum immortalem, quis ſeipſum adeò ignorat, ut cum artis bellicæ ſit omnino ignarus, æquo animo illos audire queat, qui ſtrenuum, ac fortiſſimum Ducem prædicent, admirentur, ac aliis cunctis præferant? Quonam pacto perpeti poteſt quiſpiam, ſe Achillem vocitari, cùm vilis Therſites, & telluris inutile pondus, ab omnibus paſſim exiſtimetur, & revera exiſtat? Non poſſunt viri graves, ficta, ac ſimulata de ſe dici animadvertentes, non iniquo animo ferre. Proinde Iſocrates Regem ſuum monebat, ut omnes illos evitaret, qui laudant quæcunque fecerit; illis autem obtemperaret, qui non fortunam, ſed perſonam metientes, ejus errata placidè, ac ſine contumelia ante oculos ponunt: quippe, quod illi, dignitati Principis conſulant, iſti autem mendacii præmium expectantes, interim gloriam Principis labefactant. Hinc Regni præcipitia, quia Principes hac noſtrâ tempeſtate, libentiùs aures accommodant blandis adulantium lenociniis, quàm ſanis Philoſophorum conſiliis, quod Demoſthenes orator inſignis, apologo de aſelli umbra ſatis eleganter oſtendit. Plurima, ac propè innumera poſſem afferre exempla, ex quibus facile eſſet conjici,

quàm ſit pernicioſa aulis Principum adulatorum peſtis, qui veluti ſcorpiones, brachiis ad amplexandum extenſis, amorem præ ſe ferunt, ſed caudâ pungunt, & venena effundentes, inficiunt. Unum tantùm, inſigne tamen, in medium proferam, quod vix ſine magna animi indignatione, nec legi, nec audiri poterit. De quodam Briano, ganeone turpiſſimo; ſcribit Sanderus, quod eò impudentiæ corruit, ut Henrico Octavo Angliæ Regi pércunctanti, quàm grave crimen eſſet, habere rem cum matre primùm, deinde cum filia? reſpondere auſus fuerit, tam grave, quàm gallinam cum pullo ſuo comedere. ô vocem non homine, ſed diabolo dignam! Fuit tamen cum riſu ab homine perdito lætanter excepta. En proprium adulatorum munus, ingenio Principum, ac moribus conformari. Quocirca non abs re Echo comparantur, prolatas voces repetenti, quoniam ſi Principes aliquid aſſerunt, annuunt & ipſi; ſi negant illi, renuúnt & ipſi; ajunt, ajo; negant, nego. Sunt etiam umbræ ſimiles, nam illa te ſedente, ſedet; erigitur, te erigente. hoc tamen fit ſolùm, præſente Sole; quod ſi ipſe deficiat, evaneſcit & ipſa. ita prorſus adulatores rident, obſequuntur, applaudunt, dum torcularia vino redundant, & dum horrea frumento abundant; cùm verò intelligunt, te ad inopiam redactum, tunc negligunt, deſerunt, & turpiter explodunt. Si Regia abundat, ad laudes & præconia; ſi laborat inopiâ, ad improperia & contemtum. quibus valde appoſitè poſſet accommodari tetraſtichon illud, quod primò continet laudes, & ſalutem precatur; ſed ſi legitur ordine retrogrado, plurima mala exoptat. En carmina miro artificio elaborata.

Nicol. Sand. de chiſm. Anglico.

Laus

Laus tua, non tua fraus, virtus, non copia rerum
Scandere te fecit hoc decus eximium.

En laudes. invertamus ordinē. & ecce improperia,

Eximium decus hoc fecit te ſcandere rerum
Copia, non virtus, fraus tua, non tua laus.

Iterum

Conditio tua ſit ſtabilis nec tempore parvo
Vivere te faciat hîc Deus omnipotens.

En laudes, en elogia, en bene valere: ſed legamus ordine præpoſtero,

Omnipotens Deus hîc faciat te vivere parvo
Tempore, nec ſtabilis ſit tua conditio.

En mala imprecatio: eleganter dicebat os aureum; Sicut finis oratoris eſt, dictione perſuaſiſſe, & medici, medicinâ curaſſe, ſic adulatoris finis eſt, ſuaviloquio decepiſſe.

O quàm pulchre, qui adulatores locuſtis ſimiles dixere. hujuſmodi enim animalia per vineas diſcurrunt, agros perambulant. ſed quando? verno tantùm tempore, quando eſt odor agri pleni: at tempore brumali, quando folia decidunt, frondes areſcunt, & fructibus agri ſpoliantur, mox & ipſa recedunt. hoc eſt proprium adulatoris ingenium, divitum aures lenociniis mulcere, quando torcularia redundant; at ſi opes deficiunt, ſtatim terga vertere, imò dentibus & morſibus turpiter impetere. ſicut accidit Actæoni, ut Poëtæ fingunt, hic enim à canibus, quos alebat, fuit devoratus; ſic Princeps conſumtis opibus ab adulatoribus derelinquitur; imò ſæpe duris morſibus dilaniatur. Eſt enim quotidiano experimento probatum, quod qui adulatoribus aures accommodant, brevi ad extremam adiguntur pauperiem. Quippe tam frequenter hauriunt, ut omnino exhauriant.

Nec erit abſonum Chamæleonti comparare, hoc Plin. lib. 8, c. 33.
namque

namque animal, ut ſcribit Plinius, omnibus veſtitur coloribus, albo excepto: ita prorſus adulatores, vitia Principum laudantes, omnibus induuntur mendaciorum coloribus, nunquam tamen veritatis candore. Egregiè doctor ille Gallus, adulatorum mores expreſſit, inquiens; Adulator, amicus in obſequio, ſed hoſtis in animo; comtus in verbo, ſed turpis in facto; lætus ad proſpera, fragilis ad adverſa; facilis ad humana, difficilis ad honeſta, & ſemper mendax. O quàm feliciter omnia caderent Principi, ſi adulatoribus ab aula eliminatis, viros admitterent integritate ornatos. ſiquidem ob talium ſocietatem domus regia plurima evitat infortunia. hoc autem liquidò conſtat ex oraculo Geneſis capite octavo; Non delebo, ait Dominus, propter decem juſtos, ſi ibi inventi fuerint, Pentapolim. at vix boni à malis ſeparantur, ſtatim Deus ſævit in impios; nam ſimulatque Loth à Sodomis eductus, flammâ gentem peſſimam devoravit. vix Iſraëlitæ ab Ægyptiis ſeparantur, illico Ægyptii in mari rubro ſubmerſi ſunt. ſimulatque Noë ab impiis ſejunctus, & in arca incluſus, diluvium perdidit omnes. hoc probè novit Themiſtocles Athenienſium dux, volens enim domum venditioni tradere, juſſit præconi ut diceret, Eſt vicina homini bono. tantæ molis eſt bonorum ſocietas. Divus Ambroſius dubitat, quid eſt quod navigantibus Apoſtolis, motus magnus factus eſt in mari? credit Ambroſius hanc tempeſtatem excitatam, quia ibi erat Judas proditor. ex quo colligere poſſimus ingentes calamitates illi domui impendere, in qua impius commoratur. nam ſi ob unius Jonæ inobedientiam, mare ita concitatum eſt, ut navim in extremum naufragii diſcrimen conjecerit, quid expectandum, quan-

do plures omnibus flagitiis contaminati, ad iracundiam provocant cælum? Perinde Rex David in familia instituenda cautionem magnam adhibebat, Oculi meï ad fideles terræ, ut sedeant mecum; ambulans in via immaculata hic mihi ministrabit; non habitabit in medio domûs meæ, qui facit superbiam; qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum. dicunt naturales, super Laurum radium cœli non cadere: vis fulgura & calamitates à domo tua repellere? in ea justum insere, & omnia feliciter ex votis. Psal 56.

Utinam Principes, Sigismundum Imperatorem sibi proponerent imitandum. hic enim hoc genus hominum, Regiis infensum, tanquam Reïpublicæ pestem, cane pejus & angue insectabatur. Hinc memorandum illud & dictum & factum summis laudibus celebratur. Cùm eum quidam adulator, fucatis verbis demulcere tentaret, iratus, colapho percussit, cui dicenti: Cur me cædis? protinus respondit; Et tu, cur me mordes? ô vocem Imperatore dignam! Hisce enim verbis insinuavit Princeps, adulationem esse quendam rabidum morsum, quoniam sub exteriori verborum suavitate, canini latent dentes, ut ait Propheta: Dentes eorum arma & sagittæ, lingua eorum gladius acutus. Psalm. 140. Proinde malebat à viro justo corripi, quàm à simulatore demulceri, Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Quid autem per oleum peccatoris intelligebat? adulationem, nimirum, quæ blanda est, & corda stultorum hominum demulcet.

Notatu tamen dignum est, quod ubi in vulgata lectione legimus; Oleum peccatoris, in Hebræo legitur; Oleum veneni, vel, ut Hieronymus vertit; oleum

oleum amaritudinis. Verùm, quomodo adulatio, quæ quasi blandum oleum corda audientium penetrat, oleum amaritudinis appellatur? optimo quidem jure. Nam comprehendit utrumque adulatio, dulcis est, & amara. dulcis, quia delectat; amara, quia cor decipit, & judicium rationis pervertit.

Turpis adulator semper longè exulet aula,
Ni velis Imperii perdere sceptra tui.
Vincit adulator blando sermone Sirenes,
Aures si claudis, instar Vlyssis eris.

CAPUT XXII.

Amicos spectatæ fideï, in adversa fortuna probatos, non negligat Princeps; sed amore, & beneficiis foveat. Et tutam Regni custodiam inveniet.

SCITE admodum, ac perbelle fidelis amici figuram descripsere antiqui sapientes. Pingebant insignis formæ adolescentem, capite nudatum, hirsutâ veste indutum, in cujus fimbria scriptum erat, Vita & mors. In fronte hiems, & æstas. habebat latus usque ad cor apertum, ubi hæc aurea verba legebantur, Propè & longé. Hæc autem omnia, insignia quædam documenta præmonstrabant. Quid ætas viridis, & rosea, quando flavescunt crines, caro nitescit eburnea, oculorum gemmis, facies rosea decoratur, viget ratio, visus acutior, auditus promtior, incessus rectior, vultus jucundior? quid, inquam, hæc florida ætas adumbrat? quod vera

Petr. Rebuffus lib. de privilegiis.

Ugo de sancto Victore. Canon. Reg.

vera amicitia virescit semper, tempore senescit nullo. Quid villosa vestis? quod fidelis amicus, debet esse paratus ad toleranda quælibet ardua pro amico. detectum caput, indicat amicum nunquam esse negandum. quod egregiè insigni eventu testatus est Mithridates Rex Ponti. hic enim pro uno Leonico amico, à Rhodiis in pugna navali capto, omnes hostes captivos, qui plurimi erant numero, permutavit. tanti faciebat amicitiæ vinculum. latus apertum quid? innuit amicum esse diligendum, non ore tantùm, sed corde, & opere: ut verè possit decantari elogium illud academicum, Idem ambo. Olim apud antiquos in academiis Atheniensium pingi solebat Cupido, inter Mercurium & Herculem, quorum alter pulchri eloquii Deus, alter verò virium & roboris. Quorsum hoc? hoc monimento testabantur, veri amoris munus, non in verbis, sed in factis agere radices. Hinc dilectus hortabatur, Non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere & veritate. Quoniam, ut ait Gregorius, probatio dilectionis, exhibitio est operis. Sicut ignis in nube inclusus quiescere non potest, sed huc illucque agitur, donec cum tonitruo foras erumpat; ita si amoris ignis in corde amici includatur, in opera externa progreditur: amor enim si operari renuit, amor non est, sed instar ignis picti in tabella, qui non calefacit; & instar leonis marmorei, qui neque rugit, neque sævit. Egregius testis Anaxagoras. hic enim cùm jacéret in rerum angustiis, illum Pericles Dux potentissimus, toto cordis affectu monebat, ne se perderet, sed amicis servaret. cui statim ille respondit, Qui lucernâ indiget, oleum instillat. carpens illos, qui nihil prorsus effundunt præter bona verba. Hinc cele-

1 Joan. 2, c. 3.

celebratur Theophrasti philosophi apophthegma. hic enim cùm videret duos incedentes simul, quorum alter divitiis amplissimis abundabat, alter verò pauperiem extremam patiebatur, interrogavit discipulos, quinam essent? respondentibus autem, duos esse amicitiæ vinculis conjunctissimos, statim dixit Philosophus, Quomodo ergo alter illorum dives, alter verò pauper? amicus non est, qui fortunæ particeps non est. quia amicorum omnia sunt communia.

Paul. Man. apopht. lib. 6.

Quapropter optimo jure laudatur Alexander Magnus, dum enim unâ die regalibus indutus vestibus, cum intimo amico suo sederet, qui & ipse erat eodem ornatu, quo Rex, corpore etiam major, ecce Syngambris Darii mater, Persarum Regina, accessit ad Regem, ut ipsum adoraret, sed ex errore Hephestionem Regi assidentem, pro Alexandro salutavit. cùm autem ex nutibus adstantium, intellexisset errorem suum, perturbata, denuo salutavit Alexandrum. Tunc Alexander, Nihil est, ô mater, quod turberis. nam & hic Alexander est, quia amicus est alter ego. hinc originem duxit symbolum illud Pythagoricum, Amicitia, æqualitas. Amicus alter ipse. & Aristoteles dicebat; amicus est anima una in duobus corporibus. hinc fit, ut amicus subveniens amico egenti, non dare videatur, sed reddere, quod debet; si non succurit, quando res, tempusque postulat, videtur retinere, quod alienum est, stante oraculo Pythagorico; Amicorum omnia communia. Amicitia enim est amor mutuus, quare, nisi uterque amet, neuter est amicus, nisi æquivocè, nomine tenus.

Aristót. apud Diog. lib. 5.

In fronte verò hæc duo verba inscripta erant. Hiems, & æstas. quia verus amicus tam in prospe-

ris,

ris, quàm in adversis, leges amicitiæ, vinculo inviolabili conservat. Quid? imò magis in adversis, nam vera fides in rebus adversis maximè spectatur. In prosperis siquidem servare fidem, genus quoddam aucupii est. Hinc Crates Thebanus dicere solebat; Veri amici, in rebus prosperis nunquam adsunt, nisi accersiti: in rebus autem adversi, ultro adsunt, etiam invocati. nihil enim turpius in amicitia, quàm rogari; non enim dari, sed rapi videtur, quod precibus extorquetur. hinc philosophus moralis ajebat; Nil carius emitur, quàm quod precibus comparatur: cui doctrinæ videntur allusisse sorores Lazari; Domine, ecce quem amas, infirmatur, siquidem amico sufficit nuntiare. At nostrâ hac tempestate, multos quidem inveniemus, qui gestant amicitiæ insignia; paucissimos verò, qui veræ amicitiæ fines attingant, adeò ut in contrariis flatibus, & fluctibus, fideliter persistant. Ioann.c. 11.

Tempore felici multi numerantur amici,
Si fortuna perit, nullus amicus erit.

Ad hanc rem facit perbelle Salomonis Regis auctoritas, Est amicus secundùm tempus, non permanebit in tempore tribulationis. at omni tempore diligit, qui amicus est, & frater in angustiis comprobatur. Pulchre Ovidius, Eccl.c.6. Prov. c. 17.

Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.

At plures, dicebat Pompejus, adorant Solem orientem, quàm occidentem. quorum symbolum apud Pythagoram est hirundo, quæ tempore veris in domo nidificat, tempore hyemis recedit. hinc ut statûs sui tenuitatem ostenderet, dicebat; Hirundinem domi non habeo.

Circa cor, erant hæc duo verba litteris aureis

exarata, Propè & longè. hinc deducitur, quod veri amici etiam absentes, tanquam præsentes, se mutuò diligunt. distantia enim loci non tollit amicitiam. corpora quidem, sed non corda, animosque separat. In fimbria mors, & vita. Quid hinc? qui verè diligit, usque ad mortem amat. testem invoco philosophorum principem; Nemo est amans, inquit, qui sempiternè non amat. Accedit Euripides in Troadibus, Non est amicus, quisquis amare desiit. confirmat Livius historicus insignis, dicebat enim; amicitias immortales, mortales verò inimicitias esse debere. huc appositè facit insigne illud academicum, de myrto & oliva mutuis amplexibus innodatis, quod est amicitiæ symbolum; additâ notâ, Nostra vel in tumulo. ita de amico ingenuo scripsit olim Propertius.

Arist. lib. 7 rhetor. c. 20.

Liv. li. 40. hist. Rom.

Propertius li. 2.

Terra prius falsò partu deludet arantes,
Et citiùs magnos Sol agitabit equos,
Quàm possim nostros alio transferre calores,
Hujus ero vivus, mortuus hujus ero.

Sed quid? nonne ipse Salomon Rex sapientissimus, idem ferme scriptum reliquit? Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Quod præclaro testimonio probant, ut innumera omittam exempla, duo illi legis amicitiæ fidissimi custodes, Damon, & Phitias, mutuo amore ita se prosequentes, ut alter pro altero paratus esset mori. Contigit autem, ut alter illorum capite damnatus, custodiretur in carcere, jussu Dionysii tyranni Siciliæ Regis, proditionis suspicione commoti, qui jam diem necis destinaverat. Tunc ille miser, qui morti addictus erat, paucos sibi dies postulat, pro rebus suis componendis. mox alter hoc audito, sponte se ipsum obtulit pro obside in carceribus custodiendum, quò amicus libertate donetur, annuit

Cantic. cap. 8.

Cic. li. 3. offic.

annuit Rex, hac tamen conditione, ut si ille ad diem condictum non rediret ad carcerem, pœnas ipse lueret. libenti animo conditionem accepit. Cùm autem adesset hora morti destinata, & jam obses esset proximus supplicio, unusquisque damnabat sponsorem, temeritatis notâ. at is intrepidus nihil de amici fide dubitans, constanter prædicabat socium procul dubio venturum. ô factum æternâ memoriâ dignum. Eodem propè momento, quo tyrannus supplicium indixerat, ecce qui aberat, advenit, se præsentem exhibuit, ne quidquam detrimenti pateretur amicus. Quod factum considerans tyrannus, admirans eorum fidem, ingenti admiratione commotus, reum impune dimisit, obnixè rogans, ut se quoque in amicitiam tertium adscriberent. & quidem sapienter, quia nihil debet esse Principi optatum magis, quàm multorum amicorum præsidio stipari. Hac fortassis ratione permotus Alexander Magnus Achillem felicem pronunciavit, quod vivens fidum amicum, post fata verò magnum sui nominis, & famæ, nactus esset præconem. Nec est obscurum amicitiæ testimonium, inter Pyladem & Orestem. Nam ignorante Rege, uter eorum esset Orestes, Pylades se Orestem esse dicebat, ut pro illo necaretur. Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse affirmabat. quod pulchre descripsit Ovidius, Ovid. li. 3 de Ponto, eleg. 2.

Ire jubet Pylades charum periturus Orestem,
Hic negat, inque vicem pugnat uterque mori.
Extitit hoc unum, quod non convenerat illis,
Cætera pars concors, & sine bile fuit.

Hæc sunt, ô Princeps, vera Regni præsidia. amici nimirum, spectatæ fideï, quos nec ferro cogere, nec auro parare queas, qui non fortunam, sed per-

personam diligunt. non ut ille, qui Augusto ex victoria adversùs Antonium revertenti, occurrit inter alios congratulantes, corvum habens in manu, qui edoctus voces referebat humanas, hoc modo; Salve victor Cæsar Auguste. jussus deinde ut alium corvum produceret, allatus, protinus insonuit, Salve victor Antoni. iste non ad personam, sed ad fortunam respiciebat, quod turpe, & nefas est. Hinc sapiens quidam interrogatus, quos inter familiares, haberet chariores; illos, respondit; qui magis mihi, quàm meipsum metuunt, nam illi amicum, hi verò se ipsos magis amant. Siquidem plerique sub amicitiæ nomine latitantes, ut Sejanus cum Tiberio, non cum Principibus, sed cum fortuna Principum loquuntur. ita dicebat Galba Pisonem filium alloquens, Ego ac tu simplicissimè inter nos hodie loquimur, cæteri libentiùs cum fortuna nostra, quàm nobiscum. Quippe aula Principum hominibus plena est, veris amicis vacua. Cùm igitur Princeps invenerit amicum fidelem, multis experimentis probatum, sciat se invenisse thesaurum, sine quo Imperium non potest diu consistere, nedum augeri, & propagari.

Tac. li. 4. annal.

Corn. Tac. lib. 1. hist.

Quod optimè noverat Rex Darius, qui aperiens malum granatum, numerosam granorum copiam ostentans, rogatus à primariis Regni, cujusnam reï tantam vellet habere abundantiam? Zopyrorum, respondit. Erat autem Zopyrus vir probitate insignis, & in rebus gerendis versatissimus, quem in multis periculis fidelissimum frequenti experimento probavit. ô magna Principis prudentia. non victorias, non triumphos, non Regna, non thesauros ambibat, sed amicorum copiam, exclamando: Utinam tot haberem Zopyros. Proinde Romanus orator dicere solebat, amici-

amicitiam adeò esse mundo necessariam, ut Solis lumine potiùs, quàm eâ carendum putaret. aurea ejus verba sunt hæc, Solem è mundo tollunt, qui amicitias ab hominibus tollunt. Quid enim totus orbis esset, clarâ hac face orbatus? Quid verò essent homines, hac præclarâ virtute destituti? Verissimum Oratoris oraculum, sed potissimum in Principibus. Firmamentum enim Regni tollunt, qui amicos à Principe tollunt. Siquidem amicus Eccles. c. 6. fidelis, protectio fortis; qui invenit amicum, invenit thesaurum. & denique vera Regni præsidia sunt, amici probatæ fideï, qui nec loco, nec tempore, nec metu, nec morte divelli possunt.

Muneribus cumulare novis non esset amicos
Princeps, & fidos semper amore colat.
Muneribus cumulata fides, fit major, amori
Subditus ingenti pendet amore vices.

Caput XXIII.

In prosperis rebus non tollatur Princeps, & nunquam commovebitur Regnum ejus.

SECUNDIS ventis, sereno cœlo, prospero, ac felici cursu navigans Princeps, cunctis ex voto succedentibus, non proinde debet extolli, cæteros parvifaciendo, mente aliquando revolvens, variam fortunæ mutationem, quæ solùm est constans in sua inconstantia, ut pulchre cecinit Poëta,

Passibus ambiguis fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo certa, tenaxque loco;
Sed modo læta venit, vultûs modo sumit acerbos,
Et tantum constans in levitate sua est.

Quocircà interrogatus Apelles, cur fortunam ſedentem penicillo expreſſiſſet? Quoniam, inquit, ſtare neſcit: lepidè admodum bifariâ verbi ſignificatione pro ſale uſus, ſtare namque dicitur, non ſolùm qui plantis validè nititur, ſed & qui immobili firmitate conſiſtit. Quapropter rectius fortaſſe cum Boëthio inſigni philoſopho dixiſſet: Fortunam ſedentem pingo, quia in ſua volubilitate ſedet, & requieſcit. Hinc veteres pictores, ut inſtabilitatem fortunæ notarent, eam in pila ſedentem pingebant, non deam aliquam, quæ nuſquam eſt, ſignificantes, ſed mutationem conditionis humanæ, & varios rerum eventûs. Nam idem Pompejus qui tot Regna ac nationes vicerat, principatumque in Senatu Romano tamdiu tenuerat, & a rebus geſtis cognomen Magni meruerat, ad ſpadonum proditorumque libidinem, in Ægypto trucidatus eſt, & ejus caput, quod paulò antè terror gentium extiterat, hoſti dono datum. Seneca egregius ille moralis fortunam appellabat vitream, quia quò magis ſplendet, eò faciliùs frangitur, Solis inſtar, qui hyeme plùs ſolito calidior, futuram nobis pluviam prænunciat, ſic nimia felicitas, ruinam. Quod apprime noverat Philippus Macedonum Rex, cui cùm tres eodem tempore læti nuntii afferrentur, Alexandri, nempe, filii nativitas, equorum deinde ſuorum in ſtadio Olympio victoria, poſtremò urbis cujuſdam expugnatio, ſtatim humi proſtratus, oculiſque in cœlum ſublatis, exclamavit, Fortuna moderare lætitiam, ac triſti aliquo nuntio tantam felicitatem tempera, ne poſtea ſimul omnia in caput meum ingruant infortunia. Ita prorſus Theramenes, unus ex triginta tyrannis, hic enim cùm domûs, in qua multi accumbebant, ſolus ruinam evaſiſſet, ac propterea

fortunatus à multis prædicaretur, magnâ voce dixisse fertur: O fortuna, cui me occasioni reservas? sentiebat enim se ab ea non esse servatum, sed ad duriorem casum reservatum, & quidem divinavit. nam paulò pòst misere trucidatus fuit. Sapienter Seneca dicebat, Nunquam ego fortunæ credidi, etiamsi videretur pacem agere, omnia illa quæ in me indulgentissimè conferebat, pecuniam, honores, gloriam, eo loco posui, unde posset ea sine metu & motu meo repetere. Sen. lib. de consol.

Hinc Salomon Principem consulebat his verbis, Ne intuearis vinum quando flavescit, & cùm splenduerit in vitro color ejus, subitò enim mordebit ut coluber, & ut Regulus venena diffundet, & eris tanquam dormiens. Satìs appositè comparat vino felicitatem humanæ gloriæ sapientissimus Rex, quia sicut vinum sine aqua inebriat, & nocet, ita quoque prosperitas sine moderamine. Prov. c. 23.

Julius Solinus scriptor illustris refert quoddam notatu dignum, nostro instituto valde appositum, nimirum, quod canes Ægyptii, magnam licèt sitim patiantur, propter terræ illius ariditatem, non tamen audent ex Nilo bibere, nisi raptim, propter magnam Crocodilorum copiam ibi existentium. decurrit, instar fluvii, humana prosperitas, non tamen fidendum, quoniam latet sub melle venenum.

Ad rem optimè facit Philosophi moralis consilium, Noli huic tranquillitati confidere, momento enim, mare evertitur, & eodem die, ubi luserant navigia, sorbentur. Ubi tranquilla tibi omnia videntur, ibi non desunt nocitura, sed quiescunt. semper futurum aliquid quod te offendat, existima. Sen. li. 2. de ira c. 31.

Sapienter quidem Pierius Valerianus fortunam

Pier. Val. de sac. Ægypt. notis li. 39.

rotulæ insistentem describit, nempe, ut instabilitatis hieroglyphicum insinuaret. Hanc doctrinam sanè auream probè noverat magnus ille Thebanorum Dux Epaminondas. is enim cùm insigni quâdam partâ victoriâ, domum reversus, Senatum deinde vellet cirtiorem reddere, multis undequaque àffluentibus, ut tam nobilem, & tot victoriis insignem ducem viderent, eïque de victoria congratularentur, ipse domo egressus est, vili quadam veste indutus, facie subtristi, & gressu quodam ad tristitiam composito, quam subitam mutationem omnibus demirantibus, & causam ejus sciscitantibus, respondit; Nimium heri mihi placui, fortunæ mutatio metuenda est. quasi illud tragicum recoleret,

Nemo confidat nimiùm secundis,
Nemo desperet meliora lapsis.

Et illud Boëthii oraculum decantaret, Plena est exemplorum vetustas, plena etiam præsens ætas, quot Reges felicitatem calamitate mutarint. Acutum, ac verè salsum parasiti cujusdam dictum non erit absonum proferre, utpote nostro instituto consonum. Hic cùm fessus, ac vehementer fatigatus, deambulando in regia Hispana, adhærens tapeti aulico, qui caminum tegebat, putans locum firmum, retrorsum caderet, magnus illico adstantium risus obortus est: at ille mox surgens, ac subridens, ait, Quid, ô viri, casum meum ridetis? omnibus ferme hoc ipsum contingit, qui palatio incumbunt, & mendaci fortunæ innituntur. Quocirca nullatenus fidendum, ne tibi dicatur, & jure, Confidis baculo arundineo confra-

Isa, c. 6.

cto, cui cùm innixus fueris, perforabit manum tuam.

Huc pulchre facit Diogenis oraculum, nam cùm

cùm Alexander Magnus aliquando illum inviſeret, in dolio ſedentem, & conſiſtens ante faciem ejus, obumbraret, poſt multa colloquia invicem habita, dixit Rex, Cogita, ô Diogenes, quid à me velis petere, nam quidquid optaveris, obtinebis; tunc reſpondit Philoſophus, Vellem quod mihi non auferres, quod dare non potes. quod Imperator intelligens, ad aliam partem ſeceſſit, & nimiâ admiratione plenus, dixit: valde miror, quod ſolus meam non timeas potentiam. cui mox Diogenes; Potentiam tuam non timeo, ô Rex, quia, aut eſt præterita, aut præſens, aut futura; præteritam non timeo, quia jam non eſt; futuram non pertimeſco, quia incerta eſt; præſentem non formido, quia citò tranſitura eſt. O quàm perbelle comparavit ipſemet Alexander univerſum mundi Imperium, pilæ. hæc nam quevento turgida, nunquam quieſcit, ſed alternatim per manus ludentium tranſit; ita prorſus Imperium mundi, in quo nihil firmum, ſed modò in manibus Chaldæorum, mox ex Chaldæis tranſit ad Perſas, à Perſis ad Medos, ſed hic an diu permanſit? non ita quidem. ſed à Medis ad Græcos, à Græcis ad Romanos. Ecce pila, quæ alternatim tranſit, nunquam in eodem ſtatu permanens. Quod pulchre expreſſit Poëta hoc diſticho,

Ludus fortunæ variatur imagine Lunæ,
Creſcit, decreſcit, in eodem ſiſtere neſcit.

Hujus reï teſtis eſt Sejanus, qui ſub Tiberio Auguſto potens, & adinſtar ejus ſtatuis decoratus, tandem unâ epiſtolâ ſubverſus eſt, & caput illud toto orbe ſecundum, laqueo præbuit, & cadaver ſuum, opprobriis, lacerationi, unco, quo die Senatus illum deduxerat, populus in fruſta diviſit, in quem quidquid congeri poterat, dii, hominesque

Sen. de tranquillit. lib. 1.

que contulerant, ex eo nihil ſuperfuit, quod carnifex traheret. Nec abs re fugacem mundi gloriam Roſæ comparavit Academicus, utpote, quæ illâ die, quâ oritur, moritur. Proinde duas Roſas, pro inſigni gerebat, ſiccam unam, viridem alteram, additâ inſcriptione, Una dies aperit, conficit una dies. Et licèt in primo congreſſu videatur tibi ſplendeſcere, non temere credas, quia cùm fortuna beneficiis ſplendet, non ſemper ſplendet, ut te clarum faciat, ſed ut fallaci ſplendore oculos tibi præſtringat, quò demum obcæcatus, in præceps ruas.

Proinde ſanctus Job vitam hominis comparabat militiæ, & quidem ſapienter. Militia eſt vita hominis ſuper terram. Nam ſicut belli tempore, miles nunquam certi ſibi aliquid ſpondere poteſt, nec ſemper in eodem verſatur ſtatu, modò victoriam refert, modò ſtragem ſuorum videt, modò fugat, modò fugit, hodie cædit, cras cadit, adeò ut arma ſemper geſtare neceſſe ſit; ita prorſus in hac vita nihil ſtabile, nihil firmum, ſed omnia mutationi fortunæ obnoxia. Proinde dicitur fortuna, quaſi fortè una, quia vix, aut nunquam permanet eadem. Hoc bene noveras, ô ſuperbiſſime Nero, tu enim multis annis epulabaris inter Principes, & magnates, ſed exiguo temporis ſpatio, ab inimicis in fugam compulſus, ad tantam deveniſti inopiam, ut aquam fœtidam deguſtare fueris coactus. tunc recordatus felicitatis antiquæ, ex imo pectore ignita ſuſpiria trahens, exclamabas, Hæc ſunt decocta Neronis? Hanc rerum humanarum varietatem, & vanitatem contemplans Baruch propheta, exclamabat; Ubi ſunt Principes gentium, qui argentum theſaurizant & aurum, in quo confidunt homines? exterminati ſunt, & alii loco

Iob.c.7.

Baruch. c.3.

loco eorum ſurrexerunt. ô rerum mundanarum varietas! quid dicis ô Princeps? hiſce verbis non moveris? moveat te ſaltem experientia. Hiſtorias veteres & annales evolve, jam inde à rerum primordio monarchias omnes Perſarum, ac Medorum, Græcorum, & Romanorum percurre. tunc dicito, quonam deciderint? Quis magna hæc Imperia mutavit? Quis potentias illas tranſtulit? Quis amplas illas dominationes dejecit? reſpice mutationem. magna illa & potens monarchia Aſſyriorum in Perſidem tranſiit, inde in Græciam, è Græcia ad Romanos commigravit, hodie verò penes Germanos reſidet. O quàm bene noverat varios fortunæ caſûs Marcus Marcellus! is enim captis à ſe Syracuſis, in arce conſtitit, ut opulentiſſimæ illius urbis, quæ ferro & igne vaſtabatur, fortunam ex alto cerneret, qui cùm lugubrem caſum ejus aſpiceret, lachrymas cohibere non potuit; quem ſi quis, facti ignarus, tunc aſpexiſſet, alterius victoriam eſſe credidiſſet, non ipſius, qui tantùm de illius ruina doleret. conſiderabat vir ſapiens omnes homines, præſertim Principes, ejuſdem fortunæ jaculis obnoxios eſſe. An fortaſſe, quod ſcribo figmentum putatis? hiſtorias percurrite, & plurimos invenietis, qui in cœlum uſque elati, mox fortunâ illudente, deſcenderunt in profundum quaſi lapis. ut egregiè Poëta, Val. Max. li. 5. c. 1.

Tolluntur in altum,
Vt lapſu graviore ruant. Claud. li. 1. in Ruffinum.

In primis ante oculos veſtros propono Bajazetum, Regem Turcarum potentiſſimum, verum fortunæ ludibrium. hic cum Tamberlano Tartarorum Rege bellum geſſit; ſed miſer ſuperatus fuit. hunc igitur captum, catenis aureïs ligavit Fulgoſ. li. 9. c. 5.

Tar-

Tartarus, atque in caveam ferream detrusum, per totam Asiam ac Syriam circumduxit, ipsoque, pro scabello utebatur, ut faciliorem in equum pararet ascensum.

Eutrop. lib. 6. Simile quoddam legitur de Valeriano Imperatore, hic orbis Imperium cùm Romæ moderaretur, in Mesopotamiam bellum gerens, à Sapore Persarum Rege superatus, mox etiam captus, & in captivitatem abductus, eò calamitatis redactus fuit, ut stapedam teneret Barbaro equum conscendenti.

Belisarius præstantissimus militiæ dux, cùm jam de Gothis, Vandalis, Persis, Tracibusque triumphasset, atrocis invidentiæ sic invasit morbus, ut impudicorum aulicorum procurante, ac impellente livore, jam senio confectum, de re bellicâ optimè meritum, idem Imperator, cui Imperium auxit, turpiter despexit, insuper & oculos ejus eruit. Unde cæcus & miser factus, ex potentissimo duce, tuguriolum sibi propè viam construi fecit, in quo nummulos ad victum quotidianum quæritans, vitæ reliquum transigeret, dicebatque prætereuntibus, Viator concede obolum Belisario, quem livor, non error cæcavit.

Petr. Crin. de honest. disc. li. 9. c. 6.

Val. Max. lib. 6, c. ult. Quid dicam de Polycrate Samiorum Principe? hic tantâ usus est felicitate, ut nullum unquam mœroris argumentum potuerit experiri, & ità feliciter succedebant omnia ex votis, ut velle, & posse in æquo positum esset. sed audi portentum majus. Cùm ad excitandum sibi dolorem, annulum ingentis pretii conjecisset in mare, eundem postmodum reperit in pisce oblato sibi à piscatore. Sed homini tam felici, plenis semper velis prosperum cursum tenenti, quid accidit? contra Darium bellum ingreditur, mox ab Oronthe Regis præfecto,

præfecto, superatus fuit, & in excelso montis vertice, patibulo affixus, avibus relictus est dilacerandus.

Pyrrhus Rex potentissimus, multis annis expertus est fortunam læto vultu sibi arridentem. pugnavit namque feliciter contra finitimos, quo successu elatus, Tarentinis, Lucanis, Samnitibusque contra Romanos in auxilium venit, & Valerium Levinum Consulem insueto elephantorum terrore superavit, rursusque Romanum exercitum fudit; deinde Rex Siciliæ factus est, cùm insula omnis Carthaginensium bello vexaretur, quibus dejectis, quasi diuturnum Imperium nactus esset, Heleno filio Siciliæ, Alexandro autem Italiæ regnum destinavit, reversusque in Epirum, Macedoniam occupat, Antigono Rege expulso, nec contentus tanto successu, Asiæ regna meditatur, Spartanos aliis bellis intentos, primò aggreditur, sed mulieris virtute repulsus, filium Ptolemæum, & magnam exercitûs partem amisit, inde Argos concessit, ubi dum Antigonum in urbe obsessum expugnare conatur, saxo è muro à muliercula quadam jacto, percussus interiit, caputque ejus Antigono oblatum est. & hunc exitum habuit Pyrrhus, Regum omnium virtute & moribus præstantissimus, verùm utriusque fortunæ ludibrium.

An silentio prætereundus Syracusius ille tyrannus Dionysius? hic tam iniquum fortunæ iratæ vultum expertus est, ut amisso Regno, sceptri loco ferulam in manus sumpserit, ludumque litterarium in Græcia, jam senio confectus, aperire fuerit coactus. Percunctantique quomodo Regis filius, regnum hereditate acceptum, tam citò amiserit, respondit. Pater mihi Regnum suum reliquit,

quit, non fortunam. non enim omnia omnibus æquè feliciter cadunt.

Cyrus & ipſe Perſarum Rex inclytus, ob multos triumphos inſignis, nonne à Thomiri Maſſagetarum Regina victus, ſuperatus, & occiſus?

Xerxes ille potentiſſimus, qui ſubvertit montes, & maria conſtravit, bello in Græcia infeliciter geſto, ſuis factus contemtibilis, per Artabanum præfectum ſuum, nonne miſere fuit interemptus?

Darius itidem Rex Perſarum opulentiſſimus, nonne ludibrium fortunæ fuit? ab Alexandro enim ſuperatus & captus, vehiculo ductus, catenis & compedibus aureïs alligatus, vulneribus confoſſus, miſere tandem mortuus eſt. ô varias fortunæ vices!

Marius, qui ſepties Conſul fuerat, de Jugurtha triumphaverat, Cimbros ſubegerat, Apulejum & Glauciam ſeditioſos interemerat, tandem nonne victus à Sylla, in paludibus miſere delituit. ita ſcribit Ovidius,

Ovid. li. 4. de Ponto.

Ille Jugurthino clarus, Cimbroque triumpho,
Quo victrix toties Conſule Roma fuit,
In Cœno Marius jacuit, cannâque paluſtri,
Pertulit & tanto multa pudenda viro.

Pompejus expugnato Domitio, Jarbâ triumphato, Sertorio in Hiſpania ſublato, piratis ſubactis, Tigrane Rege Armeniæ debellato, demum poſt tot illuſtres victorias, à Cæſare victus in Theſſalia, juſſu Ptolemæi, ad quem extremâ rerum deſperatione confugerat, interfectus eſt.

Innumera propemodum exempla adduci poſſent præſenti inſtituto accommodata, ſed duo tantum inſigniora proponere animus eſt. In primis perga-

pergamus Romam, & videamus potentissimum illum monarcham Julium Cæsarem, quinquaginta victoriis nobilem, tot præliis feliciter peractis insignem, tandem occisus est in Senatu à Cassio & Bruto, viginti tribus plagis confossus. Quid dicis ô Cæsar? ubi sunt verba illa fastu plena, quæ dixisti, dum esses in navi? tunc, referunt historici, adeò dira tempestas ingruit, ut navarchus ipse formidine perculsus, totus expallesceret. ad quem conversus Cæsar, ait, Quid times? Cæsarem defers & fortunam ejus, & times? Quid dicis Cæsar? noli intumescere. Fortuna non seriò, sed joco tecum agit. Sueton. in Cæsare.

In Orientem secedamus, illic videbimus belli fulmen, mundi domitorem, novorum quin etiam mundorum investigatorem Alexandrum Magnum, cui etsi aliquando blandiri videbatur fortuna, citò tamen in alteram partem vultum divertit: nam Alexander post tot victorias, & penè totum Orbem subactum, in medio victoriarum cursu, cùm in viridi tunc ætate floreret, quartum & trigesimum agens annum, per Cassandrum Antipatris filium, diro veneno sublatus est. ô Alexander, Jovis te filium prædixisti, & turpiter occumbis? non ridebat, sed deridebat fortuna.

Sed Judæam, si placet, perlustremus, ecce tyrannum Adonibezec, fortunæ jocum inveniemus. Hic, ut divina narrat historia, septuaginta Reges captivos detinens, instar canum, micis ex mensa decidentibus alebat. Insignis planè victoria. at fortuna inconstans ludit & illudit, quia brevi temporis intervallo, regno deturbatus, eandem fortunæ aleam expertus est. Iud. 10.

Quid de Sedechia Rege, nonne divitiis, & opibus affluebat? nonne in summo rotæ fastigio positus, Lib 4. Reg. c. 20.

tus, fruebatur Regno? ô ſumma rerum felicitas! at non ſeriò, ſed joco agebat fortuna. mox enim captivus in Babyloniam adductus eſt, filii ejus crudeliter jugulati, theſauri direpti, oculi eruti, uxor violata, regnum denique everſum, & in ſervitutem redactum. Ecce, ô munde, quàm evidentia tuæ inconſtantiæ argumenta.

Vis videre, ô mortalis, mundi inſtabilitatem vivis coloribus delineatam? converte oculos ad triumphantem ſupremi Regis ingreſſum. Urbem ingreditur illam inſignem, mox undique acclamatur, Benedictus qui venit in nomine Domini. viæ circumquaque tapetibus veſtiuntur, ramis & floribus pavimenta ornantur, fauſtæ acclamationes perſtrepunt uſque ad ſidera, Vivat, vivat Rex noſter. at vix quinque diebus elapſis, quem antea benedictum acclamaverunt, mutatis vocibus, ad mortem depoſcunt. Quem, ut Regem adoraverunt, mox ut latronem cruci affigunt. Quem cæteris præpoſuerunt, mox poſt Barrabam ponunt, impiè conclamando, Tolle, tolle, crucifige eum. munde fallax, quàm appoſitè tibi convenit adagium illud, Polypo mutabilior. Quod felici carmine expreſſit Ovidius,

Ovid. li. 4. de Ponto.

Omnia ſunt homini, tenui pendentia filo,
Et ſubito caſu, quæ valuêre ruunt.
Divitis audita eſt, cui non opulentia Crœſi?
Iſte tamen vitam captus ab hoſte tulit.
Ille Siracuſia modò formidatus in urbe,
Vix humili duram reppulit arte famem,
Quid fuerat Magno majus? tamen ipſe rogavit,
Submiſſâ fugiens voce, clientis opem.
Cuique viro totus terrarum paruit orbis,
Indigus eſt factus omnibus ille magis.

Hoc apprime perpendebat Octavianus Augu-

ſtus,

ſtus: ejus enim tempore fuit quidam inſignis pictor, qui tabulam manu ſuâ depictam, miro artificio elaboratam, eï obtulit; in qua deſcripti erant omnes illi Principes, qui celebres in vita, nomen ſuum immortalitati commendaverant. inter hos, in loco eminentiori erat Octavianus, tanquam eorum Princeps; in tabulæ vero inferiori parte, erant omnes tyranni, immanitate notati, quorum primus erat Phalaris Rex Siciliæ. Cùm autem Auguſtus oculos in tabulam conjeciſſet, picturam miris laudibus approbavit, intentionem tamen, ſeu inventionem damnavit. duo enim in ea reprehendit; alterum, quòd Phalaris, tanquam tyrannorum Princeps collocaretur, cùm ſapientes viros amore, & honore proſecutus fuiſſet; alterum, quod ipſum Octavianum adhuc viventem, Principem conſtituerit mortuorum, qui ob res præclarè geſtas eam memoriam reliquiſſent, de qua nulla ætas conticeſceret. Siquidem durante vitâ nullus erat homo, licèt in excelſo dignitatis gradu conſtitutus, qui non poſſet, & à ſublimi mundi gloria, & ab inſigni virtute præcipitari. Quod quidem Solonis oraculo comprobatur.

Cùm enim Crœſus Lydorum Rex Soloni divitiarum ſuarum copiam oſtentaret, interrogaretque, an quempiam vidiſſet ipſo beatiorem? reſpondit ſapiens, Ego quidem confiteor, Crœſum Regem opibus, & Imperio florentem; at beatum non audeo appellare, priuſquam hanc vitam feliciter abſolverit. multa namque cadunt inter calicem, ſupremaque labia, ait vetus adagium. Quo reſponſo audito, Solonem tanquam ſtultum hominem, qui præſentem felicitatem parvifaceret, à ſe dimiſit. mox expeditione contra Cyrum Perſarum Regem ſuſceptâ, captus, Regnoque exutus, rogo-

Herod. lib. 1. Laërt. li. 12 c. 1. Val. Max. lib. 7. c. 1.

rogoque, ut cremaretur impoſitus, clamare cœpit, O Solon, Solon. Cyrus admiratus ignotum vocabulum, poſtquam cauſam, remque omnem didicit, Crœſum ab incendio liberavit, & apud ſe toto vitæ tempore honorificè habuit, humanarum rerum inconſtantiam contemplatus.

Zon. tom. 3 annal. Zonaras in ſuis annalibus ſub imperio Baſilii Macedonis, refert Soldanum potentiſſimum à Ludovico quodam Galliarum Rege captum. is cùm circa Italiam captivus duceretur, toto biennio nunquam ridere viſus eſt, ita ut Rex miratus, promitteret, ſe eï qui barbarum riſiſſe nuntiaret, præmia daturum; ſemel tandem riſit. mox nuntiatur Regi, tunc accerſito Soldano, risûs cauſam quæſivit, cui ille audacter reſpondit, Vidi, ô Rex, rotas currûs, quo tu veheris, quarum cùm altera pars terræ incumberet, altera ſurſum tollebatur, mox ea, quæ ſublimis fuerat, denuo depreſſa; iterum quæ humilis, in altum elata eſt, unde res humanas, eodem modo mutari conjiciens, riſi, poſſe fieri cogitans, ut ſicut de ſublimi ſum humi depreſſus, ita ex humili loco, in altum elatum, ſublimem fore. Tunc Rex in curru victoriæ ſedens, de ſuo quoque ſtatu cogitans, Soldanum ſapientem judicavit, & deinceps cum illo honorificè ſe habuit, variam fortunæ varietatem conſiderans. Sicque inconſtantiâ mundanarum rerum perſpectâ, poſtmodum illi, & ſuſpecta & deſpecta eſſe cœpit.

Plut. in apopht. Optimè noverat varias rerum mutationes Agathocles Siciliæ Rex, figuli filius, proinde ne quâ forſitan inanis gloriæ titillatione ob regnum adeptum extra mentis ſtatum abriperetur, & ut prioris vitæ memor foret, vaſa lutea inter aurea & argentea in menſam ſemper voluit inferri.

Joſe-

Josephus Patriarcha, licèt dominaretur in tota terra Ægypti, & primus foret in aula Pharaonis Regis, nunquam tamen suæ prioris conditionis oblitus est, quam ut magis ostenderet, fratribus præcepit, ut palàm profiterentur, & coràm etiam Pharaone dicerent: Viri pastores sumus. Hinc appositè Spiritus Sanctus loquens de Rege, usus est his duobus terminis, homini regi. Simile est regnum cœlorum homini Regi. ut doceret Regem debere in memoriam revocare, se esse hominem. proinde in publicis triumphis, præconis voce ad aures Imperatoris acclamabatur antiquitus, Memento te esse hominem. Huc facit egregiè insigne sceptrum, regiæ dignitatis signum, appositâ hac brevi notulâ, Olim arbos. innuens hominem non debere efferri, quia ad summos honores evectus, sed mente recolere, quidnam olim fuerit, pulvis ex pulvere.

Ita prorsus Lechas secundus Poloniæ Rex, hic enim cùm ab aratro ad Regnum vocatus esset, vestimenta rustica, quibus in agro uti consueverat, in eminentissimo palatii loco voluit suspendi, ut vestium assiduus intuitus, originis suæ obscuritatem eï semper in memoriam revocaret, quò superbiæ tumore elatus non insolesceret. ecce quàm perbelle novit hic Princeps fugacem mundi gloriam, quam Lucas divino penicillo descripsit, dum momentaneam appellavit. Volens enim mundi instabilem vanitatem ante oculos mortalium proponere, dixit: Ostendit eï omnia regna mundi, sed in momento. Ecce, ait Ambrosius, rerum humanarum non diuturnitas, sed vana fugacitas, quæ vix apparet, quod jam transiit. Ecce, ait Gregorius, momentaneum, quòd delectat. Ecce vester mundus, ait Cyprianus, qui arridet, ut sæviat, Luc.c.4.

 blan-

blanditur, ut fallat; extollit, ut deprimat; allicit, ut occidat. Caduca, & fragilia nimirum ſunt hæc omnia, quæ nullo in loco, nullo in tempore, nulla in perſona, ſtabilibus innixa radicibus conſiſtunt.

Cùm itaque rota fortunæ adeò ſit volubilis, ut diu nequeat conſiſtere, idcirco Princeps prudentiæ clypeo innixus, non debet alios parviſacere, ſed moderando cæcam regnandi libidinem, nihil negligere, neminem non timere, recolens frequenter adagium illud, Etiam capillus unus habet umbram ſuam. Quod pulchre exprimitur hoc inſigni, nimirum remoræ gubernaculo navis adhærentis, appoſitâ nota academicâ, Sic parvis magna cedunt. remora enim parvus admodum piſciculus vix bipedalis, gubernaculo navis adhærens, velificantem navem remoratur. quis crederet? Elephantes licèt proſternant acies, & armatos hoſtes proterant, minimo tamen ſuis ſtridore territi, ſolent terga hoſti dare. Quid, quæſo, vilius culice? at parvus culex potuit aliquando leoni non minimum faceſſere negotii, Quid gallus albus, ſi leonis robori comparemus? at leonem rugientem non ſolùm comprimit, ſed etiam territat, atque in fugam ſuo conjicit buccinatu. Quid? nonne legimus, eos qui grandes, & potentes viros proſtrarunt, ab homunculis interdum fuiſſe ſuperatos?

Quid magis eſt ſaxo durum? quid mollius undâ
Dura tamen molli ſaxa cavantur aquâ.

O quàm pulchre faciunt huic inſtituto verba quædam aurea multo ſale aſperſa, quæ olim dixerunt Scytharum legati Alexandro Regi, qui nimiâ imperandi libidine captus, nullis finibus contentus erat, Si dii habitum corporis tui, animi aviditati, parem eſſe voluiſſent, orbis te non caperet, alterâ

terâ manu orientem, alterâ occidentem contingeres, & hoc aſſecutus, ſcire velles, ubi tanti numinis fulgor conderetur. ab Europa peti Aſiam, ex Aſia tranſis in Europam. deinde ſi omne genus hominum ſuperaveris, cum ſilvis, & nubibus, cum feris, ac beſtiis geſturus es bellum. Sed quid? an ignoras arbores magnas diu creſcere, unâ tamen horâ extirpari? Leo quoque aliquando minimarum avium pabulum fuit. Ferrum rubigo conſumit, & nihil tam firmum eſt, cui periculum non ſit, etiam ab invalido. Proinde fortunam tuam preſſis manibus tene, lubrica eſt, nec invita teneri poteſt. impone felicitati tuæ frenos, faciliùs illam reges. egregium planè oraculum à barbaro ore prolatum, ſed non barbarè. Q.Curt. lib. 7.

Inſigni huic documento ſubſcribit Archidamus Ageſilaï filius, is enim cùm à Philippo Macedonum Rege, poſt cladem ab eo acceptam, litteras aculeatas minarum & terroris plenas accepiſſet, audacter reſpondit, Si tu (ô Rex) metieris umbram tuam, illa nihilo major erit, quàm erat ante victoriam. Salsè quidem. Quoniam non eſt ſapientis viri in rebus ſecundis animo intumeſcere, ſed fortunæ volubilitatem, & humanarum rerum inconſtantiam præ oculis ſemper habere. cùm veriſſimum ſit illud oraculum longo uſu comprobatum, Plutarc. in Laconicis.

Si fortuna volet fies de Rhetore Conſul,
Si volet hæc eadem fies de Conſule Rhetor.
Proſpera cuncta tibi? noli confidere Princeps,
Lubrica fortuna eſt, vitrea, vana, levis.

CAPUT XXIV.

Rebus in adversis non frangatur animus Principis, & metuent eum omnes gentes.

REGIÆ fortitudinis præcipuum munus est, secundis rebus non extolli, adversis non deprimi, nullo metu frangi, nec se alium, in alia fortuna præbere, ut de ipso pleno jure possit decantari,

Etiamsi fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Quod quidem facilè assequetur Princeps, si clypeo prudentiæ munitus existat. Vir enim prudens, ita firmat virtute suâ volubilem fortunæ rotam, ut minimè commoveatur, nec ob ejus motum, nec ob ejus metum, sed instar cubi, impelli quidem potest, at non prosterni, quasi inclamet, Quò quò vertas. Cubus quippe, in quamcunque partem incubuerit, immotam stabilitatem habet, semperque sui similis est. Porrò quantò magis fortuna conatur illum dejicere, tantò magis animi fortitudine resistit, quasi pila vento distenta, fluctibus huc & illuc jactatur, non tamen submergitur, imò super undas exultando, per prosopopœiam inclamat, Inanes minæ. oppugnari quidem potest vir fortis, non expugnari. Verè opus gloriosum, in regno fortunæ, vicisse fortunam; at fortunæ telis frangi, non ingenui, & nobilis, sed vilis, & effœminati animi est. Quippe, non est mirum, in tranquillitate non concuti, mirum est ibi extolli aliquem, ubi omnes deprimuntur; ibi stare, ubi omnes jacent. sapienti viro nihil mali potest accidere,

Sen. ad Lucilium epist. 73.

re,

re, ſtat rectus ſub quolibet pondere, & nulla res illum minorem facit. Huic ſententiæ egregiè ſubſcribit Ambroſius. Sapiens vir, ait, non metu frangitur, non poteſtate mutatur, non extollitur proſperis, triſtibus non mergitur. ſiquidem vir fortis nunquam in alia fortuna eſt alius, ſed ſemper idem. Quod Philoſophi teſtimonio facili negotio comprobatur. inquit enim, Magnanimus neque fortunâ bonâ extollitur, neque malâ deprimitur, quia de nullo infortunio triſtatur, in tantùm ut deviet à via rationis. ac ſi dixiſſet, Vir prudens neque proſpero rerum flatu trahitur, neque earum ventis reflantibus, retrahitur: ſed eundem ſemper agit curſum, & licèt à diverſa, & adverſa fortuna agitetur, ipſe tamen nec diverſus, nec alius, ſed ſemper idem exiſtens, eundem animum, mentemque eandem, in diverſo & tempore, & ſtatu gerit, quaſi ſtella in orbe fixa, quæ licèt orbis in gyrum agat, ipſa tamen non movetur, notâ academicâ inclamante, Immobile in motu. Huc appoſitè facit, quod Plinius refert mirabile dictu de lapide quodam, quem Abeſton vocant Græci. hic cùm ſemel ad ignem applicatus flammam conceperit, nunquam extinguitur, quamvis maximâ aquarum vi perfundatur. Pulchre Poëta,

Ambr. in epiſt. ad Simplicianum.

Ariſt. lib. 4. ethic.

Arcadiæ tellus lapidem producit Abeſton.
Ferreus huic color eſt, naturæ mira poteſtas:
Nam ſemel accenſus, conceptos detinet ignes,
Extinguique nequit, perlucens perpete flammâ.

De Lauro ſcribit Geminianus, quod & brumali, & æſtivo tempore nativam retinet viriditatem. Ecce vir fortis in diverſa fortuna ſemper idem, Adamanti ſimilis, qui nec ferro infringi, nec igne abſumi poteſt, animi ſemper invicti ſigna oſten-

Gemin. lib. 3 de vegetab. c. 61.

oſtendens. ita Leonidas Perſæ cuidam minitanti, quod ipſi Lacedæmonii poſtero die ex ſagittarum multitudine Solem non eſſent viſuri, audacter reſpondit, In umbra igitur commodiùs pugnabimus. non minorem animi fortitudinem oſtendit Pedaretus, ſigna cum hoſte collaturus; cuidam enim dicenti, magnum eſſe hoſtium numerum, tantò, inquit, gloriæ plus referemus, quantò plures interficiemus. Hinc Poëtæ fingunt Æolum imperare ventis. ſed quorſum? nimirum, ut oſtendant Principem in tractando imperii clavo, nullis turbationum tempeſtatibus ſuccumbere, ſed ſtrenuè, ac fortiter imperare. qui enim prudentiæ innititur, non ſolùm in adverſa tempeſtate novit navigare, ſed etiam enavigare. Quippe, quod vir prudens novit temporibus obtemperare, & honeſtè cedit, qui tempori cedit, teſtis Antæus; qui quò magis ad terram uſque ab Hercule deprimebatur, eò attolebatur eminentiùs. en typus viri fortis, prudentiæ innixi, qui novit ex depreſſione attolli, ex incommodis commoda capere, & ex malis bona elicere. ſiquidem fortitudo expers prudentiæ, fortitudinis nomen amittit, induit temeritatis. Præclara viri fortis teſtimonio comprobatur. Quid eſt enim, quod Theſeus è labyrintho Dædalico, in quem ſemel detruſo, nullus unquam dabatur regreſſus, ſed accepto ab Ariadne fili glomere, impunè evaſit? novit qui ſapiens eſt, non ſolùm in pericula ſe immergere, ſed etiam è periculis emergere. Jacent ergo omnes in imperii cuſtodia vires, niſi adſit ſapientis viri prudentia, quæ ſola omnibus occurrit incommodis.

Quocirca Echinum, ſapientis ſymbolum conſtituerunt antiqui, hac ducti ratione, Quoniam hoc animal, quaſi temporum obſervans momenta, duo latibu-

latibuli extruit orificia, unum Boreæ, alterum Austro expositum. Boreâ igitur spirante, eï, quod est expositum occludit, reserat alterum, & è contrario, Austro ingruente, pandit Boreale, altero clauso.

Quid ex hoc naturæ documento? hoc nimirum, virum sapientem non frangi debere, sed tempori serviens, forti prudentiâ tolerare debet quælibet adversa, Academicum illud decantando, Flectimur, non frangimur undis. Solet enim prævidere fortunæ conatûs, multò antè quàm occurrant, proinde non animo cadit, sed strenuè sustinet omnia: quia jacula prævisa, ait Gregorius, minùs feriunt. quia facilè, ait Seneca, adversam fortunam sustinere potest, qui semper expectat. quia præmeditatio futurorum malorum, ait Cicero, lenit eorum adventum, quæ venientia longè antè videris. videntur enim omnia repentina graviora. Hoc sanè aureum regnandi institutum, experimento teste, plurimi docuere sapientes. Cib. lib. 1 Tusc. q.

De Socrate sapientissimo viro, nonne scribit Seneca, quod ita constans in utraque fortuna fuit, ut nunquam visus fuerit in vultu mutatus? verba Philosophi sunt hæc, Non hilariorem quisquam, non tristiorem Socratem vidit. æqualis semper fuit, in tanta inæqualitate fortunæ. Sen. epist. 105.

Pericles Atheniensium dux, intra quotuor dies duobus filiis orbatus, non ingemuit, sed nec priorem frontis habitum mutavit.

Xenophon, filii morte nuntiata, sacrificium, cui tunc intererat, non omisit, coronam tantùm, quam capite gestabat, deposuit. mox interrogans diligentiùs, atque audiens, quod strenuè pugnans cecidisset, coronam ipsam capiti reposuit.

Quid de Anaxagora? hic mortem filii nuntianti, re-

ti respondit. Nihil novum, aut inexpectatum audio. ego enim cùm sim mortalis, sciebam me genuisse mortalem.

Demetrius Phaleræus dux Atheniensium egregius, in diversis & adversis fortunæ eventibus, nunquam diversus, & alius, sed semper idem fuit. quod ex hoc præcipuè conjici potest. ob præclarissima gesta, trecentæ eï statuæ ab Atheniensibus erectæ fuerunt, at post Cassandri obitum, qui eum Atheniensibus præfecerat, æmulorum invidiâ in Ægyptum fugere fuit compulsus. ibi autem cùm accepisset illas omnes statuas disjectas esse, & in matulas per ignominiam conflatas, subridens, ait, Statuas quidem evertere potuerunt invidi, at præclara gesta, quorum gratiâ, illas erexerunt, nullo unquam tempore abolere poterunt. Hinc Sapiens dicebat: Melior est vir patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. Verè fortis animus est, quem infortunia non dejiciunt, talis fortitudo fuit in Philippo Secundo Hispaniarum, atque Indiarum Rege, cujus contra Britannos classem maximam, cùm Oceani rabies ita devorasset, ut vix nuntius ad regias aures elaberetur. eo Rex audito, mox ait, Classem ego contra homines, non contra ventos, & elementa conflaram. Fortis animus, qui mortem quasi per ludum suscipit. talis fuit in Anaxarcho philosopho, qui jussu Anacreontis tyranni positus in concavo saxo, ut tunderetur, per jocum dixit; Tunde, tunde, ô tyranne, vas Anaxarchi tundis, non Anaxarchum. Fortis animus, qui exilio non movetur: talis fuit in Agrippino Romano, cui ad mensam accedenti, cùm repentinus satelles, à Nerone Cæsare missus, sine mora exilium ad urbem Ariciam denuntiasset. Ergo, inquit, Ariciæ cœnabimus.

Prov. c. 16.

Fortis

Fortis animus, qui si injuriis fortè petatur, respondet, Non memini me læsum. sic dicebat Cato. Fortis animus, qui cohibet iram. talis fuit in Philippo Alexandri patre, cùm enim urgerent Macedones, Sume pœnas, ô Philippe, de intoleranda Græcorum ingratitudine, qui tantis abs te beneficiis ornati, de te tam turpiter obloquuntur. tunc Rex vir sapiens, sic respondit; Non bene suadetis amici, qui bene accepti mala rependunt, quantò pejora mala provocati reponent? magnanimi Principis oraculum. non enim abjecti, sed strenui est perferre injurias, nam quemadmodum, ait Plutarchus, stomachi arguit imbecillitatem cibos non continere, ita infirmo atque infimo se prodit animo, qui ne verbum quidem sustinere potest.

Nec silentio prætereundum egregiæ fortitudinis exemplum, quod sancta Melania cunctis mortalibus reliquit imitandum. nam calente adhuc mariti corpusculo, & nec dum humato, ecce nuntius refert duos filios simul occubuisse. Quis illam tunc non putaret more materno, sparsis crinibus, veste conscissâ, lacerum pectus invadere, gemitibus ad cœlum usque elatis? mirum dictu! Lachrymæ gutta non fluxit, immobilis stetit, & virili pectore firma, ad pedes advoluta Christi, quasi ipsum teneret, dixit, Expeditiùs tibi servitura sum Domine, quia tanto onere me liberasti.

Sed quid dicemus de Imperatore Mauritio præstantissimo viro? hic cùm à Deo postulasset, ut de illo in præsenti vita vindictam sumeret, mox divinitus revelatum est eï, quod peccatorum suorum vindicta servo cuidam suo, qui appellabatur Phocas, commissa est. Qui Phocas cùm contra dominum suum conspiraret, regnumque tyrannicè occuparet. Mauritium tandem cum uxore, Niceph. lib. 18 hist. ecclef. cap. 40.

&

& octo filiis interfecit. At devotus Imperator cum intelligeret hoc à Deo fuisse permissum, adeò patienter, & strenuè, uxoris, & filiorum necem pertulit, ut humi prostratus, nihil aliud proferret, quàm illa Davidis verba, Justus es Domine, & rectum judicium tuum. O regiæ fortitudinis exemplum tanto Principe dignum! Ecce (ô Principes) egregia historiarum monimenta vobis proposui, ut hinc discatis in Regnis administrandis, non adversis frangi, sed (palmæ victricis adinstar) ad sidera elevari, audacter & strenuè inclamando, Tu ne cede malis, sed contrà audentior ito.

Rebus in adversis regalia corda probantur,
Quæ concussa gravi turbine firma manent.
Magnanimi proprium, sævis non frangier undis,
Et sapientis opus, cedere temporibus.

Caput XXV.

In sublevandis pauperibus sit pius Princeps, & multiplicabitur substantia ejus.

Quod de sapientia omnium virtutum parente, dixit olim Salomon Rex sapientissimus, hoc idem liceat
Sap c.7, Principi cuilibet, de regia in pauperes largitate proferre. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Ecquod nam bonum potest à Principe desiderari, quod ab eleemosyna non profluat abundè? Quid, quæso, habes in votis? thesauros tuos nec fraude, nec vi, in tuto collocare. Frange esurienti panem tuum. Siquidem panem, quem ponis in mensa pauperis, non perdis, sed deponis; non amittis, sed com-

committis perpetuò servandum. Hoc probè noverat Sapiens, idcirco consulebat potenti; Mitte panem tuum super transeuntes aquas, & post multa tempora invenies illum. Hinc Beatus Laurentius tyranno dicebat; Facultates Ecclesiæ, quas requiris, in cœlestes thesauros manûs pauperum deportaverunt. Eccl.c. 11.

Hoc idem sentiebat Martinus, singulari in pauperes benignitate insignis, cùm enim sub signis, gregarius adhuc miles ageret, & mendicus quidam nudus, eleemosynam ab eo postularet, argentum autem & aurum tunc ei non esset ad manum, arreptam ex humeris chlamidem, dissecuit mediam, sibique partem servans, mendico alteram, magnâ liberalitate donavit. Quis tale facinus audivit unquam? ô benignitatem incomparabilem! dixit olim Poeta, Fulgos. li.4.c.8.

Nulla fides, pietasque viris, qui castra sequuntur,

At contrarium re ipsâ ostendit Martinus egregius miles. Quippe, qui castra adhuc sequens, clarissimum suæ pietatis argumentum dedit. Onuphrius scriptor insignis, de Alexandro Quinto Pontifice refert, quod ita in omnes, sed præcipuè in pauperes munificus fuit, ut prorsus nihil sibi reliquerit, Quare per jocum interdum dicere solebat, se divitem Episcopum fuisse, pauperem Cardinalem, mendicum Papam, ob profusas & ingentes largitiones. Onuphr. de viris Pontif.

Carolus Borromæus nostris temporibus inter Sanctos relatus, nonne vendidit Principatum, ut pauperibus subveniret? quem postea perpetuo duraturum invenit in cœlis, in manu Deï depositum. Noverat quippe vir sanctus, Principem non esse dominum absolutum, sed dispensatorem bonorum, quæ à Deo accepit. proinde non dissipanda Fulgos. li.4.c.8.

pro

pro libito, sed prudenter dispensanda: nam quod pauperibus erogatur, non dissipatur, sed deponitur diu servandum, quod carmine satis eleganti expressit Martialis,

Martial. lib.5.

Callidus effracta fur nummos auferet arca,
Prosternet patrios impia flamma lares.
Debitor usuram pariter, sortemque negabit,
Non reddet sterilis semina jacta seges.
Dispensatorem fallax spoliabit amica.
Mercibus extructas obruet unda rates.
Extra fortunam est, quidquid donatur egenis,
Quas dederis, solas semper habebis opes.

Hinc Marcus Antonius omnibus divitiis distributis, frequenter dictitare solebat, Hoc solum habui, quod dedi. Huc facit apposite quod olim accidit Romæ. Cùm enim sepulchrum quoddam aperiretur, inventus est in eo lapis, in quo verba hæc insculpta erant, Expendi. donavi. servavi. habui. habeo. perdidi. Convenerunt eruditiores viri, qui hoc modo interpretati sunt, Quod expendi, habui. quod donavi, habeo. quod servavi, perdidi. quasi mortuus loqueretur dicens, Solum bonum, quod feci, illud habeo in manu Deï depositum. verum est enim sacrum illud Joannis oraculum, Opera illorum sequuntur illos. Hoc probè noverat optimus Princeps Amedæus, ut scribit Volaterranus. proinde facultates suas apud pauperes deposuit, quas deinde copiosè recepit. historici verba hæc sunt, Amedæus Dux Sabaudiæ, cujus erat avus ille Amedæus, qui in Concilio Basiliensi Pontifex factus est, rogatus quondam à quibusdam Oratoribus, si quos haberet canes, ostenderet. annuit Princeps, ut posterâ die redirent. cùm verò adessent, Amedæus in porticu regia, ingentem à latere ædium mendicorum multitudinem

Raphaël Volat. li. 3. geographiæ de Gallia Narbonensi.

eïs

eïs oſtendit, unà diſcumbentium. Hi ſunt, inquit, canes meï, quos alo quotidie, quibus cœleſtem gloriam me ſpero venaturum. quaſi alter Abrahamus, qui in ipſo fervore dieï, tanquam venandi, aucupandique gratiâ ſtabat. Hunc itaque ducem imitare (ô Princeps) tunc omnia feliciter cadent, & præ lætitia geſtiens, exclamabis; Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Adhuc ſitis? Ecquid velles? bonorum multiplicationem? audi divinum verbum cœlitus emiſſum, Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitiis frugum tuarum da pauperibus, & implebuntur frumento horrea tua, & vino torcularia redundabunt. & bene dicit de primitiis, quia Deo meliora ſunt offerenda. hinc patet ſolutio illius quæſiti, cur Dominus reſpexit ad Abel, & ad munera ejus, ad Cain autem non reſpexit? quia, ut ſcribit Cyrillus, Abel obtulit quæ inter gregem præſtantiora erant; obtulit enim ex primogenitis ovium; at Cainus deteriora Deo maximo offerre non erubuit, & meliora ſibi ſervavit. Reſpexit autem primo ad Abel, deinde ad munera, ad inſinuandum, quod externæ oblationes non ſunt Deo gratæ ſecundùm ſeipſas, ſed ratione offerentium placent, aut diſplicent. Verùm cùm de externis loquor oblationibus, non eſt ſermo de Auguſtiſſimo ſacrificio legis Euangelicæ, quo Chriſtus offertur. hoc enim Deo acceptum eſt, licèt à ſacrificante indigno offeratur Domino. Sed quo ſigno cognoſcitur ſacrificium Abelis magis acceptùm? per ignem de cœlo miſſum, qui conſumſit ſacrificium Abelis; Caini autem non conſumſit. ita refert Hieronymus lib. de traditionibus Hebraïcis in Geneſin. hoc exemplo diſcant Principes meliora offerre Deo, & centuplum accipient etiam in hac

Prov. c. 3.

Gen. 4.

Cyrill. li. 2 in Gen.

in hac vita. verum eſt enim illud oraculum, Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperi. hæc ſponſio Deï eſt, qui mentiri non poteſt. Fidelis eſt Deus in omnibus verbis ſuis. ſpopondit? datam fidem ſervabit. licèt enim quidquid Deo damus, ab ipſo receperimus, damus tamen ut noſtrum, cujus ipſe nos dominos fecit. Siquidem, ut ait Sotus, poſtquam Rex dono dedit oppidum civi, poteſt poſtmodum civis, ſi aliquid debeat Regi, inde ſolvere. Veriſſimum eſt, non inficior, quod quidquid boni habemus, à Deo habemus, ſed immenſa Principis benignitas, dum creavit hominem ad ſuam imaginem, ratione & libero arbitrio dotavit, qui eſſet dominus ſuarum actionum, ac ſubinde ſuarum rerum. Nec valet argumentum, Servus non poteſt pro aliquo debito ſatisfacere, quia totum quod habet, domini eſt, non valet: quoniam licèt homo ſit ſervus Deï, non tamen eo modo, quo ſervus emtitius; nam hujuſmodi ſervus, non eſt ſui juris, nec liberum habet ſuarum rerum dominium, ſed omnia ſunt domini: at homo, Deï clementiâ, liberâ facultate decoratur, quâ poſſit dona data Deo donare, & ab ipſo longè majora recipere cumulatiore menſurâ. Quod multorum exemplorum auctoritate, haud erit difficile comprobare. mulier quædam Sareptæ incola, ut Regum narrat hiſtoria, hac virtute inſignita, Heliæ prophetæ ſemel eleemoſynam impertivit. At quid hinc? nonne multiplicibus, variiſque beneficiis remunerata fuit? illa ſiquidem audire meruit, Hæc autem dicit Dominus Deus Iſraël, hydria farinæ non deficiet, nec lecythus oleï minuetur, uſque ad diem, in qua Dominus daturus eſt pluviam ſuper faciem terræ. nam qui facultatem tribuit pauperi, ipſe eſt, ait Chryſoſtomus, qui beneficio fruitur, cen-

Prov. c. 19.

Sotus 4 ſenten. diſt. 19. q. 1. a. 2.

D. Th. 4 ſent. diſt. 15. a. 2.

3 Reg. c. 17.

centupla nempe fœneratione recipiens. Sicut enim qui ſeminat, dum jacit granum, non perditum credit, ſed multiplicandum expectat in meſſe; ita qui eleemoſynam ſeminat, non amittit panem ſuum, ſed multiplicat, etiam in hac vita. Huc facit opportunè, quod legitur in ſpeculo exemplorum. Abbas quidam hoſpitalis erat, & circa pauperes pius, quantóque ampliùs opera charitatis exhibuit, tantò illi, ac domui ejus Dominus benedixit. Poſt ejus mortem ſucceſſor ejus avaritiâ ductus, hoſpitalitatem excluſit, conſuetaque erga pauperes ſubſidia ſubtraxit. charitate igitur excluſâ, proficere non potuit monaſterii ſubſtantia, imò brevi temporis intervallo ad tantam inopiam devenit, ut vix haberent Monachi quod manducarent: die verò quâdam vir quidam venerandæ ætatis venit ad oſtiarium, quæſivitque hoſpitium, quem quidem ille clàm collegit, ac hoſpitalitatis officium illi impendit, hoc etiam adjiciens, Nulla te capiat admiratio bone vir, quod tam negligenter & parcè tibi procuro, quandoquidem magna rerum penuria in cauſa eſt: aliquando talem vidi monaſterii ſtatum, ut ſi adveniſſet Epiſcopus, cum maxima charitate & rerum omnium copia fuiſſet receptus. tunc reſpondit ille ſenex dicens; Duo fratres expulſi ſunt de hoc monaſterio; niſi illi reducantur, nunquam bonus monaſterii ſtatus erit. horum fratrum unus vocatur, Date, alter verò, Dabitur, ſicque ſtatim ab oculis ejus receſſit. Oſtiarius autem Abbati, fratribuſque audita recitavit. reſumta eſt itaque hoſpitalitas, & cœpit monaſterium, ut priùs refloreſcere, benedicente illis Domino. Chryſ. hom. 27 in Gen.

Nec eſt valde diſſimile quod ſcribit Georgius Cedrenus, exemplum verè memorandum. Cùm Georg. Ced. in compendio hiſt.

quidam Episcopus, ait, prædicaret inter Sarracenos, quendam eorum convertit,& baptizavit; postea autem cùm suaderet eï, ut faceret opera misericordiæ,dicente Domino in Euangelio; Centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. ille mox venditis omnibus dedit pauperibus,& obdormivit in Domino. Cùm autem filii ejus traherent Episcopum ad judicium Sarracenorum, litemque Episcopo intentarent, super hoc quod patri centuplum promisisset, neque tamen promissis stetisset, quandoquidem eos exheredes reliquisset, Episcopum respondisse fertur, Deum in alia vita illud patri remunerasse. adductus itaque ad defuncti tumulum, mortuum adjuravit in nomine Domini Nostri Jesu Christi, ut diceret, utrum sibi bene fuerit de promisso persolutum, respondit cunctis audientibus defunctus; Centuplum accepi, & vitam æternam possideo. hoc audito omnes in admirationem rapti, laudabant Deum dicentes; Fidelis Deus in verbis suis.

Gregor. Turon. in hist. Franc. prov. c. 19.

Hoc apprime intelligebat Tiberius Secundus Imperator. is enim ita copiosè bona pauperibus erogabat, ut Imperatrix eum sæpius objurgaret. cui ille, Ne turberis domina, Deus providebit fisco nostro, an nescis quod fœnoratur Domino, qui miseretur pauperi? accidit autem ut alterâ die deambulans per aulam regiam, viderit lapidem marmoreum, signo crucis insignitum, pedibus conculcari; Non est bonum, inquit, rem sacram pedibus conteri, & protinus præcepit illum erui. sed sub isto alius denuo lapis eodem notatus signo apparuit, quem itidem sustulit. tertium deinde vidit penitus similem,& hunc jussit elevari, mox thesaurum inæstimabilem invenit. Quid dicis, ô Princeps, multiplicantur, non minuuntur opes pauperibus

Paul. diac. lib. 6, cap. 3. histor. Longob.

ribus distributæ. Frumentum in horreis reconditum non augetur, imò sæpe à vermibus corroditur, à muribus vastatur, à tineïs dissipatur, situ corrumpitur; at in terram projectum, uberrimum fructum affert. pecunia in arcula reposita sæpius direptioni committitur, at in pauperes collocata, fructum centies multiplicatum in hac vita producit, & postea vitam æternam ministrabit. unde jure optimo licebit tibi acclamare, Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.

Sed quid ampliùs immoror? quid adhuc velles? ab omni angustia eripi? ab omni periculo erui? ab omni malo liberari? conclude eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa exorabit pro te ab omni malo. Græca lectio habet, & ipsa eximet te ab omni afflictione. quod quidem exemplo sanè insigni comprobatur. Mulier quædam, cujus filiam violaverat Zeno Imperator, orabat sæpe cum lachrymis ante B. Virginem, dicens: Vindica me de Zenone Imperatore. cùm ergo multis diebus hoc faceret, apparuit eï Beata Virgo dicens; Crede mihi mulier, ultionem tuam sæpe facere volui, sed manus ejus prohibuit me. erat enim pietatis amans. ita sentiebat Serenissimus Princeps & Vates, proinde dicebat: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Divus Hieronymus legit; beatus qui cogitat de paupere. Euthymius ex Græco, beatus qui cogitat super inopem, non expectans, ut petat. Quemadmodum Sol non expectat preces, ut exoriatur, sed illico fulget, & salutatur ab omnibus; ita nec Princeps expectet laudes, & preces, ut benefaciat; sed sponte conferat beneficia, & æquè ac Sol amabitur, & sic de ipso decantabitur, Etiam non poscentibus offert. Sed quid eveniet? In die mala liberabit

Ecclef.c. 29.

Prat.spirituale c. 175.

Psal.40.

Arist.li. 5 Ethic.

eum Dominus. Symmachus legit, in die afflictionis. dic quæso, ô Princeps, quibus curis opprimitur cor tuum ? quid angeris ? imperium turbatur ? deficiunt populi ? ingruunt infortunia ? manus munificas extende in pauperes, mox erit tranquillitas magna, & sedebit Regnum tuum in pulchritudine pacis. Ludovici Francorum Regis summa accedit auctoritas. Cùm enim orbis totus diris seditionibus esset perturbatus, ipse suum Regnum magnâ tranquillitate regebat. sed quo præsidio ? noctis tempore mutata veste ipsemet eleemosynam pauperibus erogabat, dicebatque servo, Ecce præsidium civitatis, hi sunt milites egregii, qui regnum meum summo fœdere, summaque pace fulciunt, & nunc stipendium eis solvo. omni quidem jure beatus iste Princeps hac pietate stipatus poterat dicere: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Quid adhuc quæris ? vis in Regno similis esse Deo ? audi Deum ipsum in-
Luc.c.6. vitantem. sed qua comite ? pietate, Estote misericordes sicut & Pater vester misericors est. ac si diceret, Vos qui in terris vices meas geritis, imitamini pietatem meam in omnes creaturas sese diffundentem. Percurrite intellectu à summo cœlo usque ad abyssos, & videbitis, quod ad omnes diffusum est oleum misericordiæ meæ, nec est creatum, quod se abscondat à calore meo. tu quoque, ô Princeps, opera pietatis impertire, quandoquidem Princeps apud Hebræos sonat beneficus, & tunc mihi similis eris. quod si secus feceris, ad Regni cœlestis gloriam, ad quam aspiras, nunquam tibi patebit accessus. Cur putas voluisse Salomonem valvas Templi Mosaici olivæ construi tabulis ? quoniam misericordiæ est symbolum, quasi vellet innuere, sicut per ostium patebat

bat introitus ad Sancta Sanctorum, ſic per miſericordiam ad cœlum ſemitâ rectâ. Quare Rex regum ex monte olivarum voluit in cœlum aſcendere? ut oſtenderet per miſericordiam, quæ olivarum monte figuratur, ad Paradiſi gloriam ingreſſum parari. quod apprime figuratur per columbam, quæ egreſſa tempore diluvii rediit ramum geſtans olivæ virentibus foliis in ore ſuo. paradiſi non ingreditur gaudium, niſi qui miſericordiæ decoratur foliis. hinc Dominus enixè hortabatur potentes ad pietatem, quæ ducit ad vitam, quâ qui caret, ad ſalutis portum haud facilè perveniet. En oraculi teſtimonium, Faciliùs eſt camelum intrare per foramen acûs, quàm divitem intrare in Regnum cœlorum. Porrò quia hic locus non eſt ita facilis, proinde duplicem expoſitionem adducemus. prima eſt Theophylacti, qui per camelum, funem nauticum intelligit, ſicut enim iſte funis integer, per foramen acûs ingredi non poteſt, diviſus in ſingula fila facilè ingredietur; ſic divitiis potens niſi pauperi ſubveniat neceſſitatem habenti, cœlum ingredi nequaquam poterit. Altera expoſitio eſt Cajetani, qui aſſerit, Hieroſolymis portam quandam eſſe ita anguſtam, ut foramen acûs appellaretur. Per hanc portam camelus onuſtus, & collo erecto nullatenus ingredi poterat, niſi demiſſo prius capite, & ſarcinâ depoſitâ; ſic dives niſi priùs caput inclinet per humilitatem, & ſarcinam deponat per pietatem, nunquam in Civitatem ſanctam introibit. Cæterùm ſi divitias in fila pauperibus diſtribuat, ad cœleſtem gloriam evolabit, ubi cum ingenti exultatione poterit cum Beatis canere, Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Quid plura? hoc tantùm dicam, quod eſt ſumma

Matth. c. 19.

rerum, exoptasne ô Princeps extremum diem claudere feliciter? audi Hieronymum dicentem,

Nunquam memini me legisse malâ morte mortuum, qui libenter opera pietatis exercuit: habet enim multos intercessores, quorum preces impossibile est non exaudiri. Sed plùs ultrà, audi rem dictu incredibilem, veram tamen; velles post mortem, carnis tuæ incorruptionem? sit erga pauperes munifica manus tua, & quod cupis, succedet ex votis. Polydorus Virgilius de Osualdo Scotorum, & Anglorum Rege, ejusque eleemosynis scribit, in hunc modum: Osualdus bonus Princeps, miræ sanctitatis, ac pietatis, eo ipso die, quo Christus Jesus à morte vitam resumsit, dum prandebat, discumbente cum eo sancto viro, ac Episcopo Aidano, à ministris intellexit, frequentes pro foribus domûs circumstare pauperes cibum petentes. Tunc pius Princeps charitate motus, lancem argenteam cum cibariis, quæ ad manus prima aderat, pauperibus minutatim dividendam dedit. Aidanus ob hujusmodi præclarum liberalitatis facinus ad Regem conversus, & ejus dexteram apprehendens, inquit, Nunquam putrescat ista manus. quod vir utique sanctus divino afflatus spiritu cecinit, ut reï probavit eventus. nam illa manus, consumto posthac corpore, integra semper mansit, quæ capsulâ decenti condita in urbe regia multa cum veneratione diu servata est. En sanctæ pietatis præmium, non solùm substantiæ multiplicatio, sed etiam carnis incorruptio. Ad hanc igitur concurrite Principes, ad hanc confugite, sub hac requiescite. est enim porta salutis, in qua inveniuntur omnia bona, proinde

licebit dicere, Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.

Ne sis ipse miser, miseris succurrere disce.
Dives opum est, inopi qui dare novit opem.

Caput XXVI.

Cogitet quotidie Princeps se brevi moriturum, mox tumentes superbiæ fluctûs confringet.

ORBIS totius Conditor, ac omnium dominantium Imperator, dum in admirabili Transfigurationis triumpho (Solis instar) gloriosus undique coruscaret, Moyse & Heliâ stipatus, præstantioribus Apostolis sociatus, choris Angelicis comitatus, in tam excelso dignitatis culmine, constitutus, de quibus, quæso, agebat? an de triumphis? non ita quidem. sed de mortis memoria sermonem
habuit, loquebantur de excessu quem comple- Luc. c. 9.
turus erat in Hierusalem. Quid hinc? ut edocerentur homines, & præsertim Principes, mortis memoriam gaudiis humanis esse intermiscendam. Cui instituto etiam Ethnici, solo naturæ lumine illustrati, obsequentissimi fuere. Siquidem, Divo Hieronymo teste, antiquitus apud Romanos, in more positum erat, ut Imperatorem Romæ triumphantem quispiam Senatûs nomine, præcederet inclamando, Respice ad eos, qui te præcesserunt, & memento te esse moriturum. nempe, ut hoc remedio temperarentur laudes humanæ, ne fortè Princeps, tantæ celsitudinis majestate elatus, inani fastu intumesceret. Quin etiam

 Clau-

Claudius paradinus, vir apprime eruditus, recenset in coronationibus Imperatorum, hujusmodi genus usitatum fuisse. nempe, ut eo ipso tempore, quo capiti corona, manibus verò imperiale sceptrum imponebatur, egregius sepulchrorum fabricator, tres diversos lapides, alabastrum, iaspidem, & porphyrum afferret, ut ex illis, habito delectu, sepulchrum construeretur, altâ voce inclamans,

Elige ab his saxis, ex quo Augustissime Cæsar,
Ipse tibi tumulum, me fabricare velis.

Ptolemæus Philadelphus Ægypti Rex, inter medias epulas tristem mortis imaginem, ac mortui cranium, semper ad latus habuisse fertur, atque hanc à ministris interdum vocem in mensa repeti jussisse, Inspice Rex, & cogita, talem te cito futurum. Egregium hoc Ptolemæi factum, veterem Ægyptiorum laudabilem consuetudinem mihi revocat in mentem. refert Herodotus magni nominis historicus, apud Ægyptios hunc fuisse morem, nimirum, in magnis conviviis mortui hominis caput ante oculos proponere; moxque inter pocula subjicere, Mementote, quò tandem redigendi sumus, eo sanè consilio, ut conditionis suæ memores, moderatiùs fruerentur voluptatibus. ob hanc causam sæpe admonebat Salomon dicens, Oculi sapientis in capite ejus. per caput intelligit Olympiodorus cœlestia. ille tenet oculos in capite, qui purgato intellectu, contemplatur superna, eò quòd caput, eminentia quædam sit, & totius corporis pars suprema; qui verò circa terrena occupatur, habere dicitur oculos in pedibus. qui sunt iufima pars, de quibus Vates dicebat; Oculos suos statuerunt declinare in terram. quando ergo dixit Salomon; Oculi sapientis in capite

Herod. lib. 3.

Eccl. c. 2.

capite ejus, vult insinuare, quod sapiens, oculos habet ad cœlum. Gregorius per caput intelligit Christum, dicente Paulo, Caput viri Christus. oculi ergo sapientis in capite ejus sunt, dum Redemtoris sui opera, quæ imitari debet, contemplatur. In divinis litteris, caput significat principium, unde, ubi vulgata nostra legit; In principio creavit Deus cœlum, & terram; alii transferunt, In capite, confirmatur per illud Psalmi; In capite libri scriptum est de me. Titelmanus hîc per caput intelligit principium libri Psalmorum. dum dicit ergo Salomon; Oculi sapientis in capite ejus, perinde est, ac si diceret; Oculi sapientis in principio ejus. quod est principum ejus? respice ad primum caput Genesis; Formavit Deus hominem de limo terræ. hoc est principium, ad quod respicit sapiens, nempe, ad lutum, ex quo formatus est.

Lib. 2. moral. c. 4.
1 Cor. c. 11.

De Philippo Macedonum Rege, nonne produnt historiarum monimenta, ipsum in aula regia puerum habuisse, huic tantum muneri destinatum, ut quotidie ad eum ingressus, tale quid proferret? Memorare, ô Rex, te esse hominem. tunc Rex, miseram conditionem considerans, tales è pectore effundebat voces, Heu me miserum! homo sum, & proinde mortalis, & in cinerem redigendus, quasi diceret,

Stobæus serm. 19.
Ælian. lib. 5. c. 15.

Post hominem vermis, post vermem fœtor, & horror,
Sic in non hominem, vertitur omnis homo.

Utinam nostrorum temporum Principes, egregium hunc Heroëm, paganum licèt, imitarentur, dicerentque inclamantes, En homo sum, & mortalis, quod si mortalis, cur ita vivo, ac si nunquam moriturus? si moriturus, cur in me vitia non commoriuntur? in vermes convertendus sum,

ſum, quomodo ergo me ipſum, ad meliorem frugem non converto? rationem exactè redditurus ſum, quomodo ergo lachrymarum imbribus perfuſus, toto corpore non contremiſco?

Quid ſum miſer tunc dicturus,
Quem patronum rogaturus
Dum vix juſtus ſit ſecurus?

Hæc eſt memoria in Principe laudanda, non illa quidem Mithridatis, qui duarum & viginti nationum, quibus imperabat, linguas adeò callebat, ut ſingularum oratores palàm audiret, & redderet ſine interprete reſponſum. non Cyri Perſarum Regis, qui ſingulos ſui exercitûs milites, qui penè innumerabiles erant, propriis nominibus appellabat. non Themiſtoclis, qui recordabatur, etiam quæ nollet, quæ vellet, non poterat oblivisci. non Senecæ, qui in prodigium uſque eò proceſſit, ut duo millia nomina recitata, quo ordine erant dicta, referret. ſed ejus in primis memoriam probo, qui ſui nunquam capitur oblivione, oraculum Delphicum præ oculis habens, Noſce te ipſum. quod eſt dictum, Memento te eſſe hominem, & proinde moriturum. deberet enim Princeps, tria hæc habere verba in corde radicitus infixa. Scio me aſcendere, ut deſcendam; virere, ut areſcam; adoleſcere, ut ſeneſcam, & demum vivere, ut moriar. cui concinnè adagium illud, Homo bulla. quo admonemur, humanâ vitâ nil eſſe inanius, eſt namque (inſtar bullæ) quæ apparet in aquis momento temporis enaſcens, ſimul & evaneſcens, Iac. c. 4. ſic homo, Divo Jacobo teſte, eſt vapor ad modicum parens, qui deinceps exterminabitur. Hinc Iſa. c. 40. Iſaïas vocat hominem, herbam; omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quaſi flos agri. Siquidem herba primò vireſcit, mox areſcit, tandem

dem putrescit; homo virescit in flore juventæ, arescit in senio, putrescit in morte. Adverte, quod dicitur, flos agri, non horti; quare hoc? quia flores horti, nempe, lilia, rosæ, hyacinthi, & id genus, per aliquos dies remanent florentes, at flores qui in agris crescunt, variis periculis sunt expositi, qui vel à prætereuntibus carpuntur, vel pedibus proteruntur, vel à bestiis depascuntur, ita ferme de homine, proinde dicebat Jobus; Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra. Porrò ex omnibus floribus, qui in hortis, vel agris virent, nullus est qui duas sustineat brumas, aut bis nivosum gelu patiatur: rident quidem in Vere, folia explicant, venustatem ostentant, odorem spirant, & colorum varietate delectant, sed quàm primùm, ut aëris Hiems ingruit, & bruma rigere incipit, cervices demittunt, colorem amittunt, omnis decor evanescit, & sensim penitus emoriuntur. idem de hominibus dicendum. quis est inter tot hominum millia, qui ad ducentos annos pervenerit? imò quis ad centum? quàm pauci ad sexaginta? Ad hanc rem facit appositè ænigma illud ab Oedipo declaratum, Quodnam est illud animal, quod dicitur quadrupes, bipes, & tripes? En homo, qui graditur in infantia quatuor pedibus, quia manibus quoque, pedum vice nititur, & reptat, deinde confirmato gradu, duobus pedibus se sustinet, donec decrepit ætas baculum, quasi tertium pedem addit. sed quia miser homo luteos habet pedes, proinde ad primum lapidis ictum, statua corporis citò corruit, in cinerem redigenda. inter mortuum & vivum differentia est in solo puncto. Hebræi enim, si credimus Eusebio, unico nomine significant hominem vivum & mortuum, nimirum, methim, sed cùm scribi-

Iob. c. 14.

Euseb. li. 10 de præparat. Euang. c. 2.

ſcribitur, ſolo puncto diſtinguitur, quia ſi ſcribatur cum tſere, duobus punctis ſic diſpoſitis (..) ſignificat mortuum, ſi autem ſcribatur cum ſchebà, punctis aliter diſpoſitis, hoc modo, nimirum (:) ſignificat vivum. itaque idem nomen diverſo modo ſcriptum, ſignificat vivum & mortuum. en vita brevis, quæ in ſolo puncto conſiſtit. ô miſeram Principum conditionem, quandoquidem Reginæ morti ſceptra ligonibus æquanti, tributa ſolvere, & ipſi, vel inviti coguntur.

Pallida mors æquo pulſat pede
Pauperum tabernas, Regumque turres,

Valer. Max. lib. 8. Quis unquam felicior Alexandro, qui ob res præclarè geſtas cognomen Magni adeptus eſt? mors tamen illum rapuit, vermibuſque corrodendum tradidit; cujus acerbi caſûs famâ auditâ, plurimi ad ſepulchrum convenere philoſophi, quorum alter dixit, Herì ô Alexander multos poteras à morte liberare, hodie mortis jacula non potes evitare. alius verò ſic diſcurrebat, Herì, ô Alexander, ingenti Imperio tumebas, proinde te gentes timebant; hodie ſuper faciem tuam impune diſcurrunt vermes. Herì, ô Alexander, exclamabant alii, orbis totus non ſufficiebat tibi, audiens enim ab Anaxagora plures eſſe mundos, non ſine lachrymis dixiſti, Heu me miſerum, qui ne uno quidem adhuc ſum potitus; ſed hodie nobile corpus exiguo tegitur lapillo. Quod perpendens Philoſophus moralis, in verba hæc aurea prorupit, Alexander orbi terrarum auguſtus eſt, orbis Alexandro anguſtus eſt. pulchre Poëta,

Æſtuat infelix anguſto limite mundi.
Sarcophago contentus erit; Mors ſola fatetur,
Quantula ſint hominum corpuſcula.

Hoc ſemper in corde fixum habebat Carolus, qui

qui rerum geſtarum gloria inſignis, Magni cognomentum obtinuit. Hinc cùm in extremo mortis articulo conſtitutus, à ſuis rogaretur, quænam inſignia ſepulchro affigi vellet? reſpondit, Sola mortis inſignia ſculpantur, hæc eſt enim Regina illa potens, quæ omnes meas victorias in nihilum redegit, & de me ipſo victore triumphum agit. Non petiit Ægypti pyramides, non mauſolea Cariæ, non ſigna bello parta, non victrices Romani Imperii aquilas, non rerum geſtarum memoriam, qua apud poſteros immortalis haberetur, ſed ſolam mortis figuram, appoſitâ inſcriptione, Sola mors omnia æquat. Nec minori admiratione dignum eſt, quod olim Saladinus Ægyptiorum Regum maximus fecit, hic cum totum Orientem ſubjugaſſet, Occidentem terruiſſet, Aſiam domuiſſet, totum denique Orbem concuſſiſſet, ut morti ſe jam vicinum vidit, mandavit ut ſtatim ac ſpiritum exhalaſſet, tunica interior per omnes civitatis vicos, in haſta circumduceretur, & à præcone altâ voce inclamaretur, Saladinus Orientis flagellum, Aſiæ dominus, omnium populorum terror, ex omnibus ſuis victoriis in bello partis, tandem Reginæ morti cedens, nihil ſecum defert, niſi unicum hoc induſium, quo in ſepulchro operitur. quaſi & ipſe diceret, Sola mors omnia æquat. hinc canit Poëta,

Gregor. Turon. lib. hiſt.

Anton. p. 1, tit. 17. c. 9.

Fulgoſ. li. 7. c. 2.

Floruit in toto qui Rex Oriente potenter,
Nunc jacet. ex tantis, quid tulit? ecce nihil.

Vidit moriens illam vanitatem, quam vivens reputabat majeſtatem. Hinc Vates regius dicebat; Cùm interierit homo non ſumet omnia. ſi non omnia, igitur aliquid. ſed quid ſumet, cùm nudus jaceat? opera ſola. Opera illorum ſequuntur illos. De magno Cyro nonne tradunt hiſtorici

Pſal. 48.

verba

verba hæc aurea ſepulchro affigi juſſiſſe, ut oſtenderet Reginæ mortis Imperium,

O vir quicunque es, & undecunque advenis,
Ego ſum Cyrus, qui Perſis imperium conſtitui,
Puſillum hoc terræ, quo meum tegitur corpus,
Mihi ne invideas.

Plutarc. in vita Xerxis.

Factum planè memorabile, quod de Xerxe Rege veteres tradidere. cùm dux iſte potentiſſimus innumerabiles militum copias collegiſſet, & eas in acie conſtitutas, videndi deſiderio flagraret, in verticem montis ſe contulit, è quo cùm totum Helleſpontum ſtratum navibus, & terram militibus coopertam cerneret, obortis lachrymis ſuſpirabat. hoc ſpectaculo viſo, mirabantur duces, & tam inuſitati caſûs cauſam petentes, dixere; Unde hic ejulatus, ô Rex? anne jam animum contrahis; num ante tubam pavor occupat artûs? hactenus te ſtrenuum ducem oſtendiſti, & modò in lachrymas ruis? quibus cum fletu ait, Non ita viri, non ita, nulla unquam mè formido invaſit, aliud quid mente revolvo, quod mihi lachrymas excutiat. hinc video tot militum millia, quæ in acie produxi, & heu, centum ab hinc annis, nullus omnino ſuperſtes erit, omnes in cinerem redigentur, de omnibus Regina mors triumphum aget, quaſi dictum illud, & ipſe decantaret, Sola mors omnia æquat.

Philippus Macedonum Rex, cùm palæſtram, in qua Græci luctabantur, ingreſſus eſſet, & inter luctandum, ad terram prolaberetur, jacentis ſui corporis imaginem, in arena expreſſam videns, & quàm parùm loci occuparet, conſiderans, jocando cœpit dicere, O quàm minimam terræ partem naturâ ſortiti, orbem appetimus univerſum? Utinam corda Principum, quibus

totus orbis non ſufficit, regia hæc verba penetrarent, profectò ſuperbiæ veſtem exuerent. Proinde ſapienter conſulebat propheta; Vide vias tuas in convalle. quæ verba Septuaginta interpretes, appoſitè tranſtulerunt, Vide vias tuas in ſepulchro. quaſi diceret; cogita, ô homo, quàm exiguum tibi poſt mortem paratum ſit domicilium, ut non niſi ſeptem pedum ſpatium, tibi concedendum ſit. Hoc fortaſſe Ethæi volebant innuere, dum ſibi in Regem Ephron elegerunt, qui apud Hebræos ſonat pulverem, quaſi dicerent, Non ſuperbè imperabit, qui pulverem ſe eſſe meminerit. Hoc apprime noverat Severus Imperator, hic enim mortis memoriam præ oculis habens, ſibi adhuc viventi, loculum conſtrui juſſit, quem ſæpe manibus contrectans, his verbis alloquebatur, Tu virum capies, quem totus orbis terrarum non capit. ac ſi diceret; Sola mors omnia æquat.

Hierem. c. 2

Gen. 23.

Dion. Nic. in vita Sever.

Huic reï facit egregiè Epitaphium illud inſigne, quod ſibi ipſi deſcripſerat Poëtarum Princeps, is enim extremum vitæ præſentiens, quatuor carmina compoſuit, miro artificio elaborata. in quibus oſtendit, ſe compilando tres libros, vehementer inſudaſſe, librum nempe, de Bucolicis, in quo tradidit artem paſtoralis curæ; librum de Georgicis, in quo artem agri colendi deſcripſit; & librum Æneïdos, in quo ſcientiam militarem inſtituit. ſed hinc quid mihi? ecce nudus egredior puſillo terræ claudendus,

Paſtor, arator, eques, pavi, colui, ſuperavi,
Capras, rura, hoſtes, fronde, ligone, manu.
De capris paſtis, de rure ſato, hoſte ſubacto,
Nec lac, nec ſegetes, ſpolia nulla tuli.

Sed jam ſatis ſuperque profanis hiſtoriis inhæſimus, rationi conſonum eſt, ut & ſacræ quædam pro-

producantur. primus itaque in campum prodeat magnus ille Basilius Cappadociæ Episcopus. hic namque in solemnitatibus præcipuis, quando ex officii sui præscripto, magnificam pompam præ se ferebat, ne fortasse intumesceret, uni ex domesticis mandabat, ut in mediis honoribus, in aurem mordicus diceret; Mortem cogita pater, & sepulchrum tuum perfici jube. Huic reï appositè facit Epitaphium pro Petro Comestore apud sanctum Victorem Parisiis, cum hac inscriptione,

Ciacon. in vita Lucii tertii.

Petrus eram, quem petra tegit, dictusque Comestor,
Nunc comedor nimis, & docui, nec cesso docere
Mortuus; ut discat qui me videt intumulatum,
Quod sumus, iste fuit, erimus quandoque quod hic est.

Hanc sacram philosophiam toto cordis affectu, observavit Pius Quintus æternis elogiis celebrandus ex Dominicana familia ad Pontificatum assumtus. hic enim piam hanc inscriptionem in sepulchro adhuc vivens sibi paravit.

Pius Papa Quintus Boschensis, diem mortis præ oculis habens, monumentum istud erigi mandavit, pro cadavere suo reponendo, quando divinæ clementiæ visum fuerit, ipsum ab hoc sæculo nequam eripere.

Hinc in Summi Pontificis solemni coronatione, ad memoriam mortis in mentem revocandam, pia inolevit consuetudo, ante ipsum quandam concremari stipulam, quæ brevitate suæ flammæ, vitæ etiam fugacitatem designat, inde protinus acclamatur, Sic transit gloria mundi Pater sancte. ac si diceretur,

Vir bone, quid curas res viles? res perituras?
Nil profuturas, damno quandoque futuras?
Nemo diu mansit in culmine, sed citò transit.
Est brevis, atque levis, in mundo gloria quævis.

Quocirca Pater Augustinus, ut memoriam mor-

tis in Principe excitaret, his verbis sæpe alloquebatur, Inspice sepulchra, & discerne si potes, victum à Rege, fortem à debili, pulchrum à deformi, tunc memorare naturæ tuæ, ne extollaris. quasi diceret,

Cum tumulum cernis, cur non mortalia spernis?
Tali namque domo clauditur omnis homo.
Quid valet argentum? quidve annis vivere centum?
Post mortem fumus, pulvis, & umbra sumus.

Rex iste sapientissimus, pro cujus elogio æternitati commendatur divinum illud oraculum, Inveni virum secundùm cor meum, quoniam probè noverat mortis meditationem valde conducere ad clavum Imperii ritè tractandum, proinde illam præ oculis semper habebat, & plorans frequenter dicebat; Cinerem tanquam panem manducabam. perinde ac si diceret, sicut panis Ps. 101. est cibus ad vitam corporis sustentandam necessarius; ita mortalitatis humanæ recordatio, mirum in modum prodest, ad vitam animæ fovendam. Hac ratione adducti, egregiam hanc inscriptionem litteris aureis insignitam, sepulchro Palladii apposuere benevoli.

Hic jacet Silvius Palladius, qui ut moriens viveret, vixit ut moriturus.

Utinam Christianus Princeps quotidie viveret, ut cras moriturus. neminem quippe læderet, jus suum unicuique tribueret, personam patris ageret, communi commodo consuleret, non pro libidine potestatis moveretur, sed freno tantùm rationis duceretur, ad summam reï administrandam, & tandem superbiæ fluctûs comprimens, confusus, & tremens, exclamaret, Quid superbis terra, & cinis? hæc est via Eccl. regia, ad ritè moderandas Imperii habenas. Pro- c. 10. inde Pausanias Lacedæmoniorum Rex, cùm Si-

monidem philosophum rogasset, ut sibi dignum aliquod documentum traderet, ad potestatem Imperii rectè administrandam, respondit vir sapiens, Hominem te esse memento. ac si dixisset, nihil ad bonum regimen magis accommodatum, quàm cogitare se citò moriturum. Quam doctrinam planè auream olim comprobavit Plutarchus. Cùm enim Trajanum Imperatorem, ejus discipulum, missâ quâdam epistolâ docuisset, quas virtutes sectari, quænam vitia evitare, & quibus rationibus, boni Principis officium implere oporteret, post varia, & quidem præclara monita, facilè eum omnia impleturum dixit; si unica mortis, ad hæc omnia, accesserit memoria. Ego scio, inquid, quod hæc omnia feceris, si tui nunquam oblitus fueris. Quis non miretur, tanto Imperatori, ad tam amplum imperium prudenter administrandum, aliud præceptum non esse præscriptum, quàm unicam mortis meditationem? Salomon quoque, quo nullus unquam fuit sapientior, quoties eum mentis elatio extra rationis terminos abriperet, ut vanos impetûs retunderet, hoc ipso freno usus est. Sum quidem & ego mortalis homo, similis omnibus. quasi diceret; quis sum ego, nisi cibus vermium? terra ista, quâ gravatus incedo, mihi protestatur, quod neque Regni potentia, neque sapientiæ fama, neque sanguinis claritas, neque divitiarum gloria, à Reginæ mortis unguibus me eripient, quoniam sum homo mortalis, sicut & cæteri, & quis est homo qui vivit, & non videbit mortem? hinc supremus artifex, hominem de limo terræ formavit, ut terra ipsa, quæ inter omnia elementa infimum locum obtinet, & omnium pedibus conculcatur, suæ vilitatis illum admoneret. Hoc præclaro argumento utebatur etiam regius Vates,

Plut. epist. ad Trajan.

Sap. c. 7.

Psal. 88.

tes, ad deprimendas mortalium elationes, dicens; Non apponat ultrà magnificare ſe homo ſuper terram. quod ſic ex Hebræo vertit Divus Hieronymus linguarum peritiſſimus, Non apponat homo magnificare ſe de terra. doctè quidem, ac ſi diceret: Quid ſe magnificat homo de terra? ſi ex aliqua cœleſti materia compactus eſſet, non mirum, at cùm ſit ex terra formatus, & citò in terram ſit reſolvendus, ad quid magnificare terram, vermibus corrodendam? Huc facit opportunè, quod de Brachmanis legitur. Cùm enim ab Alexandro petiiſſent donum immortalitatis, ipſe verò reſpondiſſet; Rem prorſus impoſſibilem poſtulatis filii, quia & ipſe mortalis ſum, tunc protinus adjecerunt, Cur ergo tam inſanâ regnandi libidine flagras, ac ſi nunquam morti tributum ſoluturus? Celebrem ſtatuam illam multiformem mente revolvat Princeps, cujus quidem caput aureum, brachia argentea, pectus æneum, tibiæ ferreæ, ac luteos pedes habebat. Imperii majeſtate, divitiarum copiâ, potentiæ magnitudine, gemmarum ſplendore, refulget Princeps (non inficior) at luteos pedes habet, quia & ipſe moriturus, & relictis ſplendoribus, ſuſpirans, & gemens exclamabit, Solum mihi ſupereſt ſepulchrum. Proinde regius Vates Principes admonebat, Vos autem ſicut homines moriemini. perinde ac ſi dixiſſet, Num vos æternos eſſe exiſtimatis? num ſemper victuros, quia nunc ſceptra aurea manu geſtatis? toto cœlo aberratis. Nam ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori. & mors ſceptra ligonibus æquat. Ubi quæſo, Cæſar ille, in curru eburneo triumphans, quem quadraginta elephanti trahebant? Ubi Marcus Antonius à leonibus invectus? ubi Aurelianus, carpento, quod à

Pſal. 9.

Dan. c. 2.

Pſal. 81.

cervis trahebatur, insidens? mors sola triumphat, & unusquisque dicit, Solum mihi superest sepulchrum. Hinc pictores, ut mortis naturam exprimerent, illam proponunt oculis hominum, nudam, lumine cassam, auribus carentem, & falce armatam. nudam quidem, ut doceant mortales, quod hinc nudi exire debent, Nudus egressus sum, & nudus revertar. sed cur lumine captam? tria à Poëtis cœca describuntur, amor, justitia, mors. amor, quod omnes sine ullo personarum delectu feriat, vel potiùs ab effectu, quia amantes verè amentes, & cœcos efficiat. ut quidam experimento cognovit, proinde dicebat,

Job c. 1.

Nabam per gelidas brumalis gurgitis undas,
Nec mihi solstitium, nec grave frigus erat.
Omnis amor cœcus, non est amor arbiter æquus,
Nam deforme pecus, judicat esse decus.

Justitia, quia omnes æquali lance judicat. mors verò quòd obvia quæque ad terram prosternat. sed quorsum caret auribus? quia clamoribus non flectitur, lachrymis non movetur, & ad preces humanas veluti rigida rupes obsurdescit. hinc à Pericle Atheniensium duce, Atropos inexorabilis appellatur. Porrò quid per falcem, quam feralis hæc Megæra manibus tenet, & vibrat? quoniam mors omnia solo æquat. Ubi nunc aurea tot Regum sceptra? ubi tot purpuratorum galeri? ubi tot Pontificum infulæ, & throni? mors omnia æquat.

Est commune mori, mors nulli parcit honori,
Debilis, & fortis, veniunt ad funera mortis.

Diogenes Cynicus cùm sepulchra aliquando curiosiùs inspiceret, ubi defunctorum ossa cernebantur, Alexandrum Macedonem obvium habuit, & cùm ille percunctaretur, quid inter mortuos ageret? in hac ossium congerie, patris tui Philipi calva-

calvariam quæro, ſed à cæteris dignoſcere non valeo. hoc commento docens, in mundi hujus theatro, magnum quidem eſſe hominum diſcrimen: at in atra mortis aula, inter pauperes & Reges nullam prorſus differentiam. In denſa ſilva, quamdiu ipſa viret, diverſa arborum genera videmus, nodoſas quercûs, umbroſas fagos, frondoſas abietes, aliaſque arbores, & numero plurimas, & colore varias; quarum aliquæ, terræ adhærent; nonnullæ verò caput, & comas intra nubila condunt; aliquæ è floribus, aliæ è frondibus, & aliæ è fructibus dignoſcuntur: ſed mox ut ſecuris ad radicem accedit, & illæ in ignem conjectæ, & in cinerem redactæ, quis tunc laurum à rubo diſcernet? Mundum hunc ſilvam quandam, & homines arbores, ſi appellamus, non erit abſonum; quandoquidem etiam mundi hujus ſilva, quamdiu viret, variis coloribus diſtincta eſt, ſed primùm ut mors falcem admovit, deinde in cineres redegit, nullum ampliùs apparet diſcrimen.

Ad hanc rem fortaſſe Daniel alluſit, dum mortem comparat arieti duobus cornibus armato, Dan. c. 8. quorum unum majus, alterum erat minus. nempe, ut diſcamus, nullam ſtirpem adeò nobilem reperiri, nec ullam originem adeò humilem, quam non feriat alterutro horum cornuum. cornu majori angit Principes, & illuſtres heroës; minori verò pauperes, colonos, ac vilem plebeculam. currebat hic aries ab Oriente ad Occidentem, ab Aquilone ad Auſtrum, ut hinc manifeſtum fieret, mortem ſine ullo ætatis intuitu, omnes invadere. Ad Orientem tendit, cùm tenellos infantes, vix dum vivere incipientes, abripit. Ad Occidentem, cùm decoctos, & decrepitos ſenes de medio tollit. In Meridiem verò, cùm juvenes in

ætatis flore cōnſtitutos, in quibus calor, & humor viget, intercipit. ad Septentrionem autem, cùm frigeſcentes, & in ſenium vergentes proſternit. O mors verè parca, quia nemini parcis.

Quàm lepidè Apoſtolus ad memoriam excitandam invitabat, Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori; ac ſi diceret, reſpublicæ optimè conſtitutæ, præter jus civile commune, decreta quædam ſingularia præſcribunt, quæ cæteras civitates non ligant. In univerſo hoc orbe tria ſunt Regna, Regnum cæleſte, inferorum, & terrenum. his tribus quædam leges peculiares ſunt, & propria ſtatuta. In cœleſti quippe Regno lex eſt, qua à morte omnes ejus incolæ præſervantur. Præcipitabit Dominus mortem in ſempiternum; & ideo dicitur terra viventium, Portio mea Domine ſit in terra viventium. Regnum inferorum hanc legem habet, quâ omnes morti perpetuæ ſubjiciantur, Mors depaſcet eos. terrenum verò, hoc decretum habet, quod ſemel omnes moriuntur; Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori. ſtatutum irrevocabile ab omnibus obſervandum, tributum univerſale ab omnibus ſolvendum, iter commune, ab omnibus calcandum.

Apud Cajetam in ſepulchro marmoreo, æneaque urna, hæc inſcripta reperiuntur Scipioni Africano,

Devicto Annibale, captâ Carthagine, & aucto
Imperio, hos cineres marmore tectus habes.
Cui non Europa, non obſtitit Africa quondam.
Reſpice res hominum, quàm brevis urna premit.

Hoc apprime cognovit Alexander Magnus. ſic divina referunt monimenta, Poſtquam Alexander
1 Machab. c. 1. Macedo percuſſit Darium Regem Perſarum, poſt hæc cognovit, ut moreretur. Poſt triumphos, poſt victorias, poſt debellatum terrarum orbem. Quid ſuper-

ſupereſt, ô Alexander? tandem, tandem tendimus in pulverem, ex quo formati ſumus, & ſolùm nobis ſupereſt ſepulchrum. Quid vano labore conſumeris, ô Triſmegiſte, in laudanda hominis natura? cur hominem, magnum miraculum auſus es appellare? magnum miraculum eſt homo. an ignoras hominem eſſe cinerem, & in cinerem redigendum? Cur tu Pythagora, hominem eſſe deum mortalem dixiſti? homo eſt deus in humano corpore latens. ſi ſubtiliùs naturam ejus indagaſſes, vidiſſes utique fundamentum ejus eſſe pulverem, & proinde corruptioni obnoxium. Et tu Plato philoſophorum Princeps, quomodo auſus es hominem appellare divinum genus? divinum quoddam genus eſt hominibus. Quomodo audes, ô Plotine, hominem è luto formatum, univerſum quoddam vocitare? homo eſt quoddam omne. ſed majori etiam encomio, tu ô Gregori Pontifex, hominem decoraſti, ſiquidem illum univerſam creaturam nominaſti. explicans enim illud Euangelicum; Prædicate Euangelium omni creaturæ, per omnem creaturam ipſum hominem intellexiſti. eſſe namque habet commune cum lapidibus, vivere cum plantis, ſentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Porrò nullus veſtrum ſcopum attigit. Unus David pro reï dignitate, de homine locutus eſt, cùm ait, Homo tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ. ac ſi diceret, noli intumeſcere, ſed memento originem tuam à terra prodeuntem, in terram etiam tendentem: ex pulvere conditus es ô homo, in pulverem etiam reverteris. Non ineptè hic ſubjiciam Agathoclis exemplum, is cùm eſſet figuli filius, ita illi arriſit fortuna, ut Rex Siciliæ crearetur, veritus autem, ne regiâ dignitate inſoleſceret,

Pſal. 1.

Alex. ab Alex. li. 3. c. 21.

ut ſemper paternæ obſcuritatis memor eſſet, figulina vaſa, unà cum aureïs & argenteïs ad menſam quotidie voluit afferri. hanc vivendi rationem inſtituas, vellem, ô Princeps. tu enim figuli es filius, ſic divinâ atteſtante Scripturâ; Manûs tuæ Domine fecerunt me. licèt ad ſceptra te Deus evexerit, licèt diadema capiti impoſuerit, non ſuperbiâ extollaris, ſed priſtinæ tuæ originis memor, inter aurum & gemmas, vas luteum ante oculos pone, & memento ſceptrum Regale, olim fuiſſe arborem. Cur ergo ſuperbis terra, & cinis?

Huc perbelle faciunt variæ illæ hominis deſcriptiones, quas ſcientiæ in unum congregatæ, ex præſcripto Minervæ tradiderunt. Dialectica primo loco dixit; Homo eſt breve quoddam Enthymema; pro antecedenti, habet ortum; pro conſequenti, interitum. Aſtrologia ita hominem deſcripſit, Homo quaſi luna mutabilis, quia nunquam in eodem ſtatu permanet, ſed ſemper ad corruptionem tendit. non tamen ante peccatum fuiſſet homo corruptioni obnoxius, juſtitiæ originalis clypeo protectus; ſed in ipſo momento, quo peccatum intravit in mundum, ſtatim morti janua patuit. per peccatum mors, ait Paulus, non quòd peccatum fuerit cauſa per ſe hujus defectûs, ſed quaſi removens prohibens, quoniam per peccatum ſublata fuit Juſtitia originalis, per quam non ſolùm animæ vires continebantur ſub ratione ſine omni deordinatione, ſed totum corpus animæ ſine defectu. Phyſica ita reſpondit, Homo eſt animal rationale mortale. Mathematica ad rem noſtram propiùs accedens, brevi compendio concluſit, Homo eſt veluti figura ſphærica. Quæ quidem deſcriptio præ cæteris omnibus, placuit Minervæ. nec injuriâ. ſiquidem, ſicut figura ſphærica,

D. Th. 1. 2. qu. 85.

in idem punctum, quo incipit, terminatur; ita homo initium ſumens ex terra, in terram tandem deſinit. Hæc eſt Academia, quæ ad meliorem frugem homines reducit. ita ſentiebat Auguſtinus, Nihil ſic revocat à peccato, quàm frequens cogitatio mortis. ita Hieronymus, Facilè contemnit omnia, qui ſemper cogitat ſe eſſe moriturum. ita Gregorius, Non poteſt meliùs domari caro viva, quàm cogitando, qualis erit mortua.

Antæus luctans cum Hercule, dum terræ adhærebat, non poterat ſuperari. habe mortis vexillum ante oculos, terram te eſſe cogita, & mundi illecebras conculcabis, hac duce victor eris. Hinc antiqui terram appellabant magnam matrem, proinde infantes recenter natos, in terra tanquam in ſinu materno reclinabant, imò ter bonam etiam vocitabant, ob triplicem bonitatem, nempe, quia naſcentes homines excepit, exceptos toto vitæ curſu ſuſtentat, ac defunctos intra gremium ſuum recipit, ſed à vermibus corrodendos. quod conſiderans Joannes ille magnus, qui ob ſermonis ſuavitatem, os aureum nominatur, dicebat: Proficiſcere, quæſo, ad ſepulchra, ſiquidem in illis cum dolore cernes naturam tuam dilapſam, corpora corrupta, oſſa in pulverem redacta. conſidera tunc, quis ſit ſapiens, quis inſipiens, quis Imperator, quis miles, quis dominus, quis ſervus. tunc dicas mihi, ubi ſunt flores adoleſcentiæ in ſepulchris? ubi ſerenitas frontis? ubi vultûs lætitia? ubi orationis ſuavitas? ubi morum venuſtas? nonne omnia ſunt cinis, vermis, & fœtor? Quid ergo ſuperbis terra, & cinis? ô miſer, ſolum tibi ſupereſt ſepulchrum. O memoria ſalutaris, quæ adverſùs peccati inſidias, inſignem victoriam refert. poteſt quidem merito inclamare ſtrenuus miles, Hac

duce victor ero. ô quàm appositè ad rem præsentem facit egregium insigne, quod gerebat in stemmate regio, Julianus Imperator, Aquila nempe à sagitta percussa, quæ confecta fuit ex ejusdem plumis, additâ notulâ, Ex ipsa contra ipsam. mors ex peccato; at memoria mortis occidit peccatum, unde potest dicere, Ex ipso contra ipsum. Proinde Salomon exclamabat; Memorare novissima tua. sed quare? quia tunc occides peccatum, nam in æternum non peccabis. non enim ignorant sacrarum litterarum periti, quod ly, &, sæpe sumitur pro quia, sic intelligitur illud; Benedicta tu in mulieribus, & benedictus. quare benedicta? quia benedictus fructus. ita illud, posuisti in nervo pedes meos, & observasti semitas meas. quare continui pedes meos? quia tu dinumeras gressûs meos. iratus es, & peccavimus tibi. quare iratus? quia peccavimus. ita in hoc loco, memorare novissima tua. quamobrem? quia non peccabis. experimento enim comperies, quod omnia tanquam fumus evanescent, & rubore perfusus, exclamabis, Quid superbis terra, & cinis?

Doctrinam hanc sanè auream, bene noverat David, Rex Serenissimus, proinde dicebat; Nolite confidere in Principibus, neque in filiis hominum, in quibus non est salus. At quare, ô David sancte? exibit spiritus ejus, & revertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Paraphrasis Chaldaïca legit; omnes machinationes eorum. Magne Deus, quænam dicendi copia sufficeret enarrare, varias ac immensas machinas, quas in mente sua erigunt potentes? arces quas fabricant? turres quas construunt? profectò, si tunc ad mentem potentis pateret accessus, utique labyrinthum Creticum erectum videremus,

Ps. 145.

mus, diversis machinationibus circumseptum, nempe, tale Regnum possidebo, talem civitatem expugnabo, totius Orbis dominatorem aliquando me constituam. & ecce repentè Regina mors ad radicem arboris admovet falcem, quæ omnes machinationes ad terram prosternit. & in illa die pereunt omnes cogitationes ejus. Nonne sic contigit Pharaoni potentissimo Regi? ita quidem prorsus. dicebat enim, Persequar inimicos, comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea, evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. en insanæ cogitationes Regis. audiamus exitum. Flavit spiritus, operuit eos mare, submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. Et ecce in illa die, dissipatæ cogitationes ejus. siquidem de cunctis mortalibus mors sola triumphat, divites & pauperes, populos & Principes, juvenes & senes, sagittis aculeatis omnes transfodiens. & hoc forte volebat innuere regius Vates, cùm de regno Reginæ mortis loquens, dicebat; Gladium suum vibravit, arcum suum tetendit. gladius cominus percutit, eminus transverberat arcus, mors jugulat vicinos, senes nimirum, sed & distantes, nempe juvenes celeri cursu invadens, ad terram prosternit. Proinde Salomon, omnium Regum sapientissimus, frequenter dicebat; Memor esto, quoniam mors non tardat. ac si dixisset, noli perpetuam tibi vitam polliceri, ô Princeps, noli tibi annos spondere Nestoreos, sed cogita, ubicunque degas, mortem tibi nocte, dieque instare, astare, citatoque gressu te insequi, ut te semel comprehendat, ubique te expectat, tu si sapiens eris quotidie expectabis eam, ita consulebat ille Poëta,

Exod. c. 23.

Psal. 7.

Non

Non est, crede mihi, Sapientis dicere, Vivam,
Sera nimis vita est crastina, vive hodie.

In ipso mundi primordio inermis quodammodo, & robore destituta videbatur, homines autem adeò validi, ut eï etiam insultarent, cùm vitam ad multas annorum centurias extenderent, & ad millenarium numerum quàm proximè accederent: sed paulatim tantam potentiam induit, ut omnes invadat, obruat, ac facili negotio prosternat. Quis fuit ille lapillus, sublimi monte delapsus, qui pedibus statuæ advolutus, ipsam dissipavit. & in cinerem redegit? mox adeò excrevit, ut universum mundum replerit? statua illa humanæ naturæ imaginem referebat. caput aureum, justitia originaria est, lutei pedes, fragilitas mortalium, lapillus, ipsa mors, mons ingens, peccatum, à quo lapillus ille delapsus, qui omnia in cinerem redegit. sed iste lapillus ad tantam magnitudinem se extulit; mors nimirum, adeò potens facta est, ut totus orbis terrarum sceptris ejus pareat; imperat in Africa, dominatur in America, regnat in Asia, triumphat in Europa, adeò ut jure possit dici, quod uterque Polus regni ejus limes est, & denique omnes nationes, ad illius imperium contremiscunt. Hîc sanè non possum non admirari, quod inter illos purpuratos Principes, qui coram Dario Rege tam sapienter de fortitudine disceptarunt, nullus omnino mortis meminerit. Qui enim mortem omnium rerum fortissimam dixisset; procul dubio veritatis scopum attigisset. ipsa, namque Reginas debellat, Regibus imperat, potentias omnes confringit. hinc meritò mulier illa Thecuitis, coram Davide Rege ait; Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur super terram. quasi diceret, cogites tecum velim generose Princeps, quod

2 Reg. c. 14.

quod ſicut flumina, cùm varios agros rigarunt, ac variis anfractibus per varias provincias defluxerunt, in mare tandem delabuntur; non ſecus etiam homines, poſtquam dudum in vitæ hujus ſtadio evagati ſunt, in terram decidunt, & in ſepulchrum, velut in Oceanum deſcendunt, è quo nunquam ampliùs egredientur, niſi ad tubæ ſonitum, cùm acclamabunt Angeli; Surgite mortui, venite ad judicium. Sed cur iſta mulier dicit, omnes? quia inexorabile fatum æquat omnia ſolo. Quis modò regnat in Perſia, de proſapia Cyri? Quis in Media, de familia Darii? Quis in Græciâ, de ſtemmate Alexandri? Quis Romæ de ſtirpe Cæſaris, Omnes, omnes morimur. ſed cur dilabimur, ſicut aquæ? quia mors concitato curſu nos apprehendere nititur. Cujus reï egregium ſanè Emblema nobis proponit Joannes, dum ſe vidiſſe teſtatur; equum pallidum, & equitem eï inſidentem, cui nomen mors. Vidi equum pallidum, & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi Mors. Apoc. c.6.

Quorſum mortem equo inſidentem? ut apertè exprimeret, quàm citatis greſſibus ad vitam hominibus eripiendam feratur mors. Quocirca vitam noſtram curſui Solis perſimilem dixere ſapientes, & quidem appoſitè: lucidum namque illud aſtrum videtur non moveri, cùm tamen interea tanto impetu feratur, ut ad ſingulos horæ quadrantes, centum viginti milliaria millia conficere, doceant philoſophi. id ipſum de vita hominis dicere licet. videtur quidem loco quieſcere, at curſoris inſtar celeberrimi, ſemper ad finem properat. hinc eſt quod naviganti nos comparabat Gregorius, hic namque opinatur, arbores, agros, ſcopulos moveri, ſe verò loco quieſcere; at non ſic res ſe habet. navis iter agit, cætera verò neutiquam moventur,

ventur, ſic homo vix natus, currit ad corruptionem, licèt ipſe non ſentiat. ſiquidem calor naturalis conſumit humidum radicale, in quo conſiſtit vita, quod, vel non reſtauratur per nutrimentum, ſecundùm medicos, vel reſtauratur quidem, ſed non ſecundùm æquivalentiam, ajunt Philoſophi.

Ariſt. 2 de generat. & ſic neceſſariò tandem ſequitur corruptio, quia omne agens in agendo repatitur, limâ limando ferrum conficitur, gladius ſcindendo hebetatur, ita calor vitalis cibos decoquendo minuitur, & demum opprimitur. ſicut vinum, cui imponitur modicum aquæ, convertit illam in ſe ipſum, efficitur tamen minùs validum, at ſi ſæpius apponatur, tandem vinum corrumpitur, & efficitur aqua, ſic nimirum, cùm virtus humana non omnino reſtauretur per ſumtionem alimenti, proinde, ut mors ſequatur, oportet, quæ licèt videatur moram trahere, alatis tamen pedibus volat. hinc dicebat Jobus, Militia eſt vita hominis ſuper terram. notandum, quod, ubi in vulgata editione dicitur, militia eſt vita hominis; in Græco legitur, Piraterium eſt vita hominis, ſicut namque piratæ nullibi conſiſtunt, nec anchoram jaciunt, ut ſecuri perſiſtant, ſic & vita noſtra quaſi Piraterium, quia nullam ferè ſecuram habet conſiſtentiam. quod ex alio loco magis dilucidè colligitur; Dies mei, dicebat idem Jobus, tranſierunt quaſi naves, poma portantes. Hebræus legit, tranſierunt cum Ebe; eſt autem Ebe, ſi credimus Pagnino, fluvius rapidiſſimus Arabiæ, qui tanto impetu fluit, ut naves deferat velociſſimè, ſed quæſo, cur portantes poma, non alias merces? ut vitæ brevitatem oſtendant, nam portantes poma, die, noctèque navigant, ne marceſcant. Vatablus, & Pagninus ex Hebræo vertunt; Sicut navis voluntaria, dicitur autem voluntaria, quaſi volet ad

Job c. 7.

libi-

libitum voluntatis. & nos pro exigua hac vita tantum laboramus? meritò exclamabat divus Hieronymus, O brevis nostra æternitas! quotidie morimur, quotidie immutamur, & tamen immortales nos esse putamus. stultos Agrigentinos vocavit antiquitas, de quibus dicitur, Agrigentini epulantur, ut cras morituri, ædificant, ut semper victuri. hinc vita hominis comparatur vento; Memento Domine, quoniam ventus est vita mea; nam ventus invisibiliter, & sine mora transit, vita nostra nil aliud est, quàm cursus ad mortem, & quamvis homines laborent, ut diu vivant, currunt tamen ad terminum quem refugiunt. In ipso quidem mundi initio, mors non nisi pedibus incedebat, ac quodammodo claudicans, dudum morabatur, antequam homini appropinquaret, nongentos enim ac triginta annos vixit Adam. Noë nongentis quinquaginta annis. & ante diluvium, nongentis & sexaginta novem annis cucurrit, antequam Mathusalem comprehenderet. At nunc insidet equo, & ita ad cursum edocta est, tamque egregiè callet jaculandi artem, ut nos interdum in ipso etiam vitæ limine, transfigat. Quod deplorans Franciscus Petrarcha, personam agens filioli sui, vix nati, mox ad interitum rapti, eleganti hoc carmine expressit,

Vix mundi novus hospes eram, vitæque volantis
Attigeram tenero limina dura pede.
Franciscus genitor, genitrix Francisca, secutus
Hos, de fonte sacro nomen idem tenui.
Infans, formosus, solamen dulce parentum,
Hinc dolor, hoc uno sors mea læta minus.
Cætera sum felix, & veræ gaudia vitæ
Nactus, & æternæ tam citò, tam facilè
Sol bis, Luna quater flexum peragraverat orbem,
Obvia mors, fallor, obvia vita fuit.

Me

Me Venetûm terris dedit urbs, rapuitque Papia,
Nec queror, hinc cœlo restituendus eram.

Aspasia Periclis Atheniensium ducis uxor, cùm in hortulo collegisset botrum valde acerbum, dixit custos, Uvam habes hinc inde ipsâ maturitate maturiorem, & acriorem colligis? tunc ipsa protinus respondit, Prægnantium hic mos est. ecce proprium mortis ingenium, uvam sæpe maturam non tangit, sed acerbiorem colligit. Et hoc fortasse volebat innuere Joannes dilectus, dum mortem equitantem describit; ecce equus pallidus, qui sedebat super eum nomen illi Mors. Quare sedet super equum? ob cursûs sane velocitatem. Sed advertendum, quod pro pallido, Græcè est verbum, quod sonat pallidum & viride. sedet igitur mors super equum pallidum & viridem, quia juvenes pariter, & senes ad terram prosternit: siquidem mors quasi mulier prægnans, fructûs libenter carpit immaturos. Hinc dicebat Jobus, Lædetur quasi vinea in primo flore. lectio Hebræa habet, Diripietur fructus immaturus. Septuaginta legunt, Vindemiatur quasi botrus ante horam. Ambrosius quoque huic doctrinæ subscribit, Non maturiores, hoc est, homines ætate confectos miratur mors, sed acerbiores suo gustui aptiores. Non confidas ergo, ô homo, quia adolescens, in primo flore juventæ, mors enim nullum respicit, sed acerbiores etiam tollit. Vis igitur de morte victoriam referre? mortem quotidie ante oculos propone. ita consulebat Musonius philosophus: interrogatus enim, quisnam aptior modus ad diem ultimum feliciter claudendum? respondit, Vive, ut cras moriturus.

Dic homo, vas cinerum, quid confert flos facierum?
Copia quid rerum? mors ultima meta dierum.

Flos es? marcesces. candes? in morte nigresces.
Audis? surdesces. formidas nulla? pavesces.
Hæc lege, lecta tene, lachrymis laxentur habenæ,
Ne pateat pœnæ tibi janua, tempore cœnæ.

Caput XXVII.

Divini numinis timor, ac pietas in corde Principis, & semen ejus benedicetur à Domino.

FIRMAMENTUM Regni timor Domini. usque eò Imperia floruêre, quousque sacras leges fideliter coluêre. Deus enim piorum amator, conatûs illorum prosperare solet, eventuque felici illorum consilia claudere. Proinde Salomon Rex potentissimus, dum coluit Deum, quid mirum, si cuncta pro votis habuit? ut à cultu Deï defecit, mox & Regnum ruere cœpit. sic divina referunt monimenta, Quia præcepta mea non custodisti, quæ mandavi tibi, disrumpens, scindam regnum tuum, & dabo illud servo tuo. Quoniam ad firmitatem Imperii, dux pietas, probitasque; ad imbecillitatem impietas, & improbitas semper fuit. Hinc omnium calamis, & vocibus laudanda Severi Imperatoris morientis verba, Firmum Imperium meis relinquo, si boni erunt; si mali, imbecillum. Noverat hoc & Theodosius, qui (Nicephoro teste) unicum verbum pro testamento filiis reliquit, sed gravissimum, nempe, Pietatem colerent, nec aliud. quasi in illa sola universa imperii moles verteretur. Sciebat enim prudentissimus Princeps, quod timentes Deum, Deus ipse defendit; imò ad eorum tutelam, quasi scutum se opponit. nonnè ad

Abraham servum suum fidelem dixit: Ego pro-
Gen. c. 15. tector tuus sum? at textus Hebræus quomodo legit? Ego scutum tuum. Percurramus quæso divina oracula, tunc dicite, ô Principes, quomodo Abrahamus trecentis tantùm decem & octo vernaculis, quatuor Reges simul prostravit? non arma hos, non miles, pietas fudit. Moyse manus in oratione protendente, Amalechitas vincit Israël; lassas remittente, vincit Amalech, Israël nullum stravit hostem. pro ferro, Moysis fuerunt preces. audiamus verba magni ducis Iosuë, fiduciæ plena, Sol contra Gabaon, ne movearis, Iosue c. 10. & Luna contra vallem Ajalon; steteruntque Sol, & Luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis, quis non miretur? obaudit cœlum homini. stant sidera, lapides pluunt, ut pro milite, lapis de cœlo Israëli esset in vindictam. Quorsum tot portenta? toto corde colebat Deum, & Deus voluntatem timentium se facit. Quid de Gedeone? nonne trecentis tantùm militibus stipatus, Reges Zebee, & Salmana cum quindecim armatorum millibus funditus delevit? quodnam prodigium huic simile? de cœlo, non de trecentis victoria venit. proinde dicitur, Gladius Domini, & Gedeonis. Quid de Samsone, qui in asini fortuita mandibula, cùm reliqua deessent arma, mille Philistæos prostravit? cœli, non mandibulæ victoria fuit. Quid de Machabæis, qui quot prælia gesserunt, tot portenta visa fuere? qui nullâ propè manu tot Regum victores fuerunt? pietatis fuere cultores, ideo protegente manu Deï, semper victores.

Nec pigeat annales Imperatorum, & Regum evolvere, & videbitis victricem manum Deï super timentes eum. Quomodo Constantinus de Maxentio

xentio tot nobiles retulit victorias? Crux illi, aquilæ fuerunt, quâ unâ, hostibus animos ademit, suis dedit. O militem verè pium! proinde in bello cœlitus prosperatum, de illo enim memoriæ proditum est, quod cùm juxta Danubium debellare deberet adversùs hostes acerrimos, copiosè congregatos, pericula sui exercitûs cogitans, timensque plurimam sanguinis effusionem, oculos ad cœlum levavit, & in somnis vidit, ad orientalem partem, signum crucis in cœlo, Angelosque adstare sibi dicentes: Constantine in hoc signo vinces; qui tali visione confortatus, similitudinem ipsius ex auro fecit, additâ inscriptione; Jesus Christus vincit; & ante exercitum ferri jussit, moxque irruens in hostes, ipsos in fugam convertit, & multitudinem maximam interfecit. Quomodo de Licinio Gallicanus triumphavit? qui Ioanne & Paulo monitoribus, cùm se voto, Deo obstrinxisset, hostem mox fregit, victoriam retulit, Imperium Constantino firmavit? non fregerunt Licinium arma, fregerunt vota, omnibus armis validiora. Quomodo Eugenium robore exercitûs adeò potentem vicit Theodosius? quia martyrum monumenta imperatoriis stagnantia lachrymis, orationibus pulsata, viro pio pro armis fuerunt. Cùm enim in duro hostium procursu suos inferiores sensisset, projectis armis, invalido planè munimento, flere purpuram docuit, terram verrere, inde supplici ad Deum dexterâ, ventos evocavit, qui hostilia in jaculatores suos retorserunt tela. stationem Solis olim Josuë imperavit, & impetravit. Theodosius novo prodigio ventos in subsidium evocavit, quorum famulatu, eâdem quâ venerunt viâ, tela redirent. hinc armatus Eugenius in exarmati Imperatoris manum venit.

Euseb. de vita Constantini lib. 1 c. 11.

Niceph. li. 8 hist. eccles. c. 12.

pro lorica & armis, cilicia, preces, & lachrymæ Theodosio fuerunt; pro milite, Deus. Vitreum (crede mihi) ô Princeps, est omne armorum munimentum, & Martius ardor eluditur, nisi timoris divini clypeo hostilia rejiciantur hastilia: testis sit idem Theodosius Imperator, qui Maximi tyrannidem armis debellaturus, legatis per Ægyptum dimissis, sacros arenosæ regionis Anachoritas summis precibus exoravit, ut se pugnante, Moysis exemplo, ad cœlum manûs, oraque attollerent, tum sanctissimi Eremicolæ Sinuphii super humerali sibi pro lorica imposito, & senili ejusdem baculo, quasi lanceâ dexteram adarmans, pius ac strenuus Imperator, inter ferream telorum grandinem, universo cum exercitu, ita illæsus evasit, ut incruento milite, hostilia agmina victor cruentarit. Sed quid profana loquor imperia? sacrum Ecclesiæ Regnum, nonne aliqua ex parte labefactari videretur, nisi heroïcis Religiosorum laboribus, quasi validissimis columnis solidaretur? testis Innocentius eo nomine tertius Pontifex Maximus, cui in quiete Lateranensis Basilicæ moles ruitura videbatur, nisi opportuno Divi Francisci Atlanteos humeros suggerentis auxilio suffulciretur. Catacalus Michaëlis exercitûs ductor, quomodo Sarracenos Siciliâ expulit, qui nobilissimum Regnum miserâ premebant servitute? quia sacrato Christi corpore se suosque firmavit. armis firmatam gentem frangere desperaverat Catacalus, fregit sacratissimâ Dominici corporis sumtione, quâ hosti exitio, sibi, suisque pro ferro, & milite fuit. Ladislaüs Poloniæ Rex, quomodo Russos, populos potentes, profligavit? oratione duce, comite pietate. adesse Rex debuerat, ac exemplo ad audendum præire, præivit pietate.

tate. nam templum ingreſſus alliditur terræ, lachrymis pugnat, & expugnat abſens hoſtem, ſicque regiæ lachrymæ exercitum ducebant, Polonos tutabantur, hoſtem proſternebant. plùs proinde abſentis preces, & lachrymæ, quàm præſentis arma potuerunt. Quomodo Hungaros acerrimos fideï hoſtes Henricus auceps Imperator debellavit? non telis, ſed inclamante ante pugnam univerſo exercitu Kyrie eleiſon; inde conſueta hoſtibus pendi vectigalia, vertit in pauperes, quo teſtatius Orbi eſſet, cujus dexterâ victoria ſtetiſſet. Egregium nec ullis retro ſæculis auditum facinus Venceſlaï Bohemiæ ducis quis non admiratur? arma in hunc Radiſlaüs Gunienſium Princeps moverat, & utrinque exercitus ſtabat. at Bohemiæ dux inſontem utrinque populum miſeratus, Radiſlaum ad ſingulare provocat certamen, lætus ille conditionem accipit, prodit Venceſlaüs cilicio tectus, cui loricam injecerat, dexteram gladius armaverat, magis etiam crux, cujus ſigno ſe muniverat. Radiſlaüs autem cataphractus, animis, viribuſque fidens, prævalidam haſtam cominus toto corpore intorquebat, cùm ſubito cœlo vox data, Ne ferias. Stetit attonitus Radiſlaüs, inde arma projicit, pedibus denique Venceſlaï provolvitur, victorem agnoſcit, audaciæ veniam deprecatur. tunc Venceſlaüs cum ingenti utriuſque exercitûs gaudio, irruit in ſupplicis, ex hoſte amici, amplexûs. Quid in hac pugna egit triumphum? an arma? an miles? an robur? plus hîc cilicium, quàm arma valuerunt. Scitè admodum ſcripſit ſapientiſſimus Rex Salomon, O quàm magnus, qui invenit ſapientiam, & ſcientiam: ſed non eſt ſuper timentem Dominum. quoniam nihil deeſt timentibus eum. Hinc florentiſſima Gallia

ſub Clodoveï, Childeberti, Pipini, Ludovici, & aliorum Regum temporibus, qui proinde Chriſtianiſſimi cognomen adepti ſunt, quia Sedis Apoſtolicæ acerrimi defenſores, divini numinis cultores, & veræ pietatis exempla. Clariſſima Germania ſub Carolo Magno, & aliis fideï Catholicæ propugnatoribus. Feliciſſima Auſtria, ſub Leopoldis Chriſtianæ pietatis amatoribus. Fortunatiſſima Anglia, ſub Eduardis Romanæ Eccleſiæ egregiis protectoribus. At inter cæteros orbi dominantes, felices Hiſpaniarum Reges, quibus feliciter omnia cadunt, quia ſemper timorem Deï præ oculis habuere. Prodeat in primis Rex Siſſebutus, ſcientiis eruditus, belli potens, moribus ſanctus, quem Divus Gregorius religioſiſſimum appellat. hic ardenti æſtuans ſiti à Judaïcæ perfidiæ labe totam Hiſpaniam emundari, ab ea omnes Judæos primus relegare cœpit: cujus pietatis æmulator extitit ſucceſſor ejus Suinthilla; extremam deinde manum appoſuere Reges verè Catholici, Ferdinandus, & Iſabella, qui nihil pendentes magni momenti tributa, Mauros ab Hiſpania conati ſunt pro viribus expellere; maluerunt ærarium minui pii Reges, quàm perfidæ gentis vectigalibus creſcere. Sed hæc pietatis dona in illis ac poſteris divite dexterâ abundè compenſavit Deus, quo munere? novi orbis incremento. ignorabant alterum orbem arma, pietas invenit, & dedit. Nec ardens zelus priſcorum Regum, vel tantillum tepuit in noviſſimis eorum ſucceſſoribus. ſiquidem Carolus Quintus perpetuis encomiis celebrandus, Auſtriaci ſeminis nobile germen, cùm in Saxonica pugna Chriſti de cruce pendentis effigiem, impio ab hoſte glande trajectam vidiſſet, in hæc verba prorupit Princeps verè

Greg. li. 7. epiſt.

pius,

pius, Ulciſci hanc injuriam Chriſte potes, protendenſque dexteram lachrymis madentem, ait, Hac vincere Chriſte potes. & mox ſecuta victoria eſt, hoſtiumque duces in Cæſaris poteſtatem venerunt. Quid? nonne Solimanum ſtrenuum in bello ducem, ad turpem fugam coëgit? nonne Tuniſium viriliter expugnavit? nonne Algerii potentiam generosè compreſſit? ſed quibus ducibus? pietate & fide. Philippus Secundus in tractando imperii clavo nulli ſecundus, Regni & gloriæ paternæ hæres, nonne draconem orientalem marinis fluctibus gloriosè ſubmerſit?Philippus itidem Tertius Hiſpaniarum Rex inclytus, nonne omnes Agarenos tanquam Catholicæ fideï hoſtes,ab omnibus ſuis Regnis tam prudenter,quàm religiosè,hac noſtrâ tempeſtate exturbavit?quid? nonnne ferunt multoties dixiſſe, Mallem regnis omnibus privari, quàm Deum ſemel injuriâ afficere. ô heroës inclyti æternâ memoriâ digni! Quæ unquam natio, ut ingenuè fatear, tot Regna ; & Provincias incognitas invenit, ut Hiſpania? Quæ gens vexillum Crucis,& Chriſti gloriam nuntiavit inſulis, & remotiſſimis regionibus, ut Hiſpania? hæc in Indias fidem deduxit. hæc in fines Orientis, & Occidentis ſanctæ fideï nomen coram Regibus, & gentibus portavit. hæc in remotiſſimos Japonios, & Sinas penetravit, & gloriam Chriſti inter illos poſuit. Sed quid? nonne annis proximè elapſis, tres Principes legati venere ad urbem uſque Romam, ut obedientiam Chriſti Vicario præſtarent?Venerunt autem ex Japone,inſula maxima,& remotiſſima,quæ ab Hiſpania diſtat ſex mille leucas, quos ſummâ gratulatione Gregorius XIII, Pont. Max. ſuſcepit, & Xyſtus Quintus humaniſſimè tractavit, & pluribus decoravit muneribus. Porrò tantum,

& tam insigne opus, à quibus perpetratum? Patres Hispani hoc perfecerunt. Patres, nimirum, è Societate Jesu, qui in insula Japonia Christi fidem prædicantes, Principes, Reges, Provincias Christianæ fideï fideliter subjugarunt. ô Societas planè singularis, verè admirabilis, quæ tam brevi temporis intervallo universum mundum peragravit, indies ubique crescit, & in vinea Domini fructum affert uberrimum. De hac jure quidem potest dici, quod de Ecclesia dixit Augustinus, Aut miraculis crevit, aut sine miraculis si miraculis, utpote à Deo factis, opus Deï esse comprobatur, sancta ergo est. si sine miraculis; hoc est maximum miraculorum, quod tempore misero, quando charitas friget, & iniquitas abundat, hæc sancta Societas tam feliciter, & tam copiosè creverit. hujus Societatis præclaros viros Jo. Federicus appellat cœlestes nuntios. Explicans enim verba illa Isaïæ; Ite Angeli veloces ad gentem convulsam, & dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius; monet instare jam finem mundi, quia omni nationi prædicatum est Euangelium, dicit etiam hos veloces Angelos, quos Deus mittit, esse Patres Societatis Jesu, qui ad extrema Africæ penetraverunt, & usque ad Orbis fines pervenerunt. dicuntur Angeli, hoc est nuntii, eò quòd maximarum rerum legatione funguntur. veloces autem sunt, quia & devotione, & spiritu alacres, per vastissimi maris pericula, in alium amplissimum Orbem convolarunt. de quibus etiam explicat illud Isaïæ; Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas? nubes vocat, propter celerem obedientiam, & propter contemplationem, quâ in altum elevantur; columbas autem, quia fellis acerbitate caret hæc pacifica Socie-

Jo. Federic. Lumnius de extremo judicio & Indorum vocatione li.2, c.6.

Isa.c.18.

Societas Jesu, quo nihil mirabilius. isti tanquam nubes volarunt in omnes fines terræ, quorum stillicidiis inebriatur Germania, salutiferæ doctrinæ pinguedine repletur Anglia, floret Gallia, triumphat Hispaniâ. sed qua institutione, tam præclara facinora perfecerunt? quia in timore Domini altissimum posuere refugium, Regum Hispanorum benignâ adjuvante clementiâ. Proinde non mirum, si Deus omnium moderator tot beneficiis, & in pace, & in bello eos cumulavit, ac indies cumulat, eorumque dominia extendit, ab ortu Solis usque ad occasum. Quapropter divinum numen colat, & timeat Princeps, non eo tantùm nomine, quia Christianus, sed etiam ratione statûs conservandi. Populi namque seditiones non audent excitare: existimant enim Deum sibi propitium fore, ut clarè constat Ægyptiorum testimonio; qui cùm viderent, potentiâ cœlitus demissâ, se demergi in profundum maris, dixerunt ad invicem, Fugiamus Israëlem, Dominus enim pugnat pro eïs contra nos. hinc Philosophus docebat, Principem debere esse deïcolam, quia tunc homines solent timere Regem, quando vident ipsum timere Deum. Est enim formidabilis miles, in cujus dextera pugnat Deus; ideo inimici David exclamabant: Deus dereliquit eum, persequimini, & comprehendite, quia non est qui eripiat. hinc perspicuè colligas, nihil esse imbecillius homine, à quo recedit Deus. proinde reprobus Caïn timebat dicens; Ecce projicis me hodie à facie tua, omnis qui viderit me, occidet me. quem times? quis te occidet? an pater Adam? an mater tua Eva? nullus alius est in toto orbe terrarum, qui te possit occidere? timebat Caïn duram illam Deï desertionem. nam quando alii deficerent, vel

Eod. c. 14.

Arist. lib. 1 polit. c. 11.

Psal. 70.

Gen. c. 4.

ipsi lapides in eum insurgerent: at contrà, nihil fortius homine, in quo Deus est, divino præcone acclamante: Omnia possum in eo, qui me confor-
Judic. c. 6. tat. si Deus tibi adest, omnia habes. dixit Angelus Gedeoni; Dominus tecum virorum fortissime:
Philip. c. 4. mox ipse respondit; Si Deus nobiscum, quomodo tot mala? quasi innueret, ubi Dominus, omnia bo-
Psal. 22. na. hinc confidenter exclamabat David: Non timebo mala, quoniam tu mecum es. quare Beatissima Virgo gratiâ plena? quia Dominus tecum. Huc apposité facit quod Lucanus memoriæ prodidit, nimirum, Cæsarem dixisse nautæ, qui dicebatur Amiclas, timenti & expallescenti, quia ma-
Sueton. in Cæsare. re intumescebat. Quid times? Cæsarem defers, & fortunam ejus, & times? pone, pone timorem, quoniam fortuna Cæsaris tecum est. hoc idem & potiori jure dicendum est homini justo. Quid times? nihil tibi deerit, quia Dominus tecum. at si quispiam diceret; nonne Deus in omnibus rebus? hoc est enim placitum theologicum ab omnibus receptum, quod Deus est ubique per essentiam, præsentiam, & potentiam. per potentiam quidem, quia omnia subduntur Deo. per præsentiam, quia omnia nuda sunt oculis ejus. per essentiam, quatenus adest omnibus rebus, ut causa essendi. Responsio in promtu est, quoniam est quidem in omnibus, sed dicitur præcipuè in justis per gratiam, quâ privatur homo ob peccatum mortale, quâ privatione nihil infelicius. quod experimento probans David, lachrymarum imbres sine intermissione fundebat. & interroganti, cur ploras Da-
Psal. 42. vid? confestim respondebat; Quia dicitur mihi
Matth. c. 26. quotidie, ubi est Deus tuus? Petrus egressus foras flevit amaré. quamobrem? quia negavit Dominum suum. Magdalena plorabat juxta sepulchrum,

chrum. dicit Angelus; Mulier quid ploras? Tulerunt Dominum meum, & tu dicis quid ploras? & quænam major flendi occasio, quàm sine Deo esse: à quo omnia bona, & sine quo omnia mala. Proinde mentis omnino expers existimandus est, qui præsidio Deï destitutus, prosperum rerum suarum sperat eventum. Hoc apprime intelligebat Theodosius, quem paulò antè commemoravimus, qui, referente Cedreno, morti jam proximus, filiis suis lugentibus dicebat; In primis, ô filii, religionem, & pietatem excolite, per quam & pax servari, & bella confici, & hostes fundi, & tropæa statui, & denique victoriæ obtineri poterunt. Quocirca Gregorius Magnus in epistola ad Reginam Galliæ, aureum hoc conscripsit apophthegma, Facite quod Deï est, & Deus faciet quod vestrûm est. quid enim tam arduum, quod non obtineat Princeps, si timeat Deum, quando ipse Deus animæ timenti non dedignatur obedire, canente Regio vate, Voluntatem timentium se faciet. Pulchre Livius, Omnia prospera eveniunt colentibus Deum, adversa spernentibus. quod sanè oraculum Pauli testimonio comprobatur. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Sed quid pluribus immoror? si Principes omnes recensere vellem, qui divini timoris clypeo muniti, in victoriis floruerunt, nec sermo explicaret, nec scribendi esset finis: nonnullos tamen, & quidem insignes nefas esset silentio premere.

Joan. c. 20. Psalm. 144. Rom. c. 8.

Joannes Comnemus Imperator, cùm adverteret suos milites graviter à Scythis urgeri, ac fortiter premi, ad imaginem Deï genitricis, quam præsentem habebat, cum gemitibus sese convertit, copiosasque lachrymas fudit: statim verò cœlesti robore armatus, Scythicam aciem profligavit,

&

& eorum turmas facilè diſſipavit. ob hanc victoriam partam vota Virgini perſolvit, vicit & Perſas, indeque triumphum egit, in quo magnificè quadriga eſt apparata, & à quatuor equis candidiſſimis ducta, Imperator verò non conſcendit, ſed Deï genitricis imaginem in ea collocavit, habenas quadrigæ viris potentiſſimis moderandas, & cognatis ſuis currum dedit curandum, ipſe crucem manibus geſtans pedibus inceſſit. de hoc Principe jure poteſt acclamari, Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Clodoveüs primus Galliarum Rex Chriſtianiſſimus, felix, & invictus in victoriis fuit. ſed quamobrem? quia in divino numine ſpem omnem reponebat, quod vel ex hoc conjici poteſt; cùm enim Arrianos ex Gallia eliminaturus exercitum comparaſſet, nuntios ad beati Martini baſilicam direxit, dicens; Ite, & forſan aliquod victoriæ auſpicium ab æde ſancta ſuſcipietis. Tunc datis muneribus, quæ locò ſancto exiberent, ait; Si tu Domine adjutor mihi es, & gentem hanc incredulam meis manibus tradere decreviſti; in ingreſſu baſilicæ ſancti Martini dignare propitius revelare, ut cognoſcam, quia propitius dignaberis eſſe famulo tuo. mox accedentibus pueris ad locum juxta imperium Regis, dum ſanctam ingrederentur baſilicam, hanc antiphonam ex improviſo Primicerius incepit, Præcinxiſti me domine virtute tuâ ad bellum, ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me, & inimicorum meorum dediſti mihi dorſum, & odio habentes me diſperdidiſti. Quod milites audientes, & Domino gratias agentes, votaque beato Confeſſori promittentes, læti nuntiaverunt Regi. hoc ſigno gaviſus, fretuſque Clodoveüs, victoriâ, Deo cœlitus mirabiliter adjuvante, potitus eſt. de hoc

Gregor. Turon. lib. 2. c. 37. hiſt. Francorum.

Pſal. 17.

hoc Principe verè pio, Vates regius exclamavit ſpiritu prophetico, Hic accipiet benedictionem à Domino.

De Othone Imperatore, nonne litteris traditum eſt, eum in ſuis eventibus ferè ſemper proſperatum? ita plané. ſed non in curribus, & in equis, ſed quia nomen Domini ſupplex invocabat. Comes quidam, referente Luitprando, tunc prædives, & potens, erat cum eo. hic autem videns quàm plurimos ex regis acie transfugas fieri, apud ſe cogitabat, quidquid à Rege in hac tribulatione poſito, petiero, ſine dubio impetrabo, cùm acre bellum nobis immineat, & ne ſe deſeram, timeat. ſupplicat ergo, ut Abbatiam quandam ditiſſimam ſibi concedat, ut ex ejus reditibus milites aleret, eïſque ſtipendia ſuppeditaret. Rex coram circumſtantibus viriliter reſpondit: Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus: ſcriptum eſt enim, nolite ſanctum dare canibus. darem autem ſanctum canibus, ſi monaſteriorum prædia, quæ religioſis viris, Deo militantibus ſunt tradita, tulero, & ſæculo militantibus dedero. ſi tibi cordi eſt cum cæteris infidelibus avolare, quantò citiùs, tantò meliús. tunc erubeſcens Comes, & ad Regis pedes corruens, ſe graviter deliquiſſe confeſſus eſt. hoc autem feciſſe ſui fratris intuitu, qui eï Regnum auferre moliebatur. at quia Rex ſanctus conſtanter in ſuo propoſito permánſit, idcirco Deus ita ejus victoriam proſperavit, ut etiam frater nudis pedibus ſupplex miſericordiam imploraret.

Luitprandus Ticinenſis hiſt. li. 4. c. 15.

Act. c. 5.

Nec minùs mirandum, quod ſcribit Jacobus de Vitriaco ex Canonicis Regularibus ad Cardinalatum aſſumtus, refert enim pro muris Antiochiæ paucos Chriſtianos contra innumerabiles barbaros pugnaſſe, & expugnaſſe: ſed quâ arte

instructa

Iacob. à Vitriaco Cardin. in histor. Orient. lib. 2. c. 19. Paul. Emilius lib 4.

instructa erat acies? Lanceâ Salvatoris pro vexillo præcedente, vix nostris ab urbe egressis non in humana virtute, nec in pugnantium multitudine, sed tantùm in Domino confidentibus, ecce ros de supernis infusus consolatione mirabili ipsorum animos exhilarans, equos debiles, & jam ferè deficientes, subito robore suscepto, miraculosè confortavit. ex quo factum est, ut nostrorum exercitus innumeram infidelium multitudinem audacter aggrediens, & brachio forti pugnans, divino protectus adjutorio, gloriosè de hostibus triumphârit, aliis gladio trucidatis, aliis terga vertentibus, & equorum velocium præsidio fugâ elapsis.

Sed quid? non veritatem istam, præclaro testimonio satìs superque comprobavit pugna illa navalis adversùs Turcas apud Naupactum memoratu digna, & auditu jucundissima? Cùm Selimus Turcarum Imperator, Cyprio Regno paucis ante diebus expugnato, universum Ionium, atque ipsum Adriaticum sinum ingenti classe infestaret, omnium ferè Principum Christianorum classes, qui ad communis hostis bellum reprimendum, in unum conspirarant, Joanne Austriaco, Marco Antonio Columna, & Sebastiano Veniero ducibus, tandem Nonis Octobris, Turcis occurrunt. Tunc barbarus, & recenti victoriâ terrestri ferox, & quòd fideles, numero militum longè superaret, se invictum existimans, classem summo manè educit, & aspirante vento dat pugnæ signum. præstant idem, & quidem strenuè Christiani duces, quippe, qui majorem in Deo, quàm in viribus, spem collocatam haberent. Itaque ingenti clamore, & tormentorum fragore, undique concurritur. sub ipso verò pugnæ initio, tanta vento-

rum

rum mutatio consecuta est, ut jam fidelibus aspirarent, qui ante reflarant venti. Quare eodem die paucis horis dejiciuntur Turcæ de spe totius orbis Imperii, quam antea temere conceperant, & universa classis, præter quindecim triremes, quæ duce Occhialivo turpiter in principio pugnæ fugam arripuerant, partim capitur, partim obruitur, extendente manus ad cœlum, quasi altero Moyse, Pio Quinto, tunc Cymbam Petri feliciter gubernante, & universo populo Christiano acclamante, Dextera Domini fecit virtutem. O beati omnes, qui timent Dominum. timenti enim Deum, quid deest? Vis, ô Princeps, sapientiam, ad Regnum rite administrandum, ut postulabat Salomon; Da mihi Sap. c.9. Domine sedium tuarum assistricem sapientiam, ut mecum sit, & mecum laboret? time Deum, & obtinebis. Initium sapientiæ timor Domini. Vis diuturnam vitam in Regno protrahere? time Deum, & voti compos eris. teste Regio vate, Vis vitam, & dies videre bonos? diverte à malo, & fac bonum. Quapropter si longa, & jucunda vitæ tempora exoptas, desine peccare, & feliciter vives. ita pulchre consuluit Poëta,

Cur multum peccas, si multum vivere curas?

Hinc interrogatus olim Thales, quodnam rarum vidisset? Senem tyrannum, respondit. Vix enim quenquam illorum canescere, aut ad extremam senectutem pervenire videmus. idem mihi de peccatore fas sit dicere, unum esse de rarò contingentibus, hominem improbum ad decrepitam ætatem pertingere, cùm peccata plerumque filum vitæ præcídant, sic attestante oraculo Regio, Viri sanguinum & dolosi, non dimidiabunt dies suos. Quod Psal. 5. quidem provenit, tum ex justitia, ne alios pravo exemplo inficiant, Succide arborem, ut quid ter- Luc. c. 13.

ram

ram occupat? tum etiam ex misericordia, ne addendo peccata peccatis, graviùs in inferno puniantur. cui veritati multæ accedunt auctoritates. primo loco se offert Jobus Rex orientalis, qui interrogatus, quid illi eveniet, qui delicta delictis annectendo, diu perdurat? Antequam, ait, dies ejus impleantur, peribit, manus ejus arescet, & lædetur quasi vinea in primo flore. secundo loco accedit Rex Salomon, qui, patris ad instar, monet, & obsecrat, dicens; ne impiè agas multum, ne moriaris in tempore non tuo. Nec deest gravissimum sacræ historiæ testimonium. Moyses historicus Regius describens tempus, quo duraturus erat mundus, habet hæc verba; Erunt dies illius centum viginti annorum. quæ verba explanans Strabo, inquit, ante diluvium centum & viginti anni concessi fuerunt homini ad agendã pœnitentiam, sed quia in malitia perstiterunt, omnis quippe caro corruperat viam suam, ante præscriptum terminum centesimo anno deleti sunt. sed quid? nonne idem historicus refert Cham filium Noë à patre appellatum secundò-genitum? Porrò cùm surrexit à somno, & advertit se derisum à filio, non ampliùs appellat eum secundò-genitum, sed tantùm dixit: Cùm vidisset Noë, quæ fecit filius suus minor. sed quomodo minor? si duo tantùm fratres fuissent, nulla utique difficultas esset; secundus enim proculdubio esset minor, sed cùm tres fuerint, quomodo poterit esse secundò-genitus, & minor? dum absque delicto vitam degit, vocatur secundò-genitus; sic enim exigit jus naræ: at vix in peccatum prolabitur, quod statim consurgit minor, hoc est, paucorum annorum. Nec silentio prætereundum memorabile factum, huic instituto valde accommodatum, quod refert

Job c. 15.

Eccles. c. 9.

Gen. c. 6.

Gen. c. 9.

Bernar-

Bernardinus Senensis, & contigit tempore suo in Regno Cataloniæ. Adolescens quidam, ait, adhuc imberbis duo & viginti annorum, parentum non parens monitis, tandem ob latrocinia patibulo suspensus est. ibi mox eï succrevit, populo inspectante, barba, ac sensim cum capillo incanuit, ipsaque facies decrepitum senem exhibuit nonagenarium. stupent omnes, intenti ora tenent, alternis vocibus clamant, Quid est hoc? quodnam portentum? Porrò Episcopus loci, oratione præmissâ declaravit malefactorem illum usque ad senium pervenire debuisse, sed in flore juventæ fuit sublatus, quia in paterna obedientia non se continuit, & nefandis facinoribus deditus erat; quæ stimulum morti præbuere, ut curreret ante præscriptum tempus. sic enim ait Paulus; stimulus mortis peccatum. simile de Anastasio Imperatore narrat divus Antoninus, apparuisse illi horribili specie virum cum libro, in quo scriptum erat, En ob tuam improbitatem quatuordecim annos vitæ tibi delebo. Eia igitur, Princeps, qui vitam diuturnam exoptas, vide, ne impiè agas multùm, ne moriaris in tempore non tuo. D. Bernardin. Sen. to. 2 in Quadrag.

Vis populum obsequentem, & ad nutum tuis legibus obtemperantem? divinus timor sit comes individuus, quia timentem Deum omnia timent, at si deficis à Deo, à te quoque omnia deficient. Quorsum creaturæ homini obedire detrectant? quia ipse Creatori obsequi repugnavit. olim justitiæ originalis auxilio omnia inferiora subjecta erant, & semper fuissent homini. Cæterùm Adamo peccante, & appetente propriam excellentiam & dominium, quod non habebat, perdidit dominium quod habebat, rebellando enim suo superiori, omnia inferiora rebellaverunt sibi. terra ince- Ægid. 2. dist. 22. q. 1, a. 2.

pit deficere, ſpinas & tribulos germinando. caro incepit rebellare, quia ſtatim ſenſit in membris ſuis aliam legem repugnantem legi mentis ſuæ. animalia omnia inceperunt repugnare, quia facta ſunt ſicut ſilveſtria; & dum vident hominem, non ſolùm eï non obediunt, ſed quantùm poſſunt ab eo fugiunt; & ſi ad eum aliquando veniunt, hoc faciunt, magis ad nocendum, quàm ad proficiendum. & licèt habeamus aliqua domeſtica, hoc eſt, ex quadam aſſuetudine, domando ea, ſic enim ſæpe faciendo, adgeneratur in eïs quædam conſuetudo, quæ eſt altera natura. Quod ſi aliquis inſurgat dicens, ſi creaturæ irrationales poteſtatem habent nocendi rationalibus, igitur creatura rationalis non præeſt, ſed ſubeſt; quod enim nocet, poteſtatem habet ſuper alterum, cui nocet; huic objectioni ita ſatisfaciam. verum eſt, quod creaturæ irrationales poteſtatem habent nocendi rationalibus, & in hoc præferuntur eïs: hoc autem non eſt ex prima inſtitutione, quia dictum eſt de homine, ut præſit volatilibus cœli, & beſtiis terræ; ſed eſt, ratione pœnæ peccati, ut quia non ſervavit homo voluntariam & debitam ſubjectionem reſpectu ſui ſuperioris, nec debita ſubjectio ſervaretur à ſuo inferiori. Si cupis itaque, Princeps, populum tibi fideliter ſubjectum, ſubjice te Deo, & voti compos eris. Filiorum tuorum felicem exitum videre deſideras? in Deï timore tibi vivendum eſt, ne filii perdantur iniquitate patris: ſic enim divina teſtantur oracula, Ego ſum Deus zelotes, viſitans peccata patrum uſque in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me. Si autem aliquis objiceret, filius non portabit iniquietatem patris. talis reſponſio ſatisfaciet. hoc quidem verum, ſi loquamur de bonis ſpiritualibus,

Alex. A. lenſis 2. p. q. 17. m. 2.

Gen. c. 1.

Exod. c. 20.

bus, quoniam scelera parentum non officiunt filiis; non enim filius damnabitur pro peccato patris, sed pœnas dabit in bonis temporalibus. in pœnam patris, quatenus filius, est quædam res ejus. Vis denique, ô Princeps, exitu felici diem claudere extremum? ad Deï timorem, tanquam ad tutissimum asylum confugito, & omnia succedent ex votis, sic divino acclamante oraculo, Timenti Deum bene erit in extremis. Siquidem Deus sic morientem, tanquam unicè dilectum osculatur. mortuus est Moyses in osculo Domini. Verum est enim illud adagium, Bona vita, bona mors. Huc perbelle faciunt nobilis Thecuitis aurea verba, Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur super terram. Cur quæso, sicut aqua, non sicut oleum? Si vas oleï effunditur, sedulò colligis, at si aquam spargis, nihili facies. proinde Vates ille dicebat; Effusus sum sicut aqua. dilabitur ergo homo, sicut aqua, quia mortuus à cunctis derelinquitur, non enim ejus odor sustineri potest.

D. Th. 1. 2. q. 87.

Eccl. c. 1.

Psal. 21.

Non redolet, sed olet, quod redolere solet.

Sed aliam hujus loci explicationem afferunt Doctores, præsenti instituto magis consonam. aqua, juxta placitum philosophicum, neque dulcis neque amara; sumit verò qualitatem à meatibus, per quos transit. hinc aqua Ticini limpida, quia per terram arenosam transit; aqua Padi turbida, quia per terram luteam transitum agit. ita plane, si vitam recte institutam mors reperit, optima mors erit; Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. si vita malè acta, misera mors, Mors peccatorum pessima.

Ps. 115.

Psal. 33.

Hoc bene noverat perditissimus Nero, Nam moriens exclamavit; Turpiter vixi, turpiter mo-

Iob.c. 9. riar. Huc allusit oraculum Jobi; Dies meï transierunt sicut naves poma portantes. bene navis, vita hominis, quoniam celeri cursu fugit, & quasi ventus volat; Memento Domine, quoniam ventus est vita mea. sed quare sicut navis portans poma? cur non aurum? cur non sericum? hæc merces facilè putrescit, proinde mercator sollicitat nautas, ut remis, velisque contendant ad portum, quasi dicat, periculum est in mora. Porrò vix navis appellit, vix funibus alligatur, vix jaciuntur anchoræ, & confestim navis exoneratur. Quid autem remanet? solus odor, prætereanihil. Si fructûs sani, fragrans odor; si jam putruerunt, fœtidus & insuavis. sic nobis prorsus continget. si bene vixerimus, in Domino moriemur. O magna Regni felicitas, cujus Princeps in corde radicitus imprimit divini numinis timorem: nam vivens quotidianam accipiet benedictionem à Domino, & moriens accipiet coronam vitæ nunquam morituræ. Quomodo Ambrosius ille Spinola, Catholici exercitûs apud Belgas generalis Præfectus, & Mediolani Moderator integerrimus, cujus magnum robur in armis, & in pace probata fides, quomodo, inquam, tot celebres victorias retulisset, nisi divino numine invocato, comite judicio? O dux invictissime, ætatis nostræ decus eximium, tu per virtutis semitam incedens, facilem tibi aditum aperuisti ad perpetuam tui nominis celebritatem. de te jure optimo liceat mihi dicere,

(Margin note beside "tus volat": Iob.c. 7.)

Hic est Ambrosius, quo non præstantior alter,
Spinola bellipotens, cætera fama canit.

Claud. Parad. Ad hunc scopum dirigebat cogitationes suas, tanquam sagittas, insignis illa Navarræ Reginæ Margarita, proinde pro stemmate gerebat heliotropium, additâ inscriptione, Non inferiora sequor. quod

quod perinde fuit, ac si dixisset, Quemadmodum herba solaris, Sole oriente folia pandit, occidente claudit,& quò Sol convertitur, ipsa quoque gyrum agit; ita Christianus Princeps, in Solem justitiæ oculos assiduè defigat, ne freno divini timoris destitutus, prolabatur in præceps, sic admonente regio Vate, Contritio & infelicitas in viis eorum, Psal. 13. viam pacis non cognoverunt. at quorsum tot mala? non est timor Deï ante oculos eorum. Hinc scitè admodum scripsit Augustinus Catholicæ Ecclesiæ decus & ornamentum. Nos non ideo felices dicimus Christianos quondam Imperatores, quia diutiùs imperarunt, vel imperantes filios placidâ morte reliquerunt, vel hostes reïpublicæ domuerunt, vel inimicos cives contra se insurgentes, & cavere, & opprimere valuerunt: hæc enim, & alia id genus ærumnosæ vitæ, vel munera, vel solatia quædam, etiam cultores dæmonum accipere meruerunt: sed eos re verâ felices dicimus, si justa imperant, si se homines esse meminerint, si potestatem suam ad Deï cultum dilatandum dirigunt, si Deum timent, diligunt, colunt; si plùs amant Regnum illud, ubi non timent habere consortes. Optimè noverat quantum prosit, & conveniat Principi, timere Deum, Ludovici Galliæ Regis Blanca Regina parens, idcirco frequentiùs verbum illud repetebat: Mallem, fili charissime, mortem te subire corporalem, quàm ut unico peccato mortali tuum offenderes Creatorem. Quod piæ matris verbum, usque adeò infixit animo filius optimus, ut præservante illum divinâ gratiâ, per totum vitæ suæ curriculum, ne ullum quidem mortiferum criminis contagium contraxisse dicatur. sed quo duce? divini timoris præsidio munitus; Timor enim Domini, ait Sapiens, expellit peccatum.

Aug. de Civ. Dei lib. 5. c. 24.

Clithoveus serm. 1. de S. Ludov.

nec dicatur, objectum timoris est malum, quomodo igitur timetur Deus, cùm ipse sit summum bonum? quoniam huic difficultati egregiè satisfacit Angelicus doctor, distinctione planè aureâ. du-
D.Th. 2. 2. q. 19. a. 1. plex objectum potest habere timor, quorum unum est ipsum malum, quod homo naturaliter abhorret; alterum verò est illud, à quo malum provenire potest. primò modo Deus, cum sit summa bonitas, nequit timeri. nam objectum timoris est malum, Deus autem summum bonum: Deus igitur immediatè timeri non potest. quod sic intelligitur,
2. 2. q. 34. quia motivum nullum est in Deo quare timeatur, aut odio habeatur, sed omne motivum est, quia infligit nobis pœnam, ex quo nobis displicet, ita explicat Cajetanus. Verùm secundo modo potest esse objectum timoris, quatenus ab ipso potest nobis imminere malum pœnę, & hoc in bonum nostrum, malum enim pœnæ non avertit nos ab ultimo fine, quin potiùs ad ipsum nos ducit. eodem ferè modo dicimus Deum timeri, quo dicimus odio haberi, at constat Deum, secundùm sui essentiam, ab homine apprehensum, non posse odio haberi, quia Deus est ipsa bonitas, quæ semper amabilis; si autem Deus apprehendatur ab homine per effectus, qui voluntati humanæ possunt esse contrarii, sicut inflictio pœnarum, quantùm ad hos effectus, Deus potest odio haberi. & sic intelligitur illud
Psal. 73. Regii vatis dictum; Superbia eorum, qui te oderunt adscendit semper. eodem prorsus modo; Deus immediatè, ait Divus Thomas, non potest timeri, timetur autem, ut causa mali, quatenus (ut bene advertit Cajetanus) est potens infligere malum.

Majestatem itaque Dei omnipotentis timeat Princeps, legi ejus subjiciatur, supremo legislatori obediat, tunc omnia feliciter evenient, cùm in manu

manu Dei ſint omnium jura Regnorum, & nullus unquam imperare ſciat, qui non novit obedire. hinc divinus Vates aſſiduis precibus enixè rogabat, Emitte agnum Domine dominatorem terræ. Iſa.c.16. ſed quis unquam audivit agnum orbi terræ dominantem? imperare cum leone, nemo eſt qui neſciat; at obedire cum agno, nullus omnino. Emitte ergo, ô Domine, inquit Propheta, filium tuum unigenitum, verum, & pium lègiſlatorem, qui ſimul & dominari, & obedire ſciat, ut Principes edoceantur, quomodo divinis legibus parére debeant. Ad hanc rem egregiè facit Sereniſſimi regis oraculum, Et nunc reges intelligite; erudimini, qui judicatis terram. ſervite Domino in timore, & exultate eï cum tremore. apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta. hîc autem advertas, quod ubi nos dicimus, Apprehendite diſciplinam, Felix legit, Oſculamini filium. Apud viros primarios, hoc eſt in more poſitum, quando Regni ſucceſſor excipitur, in ſignum ſubjectionis manum ejus oſculari. hunc planè morem inſinuans divinus Vates, inquit, oſculamini filium, Jeſum nempe, cœlorum terrarumque Regem timete, obſequium illi & corde & opere præſtantes. Pſal.2.

Utinam Principes noſtri temporis, ex hoc veritatis fonte aliquando potarent, non enim ita vitam traducerent, quaſi exiſtimantes omnia ſibi licere, Dionyſii tyranni filium imitantes, qui cùm à patre corriperetur, quòd Syracuſani cujuſdam uxori vim intuliſſet, diceretque indignatione furens, Audiſti unquam hujuſmodi facinus à me perpetratum? cui ſtatim filius, Sed nunquam patrem Regem habuiſti. quaſi innuere vellet improbus ille Princeps, quod omnia ſibi licerent, quia filius Fulgoſ. li.7.c.3.

Regis, Cùm tamen in maxima potentia, minima licentia esse debeat.

Principis ante oculos adsit divina potestas,
Sic firmum Imperium, sic erit alma quies.

Caput XXVIII.

Sub potenti manu Dei humiliet se Princeps, & exaltabitur Regnum ejus. At si erecto collo incedens, tanquam Deus adorari voluerit, descendet in profundum, quasi lapis.

QUAM gravi supplicio afficiantur Principes, qui humanæ conditionis obliti, divinos honores sibi temere adscribunt, impiorum Principum series hæc demonstrabit. Erexit se Angelus adversùs Deum, à cœlo empyreo est præcipitatus. exaltavit se primus parens, à terrestri Paradiso fuit expulsus. nimiâ elatione permoti filii hominum, tanquam gigantes adversùs Deum pugnare contenderunt, sed Deus divisis linguis dissipavit eos. Exaltavit se Pharao, ausu temerario dicens; Nescio Dominum. sed quid? Submersus est in mari rubro, quasi lapis. Exaltavit se impius Philistæus, à pastore inermi proprio jugulatur gladio. Exaltavit se parricida Absalon, è quercu pendens tribus lanceïs confoditur. Erexit se Adonias Regnum ambiens, vitâ pariter & Regno privatur. Intumuit Roboam hæres Salomonis, scissum est ab eo Regnum patris sui. Exaltavit se Rex Chaldæus, dicens, Quis est Deus? cum belluis tamdiu conversatus est, donec resipiscens, verum Deum agnosceret. Exaltavit se ambitiosus

bitiosus Aman, adeò, ut ab universis adorari curaverit. sed in patibulo, quod Mardocheo paraverat, ipse tandem suspensus occubuit. Exaltavit se Antiochus, nimiâ superbiâ elatus, intestinis putrefactis, vivus à vermibus corroditur. Exaltavit se Herodes Agrippa Galilææ Rex, seu potiùs tyrannus, permittens se à populo acclamari Deum, confestim percussit eum Angelus Domini, eò quòd non dedisset honorem Deo; & consumtus à vermibus, expiravit. Erexit se monstrum illud horrendum Domitianus, ad tantam insaniam deveniens, ut divinum sibi honorem attribueret. hinc in primordiis litterarum se Deum, & Dominum jussit appellari. Deus, & Dominus noster Domitianus ita mandat, unde in epistolis conscribendis, hæc erat formula: Dominus, & Deus noster sic fieri jubet. inde postea institutum est, ut ne scripto quidem, ac sermone appellaretur unquam aliter. unde quidam assentator dixit, Edictum domini, deïque nostri. sed audiamus abominationem majorem. Nonne dici voluit filius Palladis? quod si quis facere detrectasset, tanquam magni criminis reus detrudebatur in carcerem. sed quid? à suis per insidias interfectus est.

Philostrat. in Tyaneo lib. 7.

Sueton. in Domitiano c. 13.

Cajus Imperator contendebat ab omnibus coli, ut Deus, sed ob tam nefandum crimen, gladiis confossus, cum uxore & filia occubuit. Sed quid de Cosdroa Rege Persarum? hic volens ab omnibus coli ut Deus, turrim ex auro, argento, & pretiosis lapillis construi fecit, & ibidem Solis, Lunæ, Stellarum imagines collocavit, per subtiles etiam & occultos ductus, quasi Deus aquam desuper infundebat, & in subterraneo specu, equi quadrigas trahentes, in circuitu ibant, ut quasi terram moverent, & tonitru simularent, dum au-

Sueton. de Cajo c. 22.

tem tumens in throno aureo, ſic reſideret, tanquam Deus adorari cupiens, tunc Heraclius Imperator exercitum copioſum collegit. Signa cum hoſte contulit, ac tres duces Coſdroë cum tribus exercitibus ſuperavit. quibus cladibus fractus Coſdroas, in fuga, quâ trajicere Tigrim parabat, Medarſem filium ſocium Regni deſignat: ſed eam contumeliam cum Syroës major natu filius ferret atrociter, patri ſimul & fratri ex fuga retracto necem attulit, Regnum ab Heraclio impetravit. ecce quàm miſere obiit, qui ut Deus adorari ambiebat.

Nec ſilentio involvendus Caligula ille, ad ſævitiam natus. hic omnium deorum ſimulachra decapitari juſſit, & ſingulis ſingula capita, vultum ipſius Caligulæ referentia, inſerebat, ut ſolus adoraretur. ſed tale flagitium an impunitum reliquit cœlum? omnibus infenſus, proinde & omnibus inviſus, turpiter occubuit homo perditiſſimus. Contra quorum inſaniam Joannes Gerſon quondam Cancellarius Pariſienſis pulchre cecinit hoc carmine,

Vidi ego veſicam modico turgeſcere flatu,
Quæ piſis ſonuit quatuor impoſitis;
At puer unus acu pupugit, diſploſa repente,
Vilis, & abſque ſono, flaccida detumuit.

O verè amentes, nimiùm ſe ipſos amantes, qui cùm eſſent viliſſima figmenta, citò vermibus tradenda, adeò inſolenter cornuą erexere, ut ſacros honores ambirent, qui divinis tantùm numinibus conveniunt. Nonne amens Sophon Carthaginenſis, qui domi ſuæ plurimas aves humanam vocem referentes alebat, inſtruebatque non ſine magna temporis jactura, ut ſuo modo proferrent, Sophon eſt Deus. cumque illas volucres rite inſtructas cerneret, ad bene pronuntiandum. quod ambiebat,

biebat, è cavea dimittens, deïtatis illius præcones fuere, unde quotquot illas audiebant in admiratio-nem rapti, mutuò colloquentes, dicebant; Sanè Sophon est Deus, quandoquidem volucres cœli disertâ voce deïtatem illius proclamant. Nonne insana Semiramis Assyriorum Regina? hæc enim scuto suo columbam, & gladium pro stemmate insculpebat; gladio potentiam portendebat, columba vero insinuabat, se tanquam deam ab Assyriis in columbæ figura adorandam. Quid de arrogantia Maximini, qui Romanis Senatoribus suos pedes osculandos præbebat? Quid de Rege Chaldæo, qui in aurea statua effigiem suam populo proponebat adorandam? Pharao regiâ dignitate elatus, nonne dicebat, Quis est dominus, ut audiam eum, & dimittam Israël? nescio dominum, & Israël non dimittam.

Thales Milesius jam senex admirandum quoddam naturæ secretum Madritæ philosopho Sirenensi communicavit, qui cùm hoc nomine ingentes ageret gratias, rogaretque, quam mercedem pro tanto documento vellet? Satìs, inquit Thales, mihi erit, si id quod à me didicisti, cùm proferre volueris, tibi non adscripseris, sed me ejus repertorem prædicaveris. quantò magis & pleniori jure, hoc à nobis exigit Deus, ut omnia quæ habemus, non nobis, sed illi accepta referamus? à quo enim accepimus esse? à Deo, Ipse fecit nos. à quo scientiam? à Deo, Omne donum desursum est. à quo Regna? à Deo, Per me Reges regnant. Deus namque dicitur à dando, quod omnia det. si igitur omnia à Deo, cur divinos honores affectas? cur tibi adscribis, quod pleno jure competit Deo? cur non clamas? Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

O magna hominis insania, qui corruptioni obnoxius, putat tamen se deum esse. Toto quidem cœlo aberrabant, qui jumentis dementiores, nul-
Psal. 13. lum deum asserebant, de quibus Vates regius; Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. nec abs re, dixit in corde suo: si enim voce proferre ausus fuisset, omnes creaturæ contra eum insurrexissent, per universa mundi climata exclamantes, Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Quot quippe creaturas videmus, tot linguas mente concipe, quæ prædicant ore pleno, unum esse Deum, qui mare, qui terras, qui cœlum numine complet. huic reï satis appositè facit Salomonis oraculum, Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia; nempe cœlum, cujus amplexu omnia continentur, scientiam habet vocis, hoc est, habet librum apertum ad narrandum mirabilia Deï. Quid splendor Solis & Lunæ? Quid Stellarum aureus fulgor? Quid immutabilis orbium cœlestium motus? sunt voces, Deï potentiam prædicantes. Cœli enarrant gloriam Deï. Quid est aër, tot avium species recipiens, tantis diversarum vocum accentibus undequaque resonans? est vox, quæ prædicat Creatoris gloriam. Quid est mare, tam amplum, tot aquarum, atque piscium multitudine refertum? Quid terra tot floribus ornata? Quid tanta diversitas animalium? Quid denique omnes creaturæ in hoc mundi Theatro degentes? vivæ voces, quæ resonant Deum esse unum moderatorem omnium. Longè à veritatis scopo deviant & ipsi, qui plures deos posuere. Inter quos Manichæi omnium stultissimi, & jure dicuntur Manichæi à mania, quod verbum idiomate Græco significat ineptiam. isti statuebant duo principia, bonorum & malorum. pro bonis Deum, pro malis Diabo-

lum conſtituebant. Porrò, quia hoc deliramentum nituntur probare nonnullis ſacræ Scripturæ locis, perperam tamen intellectis, proinde juxta Catholicum ſenſum explicare non erit inutile. Arguunt primo ex Joanne, Vos ex patre diabolo eſtis. diabolus ergo pater malorum, non igitur unus Deus omnium opifex. Pro vera explicatione advertas, quod pater alterius dicitur aliquis dupliciter, vel quia ab eo habet ſubſtantiam, vel quia ab eo habet mores, doctrinam ejus ſuſcipiendo per imitationem. hoc modo diabolus erat pater Phariſæorum. moventur præterea ex alio loco Joannis, Regnum meum non eſt de hoc mundo. Chriſtus ergo non eſt Rex hujus mundi. Porrò non concludunt, quia Regnum Chriſti ſunt fideles, qui non ſunt de hoc mundo. ſunt quidem in mundo, ſed quaſi exulantes, & ad Regnum cœleſte anhelantes. Conantur inſuper ſuam ſententiam confirmare ex Paulo, Deus hujus ſæculi excœcavit mentes infidelium. diabolus igitur eſt deus hujus ſæculi. ſed hoc non urget, quia diabolus non dicitur deus aſſertivè, ſed nuncupativè, eo modo, quo venter dicitur deus. & tamen quis ignorat ventrem non eſſe creatorem? eſt ergo Deus unus omnium rerum creator, gubernator, & rector. In unitate quippe omnis natura conſentit, Romanos geminos unum non capit Regnum. Rex unus eſt apibus, dux unus eſt gregibus, & in armentis rector unus. multo magis totius mundi unus eſt moderator. hoc idem docuit philoſophus, Rerum natura malè adminiſtrari non vult, & multorum principatus non eſt utilis, unus ergo ſit Princeps. idem prorſus confirmat in libris de cœlo, In cauſis non datur progreſſus in infinitum, ſed ad ſupremam quandam cauſam perveniendum, à nulla alia depen-

Ioan. c. 8.

Ioan. c. 19.

2 Cor. c. 4.

Cyprianus de idol. & unitate.

Ariſt. 12 metaph. c. ult.

Arist. li. 1 de cœlo. dependentem, sed à qua cætera dependeant. idem ferè Marcus Tullius. Prima lectio, ait, quam sensus communis, & naturæ lex docet, est, unum esse Deum, à quo condita sunt omnia. Oportet, inquit Cusanus, unum esse Principem, alioquin magna oriretur confusio, quando in imperando plures concurrerent. Quando enim unquam Regni societas, aut cum fide cœpit, aut sine cruore desiit? Nonne Romanos fratres unum non capit Regnum, quos unum uteri cœpit hospitium? Nonne Antonius Getam morti tradidit? Quis Germanicum interfecit? Nero frater. Quis Titum? Domitianus. Pompejus, & Cæsar nonne affines fuerunt? non tamen amicitiæ fœdus in æmula potestate tenuerunt. hinc Poëta,

Lib. 1 de nat. deorum.

Nic. Cusanus li. 3. de conc. catholica.

Nulla fides Regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit.

Lucan. lib. 2.

In unum igitur conferendum est Imperium, quò humana gubernatio divinæ sit quam simillima. Est itaque unus Deus omnium rerum causa universalis. Unus quidem, sed cum pluralitate personarum. Fuit quidem Deus, est, & erit semper unus: sed nunquam Deus fuit solus, quia quamvis ab æterno non fuerit essentia alia, quàm divina; tamen in illa essentia, est, & fuit ab æterno personarum pluralitas, quæ à Deo solitudinem excludit, adeò ut ista propositio sit falsa; Deus ab æterno fuit solus. ista vera, Solus Deus fuit ab æterno. & hîc obiter notandum, quod si in divinis non essent plures personæ, Deus posset dici solus, hoc est, solitarius, licèt sit cum Angelis, & animabus sanctis. non enim tollitur solitudo per associationem alicujus, quod est extraneæ naturæ, nam dicitur aliquis esse solus in horto, quamvis sint ibi multæ plantæ, & animalia. pari ratione diceretur Deus solus,

Ric. 1. sent. dist. 21. q. 1.

D. Th. 1. p. q. 30. a. 3.

solus, Angelis & hominibus cum eo existentibus, si non essent in divinis plures personæ. stultos igitur optimo jure appellamus, qui non cognoscunt unum esse Deum, qui regit universa. Cæterùm longè dementiores illos esse judico, qui eò insaniæ devenerunt, ut velut divina quædam numina, & nominari & adorari ambirent, quasi Luciferi superbiam imitantes, qui erectâ cervice blaterabat, Ascendam ad Aquilonem, & ero similis Altissimo. Sed, quid ais, ô insane? nonne cognoscis te creaturam esse, non creatorem? nonne mente percipis, te effectum, non causam? Quorsum ergo illud, Ero similis Altissimo? Pro hujus loci explicatione advertendum, quod duplex assignatur à Theologis similitudo, una quæ dicitur omnimodæ æquiparantiæ; sed hanc nec Lucifer, nec primi parentes appetiere: quia talis similitudo non cadit in apprehensione sapientis, qualis est diabolus, cujus naturalis cognitio non est diminuta, ita attestante Dionysio, cujus verba sunt hæc, Divo Thomâ referente; Data sunt dæmonibus aliqua dona, quæ nequaquam mutata esse dicimus, sed sunt integra, & splendidissima, & hoc ideo quia simplices sunt, & propter simplicitatem suæ substantiæ, à natura eorum aliquid subtrahi non potest; unde naturalis cognitio in eïs non est diminuta: potest tamen tenebrosa vocari, & nocturna, quatenus in Deum non refertur. Naturalia igitur etiam in malis Angelis remanserunt integra. hinc naturaliter cognovit se non esse similem Deo, quantùm ad æquiparantiam. Siquidem nulla relatio æquiparantiæ, potest esse inter Deum, & creaturam; nam talis relatio requirit extremorum mutuam, & æqualem dependentiam: Deus autem non dependet ab aliqua creatura.

Hierem. c.14.

Dionys. de div. nom. c.4. D.Th. 1. p.q.64. a. 1.

Argent. 3 sent. dist. 5. a.4.

tura.

tura. Unde licèt similitudo reperta inter duas creaturas, sit relatio æquiparantiæ, non tamen, ut est inter Deum & creaturam. Alia dicitur similitudo imitationis, & hæc possibilis est creaturæ ad Deum, in quantum participat aliquid de similitudine ipsius, secundùm suum modum: quodlibet enim bonum, in creatura existens, est quædam participata similitudo primi boni. Potest tamen dici, quod quantum ad aliquid, Deo æquiparari appetiit, quatenus sibi inniti voluit, contemto divinæ regulæ ordine. Proinde Augustinus dicebat; Diabolus magis voluit suâ potentiâ frui, quàm Deï. Quid enim est dicere; Similis ero Altissimo? nisi, quemadmodum Deus suâ propriâ naturâ beatus est, non habens superiorem; ita ego beatus esse volo propriis bonis naturæ, nec me subjiciam ordini à superiore præscripto.

Augnst. de vera relig.

In hoc Lucifer appetiit esse similis Deo, quia appetiit, ut finem ultimum beatitudinis, id, ad quod virtute suæ naturæ poterat pervenire, avertens suum appetitum à beatitudine supernaturali, quæ est ex gratia Deï. Sunt igitur diabolo similes nefarii homines, qui variis illusionibus illecti, divinos sibi honores præscribunt. Non sic Antiochus, qui tandem morti proximus, parvitatem suam cognoscens, dixit: Justum est, subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire. Non sic Rex Israël, nam cùm Rex Syriæ Benadab, unum ex optimatibus suis Naaman nomine, leprâ coopertum, ad Regem Israël mitteret, rogans, ut salutem ejus procuraret, Rex Israël lectis litteris, & audito nuntio, iratus nimis scidit vestimenta sua dicens: Nunquid deus ego sum? ac si diceret, licèt ego sim Rex, homo tamen sum, & quidem miser.

D.Th.1. p.q.63. a.3.

4 Reg. c.5.

Cùm

Cùm Sisanni Persarum Regi quidam adulantes, pocula tantùm mellita propinantes, dicerent, se mirari, cur omnia, quæ tantus monarcha concepisset animo, non quàm primùm opere compleret, tunc modestiâ singulari, quamvis barbarus, ait; Ego Dominus verborum tantùm, & non rerum. perinde, ac si dixisset, multa quidem animo volvo, at solius Deï est, eadem in opus cogere, & exequi. Non sic Herodes Agrippa, qui improviso dolore percussus, dum sui eum deferebant, non valens per se incedere, suspirans, & gemens dicebat;En ego vester deus, ducor ad mortem. Non sic Philippus Macedonum Rex, qui humanæ conditionis memor, non se deum, sed hominem mortalem appellabat, frequentibus suspiriis inclamando, Memento Philippe, te esse mortalem. Non sic Alexander filius, qui accepto lethali vulnere, ad Principes Regni lumina mœsta convertens, dixit: Vos appellatis me Jovis filium, at vulnus hoc proclamat, me esse mortalem. Non sic Tiberius, monarcha secundus post Augustum, hic enim vetuit, se Dominum appellari, neque unquam permisit, ullum templum sibi proprium extrui, quin & nomen patris patriæ à Senatu sibi oblatum, recusavit. Non sic Octavianus Imperator, qui divinos honores sibi à Romanis tributos, quantùm potuit, respuit. Romani enim gravissimis bellis assueti, tunc autem temporis, universi Imperii quietem admirantes, id Octaviani Imperatoris prudentiæ, in Imperio gerendo, attribuebant; ideoque tanto beneficio grati, illum tanquam Deum colere, ac venerari decreverunt. ille verò non minùs pius, quàm prudens, illorum votis repugnabat, quibus tamen urgentibus satisfacturus, Sibyllam, eâ tempestate in oraculis reddendis nobilem, quid sibi faciendum

Sueton. in vita Tiberii c. 27.

Diodor. histor. Rom. c. 57.

Cornel. Tac. lib. I annal.

ciendum foret, consulit. illa pollicita respon-sum, cùm intra Imperatoris ædes, tempore quo Christus nascebatur, moraretur, quod Imperator quæsierat attentè contemplans, sublatis repentè in cœlum oculis, vidit prope Solem, aureum circulum, in cujus medio intuita quoque est pulcherrimam Virginem, intra brachia foventem Infantulum. tunc accersito Imperatore, quod viderat in cœlo miraculum, indicavit, & puerum illum omnino futurum Dominum, cui Reges omnes parêrent, prophetico spiritu afflata, prædixit, auditaque de cœlo protinus vox fuit, Hæc est arca cœli. mox Octavianus audito Sibyllæ responso, mandavit, ut eum nemo ampliùs vocaret Dominum, quandoquidem jam, qui omnium erat verus & legitimus Dominus, natus aderat.

Anton. 1 p. histor. tit. 4.

Quid de Carolo Quinto Imperatore invicto? hic cùm in castris audiret Turcarum Regis legatum, de suo Rege magnalia prædicantem, illumque Dominum dominorum vocitantem, justo furore percitus, exclamavit, dicens; Mentiris barbare, quoniam non est dominus, nisi solus Deus; quasi Ecclesiasticum decantans oraculum, Tu solus Sanctus, tu solus Dominus. O piam Principis sententiam aureïs litteris inscribendam! Nam re verâ solus Deus est Dominus, qui jure creationis dominium gerit, ac principatum omnium rerum, quas condidit. Fuit ab æterno semper Dominus, at potestate tantùm, quoniam ante creationem nullæ res erant, quæ illi obtemperarent, ut subditæ, nefas est enim inter divinas personas, dominium nominari, cùm nihil sit in Deo, eo ipso inferius; sed quidquid in illo est, infinitum est. At post orbem conditum, Deus est Dominus omnium, & usu, & actu. Domini est terra & plenitudo ejus.

Florian. Nan. Episcop. Scalensis in Cat. arg. super Gen. conclus. 23.

ejus. Nullus quippe titulus est major, nam verus Dominus duas conditiones sortitur, quæ nulli creaturæ conveniunt; soli autem Deo competunt, quarum una est, ut possit pro libito uti re, cujus est Dominus, & eam augere, minuere, ad nihilum redigere; altera verò, ut nullâ re indigeat. Ante creationem, non dicebatur Dominus, quia non erant subditi, quibus imperaret, relativa enim dicuntur ad convertentiam; pater, ergo filius; dominus, ergo servus. sunt quoque simul naturâ, adeò ut posito uno ponatur & alterum, non potest enim intellectu percipi, quod ponatur dominus, & non ponatur servus, aliter non diceretur ad convertentiam. nec illud debet urgere, pater est ante filium, ergo non simul naturâ, quoniam in relativis duo sunt. unum est ipsa forma relationis, secundùm quam ad aliud sunt; alterum est ipsum fundamentum, & substantia, cui inest talis relatio. hoc prænotato, dicimus quod secundùm formam relationis, nullum relativum antecedit suum correlativum, quoniam non est prior relatio paternitatis, quàm relatio filiationis: nam in patre non potest esse relatio paternitatis, nisi in filio sit filiatio. porrò secundùm fundamentum, nihil prohibet, quod unum sit prius altero, ille enim homo qui dicitur pater, antecessit hominem, qui est filius; non tamen prior fuit pater, quàm fuerit filius, quoniam statim & simul, quod quis est pater, statim quoque est filius. ante creationem itaque non dicebatur dominus, quia non aderat servus. nunc autem omni jure dominus & solus dominus. quoniam dominium creatoris, relationem dicit ad creaturam; inde est, quod licèt ab æterno omnium rerum potestate dominus sit, actu tamen, ab initio solùm creationis, rerum dominus est.

Porrò magnum diſcrimen eſt, inter dominium Deï & hominum, quod homo non eſt dominus naturæ rerum, ſed uſûs tantùm, Deus autem, & naturæ & uſûs. qua de cauſa dicitur ſolus Dominus, non tantùm, quia antonomaticè Dominus eſt, ſed quia dominium creaturarum eſt à Deo, juxta illud: Per me Reges regnant; & quia homo rerum naturas nequit mutare, Deus autem poteſt naturas mutare, alterare, imò etiam ad nihilum redigere. proinde Deus ſolus eſt Dominus. Lepidam ſanè hiſtoriam ſcribit Polydorus Virgilius de Canuto Rege. hic cùm juxta littus maris aſſediſſet, dixiſſetque, Unda tibi jubeo, ne pedes meos tangas. nihilominus unda inſurgens, totum eum madefecit. tum ille ſuos Principes alloquens, En, inquit, vocatis me Regem, qui mari, qui terræ, latè imperem, cùm tamen hanc parvulam undam meo imperio cohibere nequeo. Eſt Rex unus Jeſus Chriſtus Deï filius, cujus nutu cuncta reguntur, & Vintoniam profectus, ſtatim coronam, quam geſtabat, capiti imaginis Chriſti crucifixi ſuis manibus impoſuit, nunquam poſthac ejuſmodi ornamento capitis uſus inſigni.

Polyd. Virg. Angli. hiſt. lib. 7.

Non ſic denique Rex ille inclytus, qui ſedens in throno regio, coronam in capite & ſceptrum in manu gerens, fuit à quodam philoſopho adoratus, tanquam Deus: at ſubinde ad Regis ſolium conſcendit, eïdemque Regi aſſedit, quem cùm Rex objurgaſſet, reſpondit philoſophus, vel tu deus, vel tu homo. ſi deus es, jam te adoravi genuflexus; ſi homo, non facio injuriam, tibi aſſiſtens; nec enim terra erubeſcit, quod alia terra prope ipſam ſit, & pulvis pulveri adhæret. tunc Rex argutè dilemma dilemmate ſolvit, argumentum philoſophi contra ipſum retorquens. Vel

ego ſum homo, vel deus; ſi homo, non leviter peccaſti, me adorans; ſi deus, aſſidere non debebas, cùm nulla ſit inter Deum, & homines, æqualitas. O quàm turpe igitur & indecorum, hominem citò vermibus tradendum, velle adorari, ut Deum.

Humiliamini itaque, ô Principes, ſub potenti manu Deï, per quem Reges regnant; nolite loqui ſublimia gloriantes, ſed ſervite eï, cum timore, mente recolentes, vos eſſe homines, non deos; & omnes Reges Deo comparatos, viliſſimos eſſe vermiculos, totamque terram cœlo comparatam, nihil eſſe. At nemo magnus in puſillo.

Regi cœlicolûm, vos flectite colla, potentes.
Tunc dabit omnipotens, regia ſceptra diu.

Caput XXIX.

Sacros Dei miniſtros piâ veneratione complectatur Princeps, In primis autem Summo Sacerdoti Pont. Max. omnium fidelium capiti, Imperiales faſces humiliter ſubmittat, & Regnum ejus germinabit ſicut lilium.

Quanta veneratione digni ſemper fuerint Sacerdotes, vicem Deï gerentes, ſupremi Monarchæ nuntii cœleſtes, olim præclariſſimi Principes, & virtute, & ſanctitate inſignes, abunde ſatìs docuêre. Proinde generationes illorum, divinis omni tempore benedictionibus repletas fuiſſe, hiſtoriarum tradunt monimenta.

Conſtantinum in primis Romanorum Impera-

torem, tanquam præclariſſimum ſpeculum propono, ad quod lumina Principum convertantur. is enim quandiu vixit, ſanctos ſacerdotes, utpote, angelos humanos, deos terrenos, viros cœleſtes, divino cultui dedicatos, maximis honoribus, & muneribus cumulavit. Quod præclaro Eccleſiaſticæ hiſtoriæ teſtimonio comprobatur. In Concilio enim Nicæno, cum eſſet inter Epiſcopos magna diſſenſio, ſummam reï ad imperatorem Conſtantinum detulerunt. ipſe autem à ſingulis ſuſcepit libellos, quos ſimul omnes in ſinu ſuo continens, ait ad Epiſcopos, Deus vos conſtituit ſacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque judicandi: idcirco nos à vobis rectè judicamur, vos autem non poteſtis ab hominibus judicari, propter quod, divinum expectate judicium, non enim eſt conveniens, ut homo judicet deos. Cúmque hoc dixiſſet, omnes querimoniarum libellos juſſit exuri. Nec ſilentio involvam, quàm benignè ipſemet Imperator tractaverit ſacerdotes in Nicæna Synodo congregatos. Nam Patribus regiam domum præparavit, ſedes, & ſubſellia in ea poni præcipiens qui ſufficerent ordini ſacerdotum; rebus itaque honorificè diſpoſitis, invitavit ingredi, & de præſentibus habere Conſilium. Introivit autem & ipſe Princeps ultimus cum paucis; minori verò ſede, quàm aliis poſitâ, in medio eorum ſedit, primo tamen petens, ſibi hoc Epiſcoporum juſſione concedi. tanti apud eum ſemper valuit auctoritas ſacerdotii. Quid hinc? à manu Deï munifica, ingentibus honoribus, & beneficiis ſemper cumulatus fuit. Siquidem Imperii habenas diu & feliciter tractavit. Condidit Civitatem Romæ æmulatricem. in bellis gerendis ſemper invictus, ſemper Auguſtus triumphavit. In tyrannis opprimendis

Euſeb. li. 8 c. 2.

Hiſt. tripar. lib. 2. c. 5.

mendis

mendis potentissimus, & tandem cuncta prospere agens, plenus dierum, è vita emigravit. cujus memoria semper in benedictione.

Valentinianus hujus nominis primus Imperator, Christianum Constantini animum secutus est. Auxentio namque defuncto, qui Mediolanensem præsulatum tenuerat, evocans Episcopos Imperator, hujusmodi apud eos habuit concionem, Nostis apertè, eruditi utique divinis eloquiis, qualem oporteat esse Pontificem, & quod non deceat eum verbo solùm, sed etiam vitâ gubernare subjectos. Talem itaque in pontificali constituite sede, cui & nos, qui gubernamus Imperium, sincerè capita nostra submittamus, & ejus monita, dum tanquam homines deliquerimus, veluti curantis medicamenta suscipiamus. Histor. tripar. li.7.c.8.

His dictis communi consensu pastor gregis ordinatur Ambrosius, cui tunc præsidialis cura fuerat commissa. Quo facto, hunc hymnum optimus Imperator Salvatori Domino obtulisse fertur. Gratias ago tibi, Domine, omnipotens, & Salvator noster, quoniam huic viro ego quidem commisi corpora, tu autem animas. verba planè aurea, tanto viro digna.

Quis non admiretur Theodosii Imperatoris obedientiam Ambrosio sacerdoti humiliter præstitam? Apud Thessalonicam civitatem quidam judices lapidati fuere. Tunc Theodosius indignatus, delicti auctores interfici jussit, ubi septem millia gladio periere, non præcedente judicio. Hujusmodi autem cladem plenam gemitibus, audiens beatus Ambrosius, cùm Princeps venisset Mediolanum, & solemni pompâ in sacram vellet intrare basilicam, occurrit sanctus Episco-

pus foris ad januam, & ingredientem his sermonibus à sacri liminis ingressu prohibuit, Nescis, ô Imperator, perpetratæ à te necis quanta sit magnitudo? an fortè recognitionem peccati prohibet potestas Imperii? docet tamen, ut vincat ratio potestatem. Coæqualium hominum Princeps est, ô Imperator, & conservus, unus est dominus Rex omnium, & creator. Quibus igitur oculis aspicies communis Domini templum? Quibus calcabis pedibus sanctum Domini pavimentum? Quomodo manûs extendes, de quibus adhuc stillat sanguis innocuus? recede ergo, recede, ne secundo peccato priorem nequitiam augere contendas. Suscipe vinculum, quo nunc omnipotens Deus te ligavit. Mox obtemperavit Imperator. Noverat enim quæ sunt propria sacerdotum, & quæ Regum, gemens, & plorans, ad regalia remeavit. Post multos dies transactos, permissu Ambrosii, sacra limina ingreditur Theodosius, ibique pronus in pavimento jacens, Davidicam emisit vocem, Adhæsit pavimento anima mea, vivifica me secundùm verbum tuum. O verum Christiani Principis exemplum, aureis litteris inscribendum. Ad hanc rem optimè facit Maximi Imperatoris reverentia erga Episcopum Martinum observata. Cùm enim ad Imperatorem Maximum, ferocis ingenii virum, & bellorum civilium victoriâ elatum, plures ex diversis partibus Episcopi convenissent, & fœda circa Principem omnium adulatio notaretur, seque turpi inconstantiâ regiæ clientelæ sacerdotalis dignitas subdidisset, in solo Martino apostolica auctoritas permanebat. Nam etsi, pro aliquibus supplicavit Regi, ita tamen prudenter egit, ut potiùs imperaret, quàm rogaret, & à convivio Principis, frequente rogatus, abstinuit; dicens,

Histor. tripar. lib. 9.

Fulgos. lib. 1.

Theod. li. 5. hist. ecclesf. c. 17.

Sev. Sulpit. in vita S. Mart. li. 6.

dicens, se mensæ ejus participem esse non posse, qui Imperatores, unum Regno, alterum vitâ expulisset. tandem victus præfati Maximi precibus, ad convivium venit, mirum in modum gaudente Rege, quod id impetrasset. Convivæ autem aderant, veluti ad diem festum evocati, summi atque illustres viri, nempe, Comites duo, magnâ potestate præditi, frater Regis, & patruus, medius inter hos, Martini presbyter accubuerat, ipse autem sellulâ juxta Regem positâ consederat. Ad medium ferè convivium, ut mos est, pincerna primum calicem Regi, ut omnium nobilissimo obtulit, ille sancto Episcopo potiùs dari jubet, expectans, atque ambiens, ut ab illius dextera poculum sumeret. Episcopus non recusavit, sed ubi ebibit; calicem, non Imperatori, sed presbytero suo tradidit, nullum nempe existimans digniorem, qui possit prior bibere; nec integrum sibi fore, si aut Regem ipsum, aut eos, qui à Rege erant proximi, presbytero prætulisset. Quod factum Imperator, omnesque, qui tunc aderant, ita admirati sunt, ut hoc ipsum eïs, in quo contemti fuerant, placeret, celeberrimumque per omne palatium fuit, fecisse Martinum in regis prandio, quod in infimorum judicum conviviis, nemo Episcoporum fecisset. O regia dignitas sacerdotis! à summis Imperatoribus in tanto pretio habita, utpote, qui sciant, istos, non homines, sed angelos, & deos, à divinis oraculis appellari. Hinc in divinis litteris nomine regio decoramini; Vos estis regale sacerdotium, quia vos regibus, non Reges vobis præstant, & supra vos nihil erit in terra, sed ipsi vos eritis præsides orbis, duces hominum, custodes legum, & patres omnium. audiant sacerdotes, titulos insignes, quibus decorantur. Matthæus

Lucem appellat. Lucas, ſalem terræ. Hieronymus, generales Apoſtolorum vicarios. Gregorius, ſtellas mundi. Baſilius, ardentes faces. Theodoretus, Deï coadjutores. Exodus, Deos. Malachias, Angelos. Hieremias, Reges. David, Principes. Michæas, duces. Et quæ dignitas, quæſo, aut major, aut præſtantior reperiri poteſt, dignitate Ducali, Principali, Regali, Angelicâ, Divinâ? Hinc ſervus Deï Franciſcus frequenter dictitabat, Si Angelus, & ſacerdos mihi eodem tempore occurrerent, priùs ſacerdoti, deinde Angelo honorem exhiberem. Sanctus quoque Antonius Abbas, quoties ſacerdotem obvium habebat, caput aperiebat, & in genua coram eo provolutus, benedictionem humiliter poſtulabat, eamque tanti faciebat, ut ſingulari ſe honore crederet affectum, ſi quando eandem obtinuiſſet. Nec immerito tot honoribus, & titulis cumulantur ſacerdotes, utpote, qui peccata remittunt, abyſſos claudunt, diabolos fugant, mortuos ad vitam revocant, miracula patrant. Proinde Vates regius divino afflatus ſpiritu canebat, Nimis honorati ſunt amici tui Deus. Iſtos itaque tanquam Deï miniſtros venerare, ô Princeps, & copioſam recipies benedictionem à Domino. Sed in primis ſacerdotem maximum, Pontificem ſummum, ſucceſſorem Petri, Vicarium Chriſti, Romanæ Eccleſiæ caput viſibile, in ſupremo dignitatis culmine, ſupra homines, citra Deum ſolum conſtitutum, cui Principes, Reges, Imperatores, faſces ſuos Imperiales ſubmittunt, majeſtatem Pontificiam adorantes. ita factum fuiſſe legimus ab Attila Hunnorum Rege, qui ob ſuam feritatem Italiæ terror, & flagellum Deï dicebatur. is cùm in conſpectu Leonis Papæ, totiuſque Cleri Romani,

qui eï occurrit, veniſſet, tacitâ quadam in viro ſancto majeſtate perterritus, arma depoſuit, & ſuas copias, ab indicto urbis excidio continuit, affirmans ſe clarâ luce vidiſſe, dum loquentis Pontificis verba exciperet, duos præſtantes viros, Petrum, nimirum, & Paulum, ſtrictis gladiis ejus capiti atrociter minitantes, ni ſacerdotis Deï dictis acquieſceret.

Quod itidem ferè de Mauritio Conſtantinopolitano Imperatore legitur, qui ſtatim ab impia in Pontificem Maximum, Gregorium Magnum, tyrannide abſtinuit, ſuperbâ dominatione, in Sanctiſſimi Pontificis obſequium commutatâ, ubi intellexit quendam inaudito, & prodigioſo ſpectaculo, monachali habitu indutum, cujus nomen, adventus, & diſceſſus omnes latuit, minaci enſe in foro Conſtantinopolitano, ſpectante populo, clamantem, dixiſſe, Imperatorem citò hoc gladio periturum, niſi ſanctiſſimis monitis obtemperaret.

Albertus Kranth. li. 6 hiſt. Saxon. c. 16.

Fredericus primus Imperator, Romanæ Eccleſiæ majeſtatem, & Summi Pontificis auctoritatem, & verbis, & rebus egregiè confeſſus eſt. Nam cùm in Italiam veniſſet, Adrianum Quartum Pontificem, ita humiliter veneratus eſt, ut ad ejus pedes primùm venerabundus accederet, deinde deſcendenti ex equo ſtapedem teneret.

Quid de humili erga Pontifices Romanos obſequio, Ludovici Imperatoris Germaniæ Regis? is cùm Romam adiiſſet, & conſiliis cum Benedicto Pontifice maturè compoſitis, inde profectus eſſet, ejus è vita tranſitum in itinere cognoſcens, mox mœſtus urbem repetiit. Non multò pòſt Nicolaüs Romanus ex diacono eligitur, Cæſare præſente conſecratur, rurſumque in Patriarchium Lateranenſe deductus, coronatur, inde paucis inter-

interpositis diebus, cum Ludovicum de profectione cogitare audisset, officii causâ ad eum in castra venit. Quod ubi Ludovicus sensit, obviam aliquanto viæ spatio prodiit, & desiliens ex equo, frenum, per integrum sagittæ ictum, tenuit, & convivio sub militari tabernaculo excepit, quo suavissimis sermonibus celebrato, donis ipsum magnificis coluit, & in urbem reverenter prosecutus, destinato in loco iterum ad frenum accessit, osculoque sancto pedi oblato, in tabernaculum se recepit; atque inde in Lombardiam perrexit. O memorandum exemplum ante fores Principum aureïs litteris inscribendum! Sed quid de multis Galliæ Regibus? nonne illorum præcipuum munus fuit Catholicam Ecclesiam tueri? Apostolicæ Sedis dignitatem defendere? turbulentorum hominum audaciam perfringere? Proinde optimo jure inter omnes Christianos Reges,miro omnium populorum consensu, atque applausu, Christianissimi dicti sunt. In primis autem Pipinus, & Carolus Pipini filius, qui ob res præclarè gestas, Magni cognomen obtinuit, ambo Romanam sedem usque adeò coluere, ut non modò sacerdotium ab omni vi hostili semper tutati sint, sed etiam summis sacerdotibus occurrere, illorum pedes osculari, & pedestres ipsi à frenis equorum, quibus sacerdotes vehebantur, illos in urbes suas introducere in magna gloria, atque in summa sui nominis, & diadematis claritate posuerint. Hoc autem fiebat, tum supremæ dignitatis veneratione, tum etiam grati animi ergô, in memoriam revocantes, quod quidquid præclari, atque præstantis habent, sive imperatoria munera, sive regios titulos spectaverimus, à sacerdotali munificentia acceperunt. Siquidem, quod Reges Galliæ occidentali

dentali imperio primi potiti sunt, quodque tam celebri, & insigni elogio præ omnibus Principibus Christianis, Christianissimi dicantur, id certè totum sacerdotibus acceptum referre debent. Quod & libenter faciunt, sese viriliter opponentes, pro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ dignitate tuendâ. probè namque norunt, regiam illis potestatem, non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad ecclesiæ præsidium, esse collatam, ut ausûs nefarios comprimendo, & quæ bene sunt statuta, defendant, & veram pacem his, quæ sunt turbata, restituant, & Romano Pontifici totius orbis Pastori, obedientiam præstent.

Non negamus, ait Innocentius Tertius, scribens Constantinopolitano Imperatori, quin præcellat Imperator in temporibus, illis duntaxat, qui ab eo suscipiunt temporalia, sed Pontifex in spiritualibus antecellit, quæ tantò sunt temporalibus digniora, quantò anima præfertur corpori. Nosse debet Imperatoria celsitudo, quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cœli, luminare majus, ut præesset dieï, & luminare minus, ut præesset nocti. Utrumque magnum, sed alterum majus. Ad firmamentum cœli, hoc est, universalis Ecclesiæ, fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis auctoritas, & Regalis potestas, sed illa quæ præest diebus, id est spiritualis, major est; quæ verò carnalibus, minor, ut quanta est inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges, cognoscatur. Quam planè prærogativam ex eo intelligere potes, quod dictum est, non à quolibet, sed à Deo; non Regi, sed sacerdoti, non de Regia stirpe, sed de sacerdotali prosapia descendenti, Ecce constitui te super gentes, & super Regna, ut evellas,

Innoc. de major. & obed. can. solitæ.

Hierem. c. 1.

evellas, diſſipes, ædifices, & plantes. Siquidem Summi Pontifices ſuper Cathedram Petri ſedentes, ſupremum imperium in toto orbe, ſuper omnes poteſtates ſemper habuere. Iſti enim tantæ Sedis auctoritate, Principes, Reges, Imperatores conſecrant, coronant, deponunt. ô verè thronus Regius, ô cathedra ſalutis, ô ſedes planè admiranda. de te quidem pleno jure dici poteſt, Non

3. Reg. c. 19. eſt factum tale opus in univerſis Regnis. Tu es enim navis illa ſingularis, ut ait beatus Clemens, in qua Apoſtoli tempeſtate quatiuntur, navis ſemper invicta, diris tyrannorum procellis ſæpius oppugnata, nunquam tamen expugnata, fluctibus hæreticorum undique concuſſa, nunquam tamen excuſſa. quia portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. licèt enim potentia tyrannorum, & hæreticorum deceptiones aliquando infeſtent, & multos fideles à fide, & charitate avertant, totam tamen Eccleſiam non deſolabunt. Dicet autem quiſpiam, quomodo portæ inferi non prævalebunt, cùm hodie videamus magna ex parte prævaluiſſe? nonne videmus totam Aſiam, Africamque à Mauris occupatam? Quid? nonne, & Europam multis in locis hæreſis labe inquinatam? quomodo igitur portæ inferi non prævalebunt? non prævalebunt adversùs Eccleſiam, quia fundata ſupra firmam petram, quia Eccleſiaſtica hierarchia uſque ad conſummationem ſæculi perdurabit, quia Regni ejus non erit finis. proinde licèt ventis Aquilonaribus huc, illuc jactetur, nunquam tamen ſubmergitur,

Fluctuat, at nunquam mergitur illa ratis.

Hinc Lunæ comparatur, pulchra ut Luna, quia Eccleſia aliquando plenior, aliquando minùs plena; obſcuratur hac parte Luna, illâ clareſcit; obſcu-

obſcuratur Germania & Anglia, clareſcit Iapon, & China; & ſicut Luna deficit, non Solis defectu, ſed quia ipſa non reſpicit ex diametro Solem, ſic obſcuratur aliqua natio Catholica errorum tenebris, non propter Chriſtum, cujus vocatio & dona ſunt ſine pœnitentia, ſed quia à Sole cœleſti oculos averterunt, propterea eos Deus dereliquit. Gaudeamus igitur, quoniam Eccleſia perpetuò durabit; timeamus verò, quia Luna eſt, ne in nobis deficiat, nunquam tamen deficiet tota ſimul, inconcuſſo manente oraculo; Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua. Si autem aliquis objiciat, quomodo non defecit fides, ſi Petrus Chriſtum negavit? tunc talis reſponſio eſt adhibenda, De fide Petri poſſumus loqui duobus modis, vel in quantum ipſe Petrus erat perſona particularis, vel quatenus univerſalis Eccleſiæ perſonam gerebat: primo modo defecit fides Petri ad tempus, non tamen finaliter, quia per pœnitentiam ad Chriſtum rediit. Egreſſus foras flevit amarè. Scio tamen aliquos doctores aſſeruiſſe, in Petro non defeciſſe fidem, ſed ejus tantùm exteriorem confeſſionem. Porrò ſecundo modo non defecit fides Petri, nam tridui tempore, ſalvata fuit fides in beata Virgine, quamvis tunc temporis in Apoſtolis defecerit fides, ſemper tamen remanſit in Virgine. de qua dici potuit, Mens immota manet. in cujus ſignum tempore paſſionis omnes cereï extinguuntur, præter unum, qui viget accenſus. Inconcuſſa igitur manet iſta veritas, Eccleſiæ navem adverſis ventis agitari, ſed nunquam obrui; à diris hoſtibus impugnabitur, ſed nunquam peribit; in mediis tyrannorum flammis verſabitur, ſed flamma non nocebit eï ad interitum.

Rom. c. 2.

Luc. c. 22.

Auguſt. li. contra mendacium, c. 7.

Leo Papa ſerm. 9 de paſſ. Domin.

hæc

hæc illa viſio planè mirabilis, quam vidit Moyſes. vidit enim rubum, qui licèt arderet, non tamen comburebatur, proinde admirans ait; Vadam, & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus? Quid obſecro per rubum? quid per ignem? Philo Hebræus per rubum ardentem, intelligit populum Hebræum injuriâ oppreſſum; per ignem, Ægyptios oppreſſores, ſed rubus non comburebatur, quia illa tribulatio in bonum illorum convertenda erat, & ipſi incolumes evaſuri.

Gregorius per rubum legem Moſaïcam intelligit. ſicut enim ignis illuminabat rubum, ſed rubi ſpinas non comburebat; ita lex Moſaïca demonſtrabat peccata, ſed peccati ſpinas non auferebat.

Bernardus per rubum ardentem, qui non conſumebatur, intelligit miraculum, quod futurum erat in Beata Virgine, de qua canit Eccleſia; Rubum quem viderat Moyſes incombuſtum, conſervatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem. rubus quidem ardebat, quia peperit Filium, ſed non comburebatur, quia Virgo permanſit.

At Hieronymus per flammam inhærentem rubo, ſed rubum non comburentem, figurat Eccleſiam, quæ flammis tot perſecutionum non conſumitur. cui appoſitè accommodatur urbis Pariſienſis inſigne, Salamandra nimirum in medio flammarum, appoſitâ hâc notâ; Circumdor, ſed non uror. Huc egregiè ſpectat, quod refert Plinius, ait enim, reperiri arborem quandam nomine larix, quæ igne non comburitur; quin potiùs, ſi in ignem projiciatur, ac ſi eſſet lapis, ejus flammis reſiſtit, quod experimento probavit Cæſar, circa civitatem Gezgobiam, ibi namque erat turris ex hoc ligno confecta, cui ignem apponi juſſit, & cum flammis

Plin. lib. 16. naturalis hiſtor.

Celius Rodigin. lib. 6 lect. antiq.

flammis undequaque circumdaretur, nullum detrimentum passa est. En typus Ecclesiæ, quæ flammis hæreticorum undequaque opprimitur, sed nunquam deprimitur; imò sicut vinea, ait Ambrosius, dum ligatur, erigitur; & recisa non minuitur, sed augetur: ita Ecclesia sancta dum humiliatur, attollitur; & dum reciditur, coronatur. ita respondet Ecclesia Frederico Imperatori, qui carmine quodam adversùs Ecclesiam temere blaterabat. Ambr. l. 9. cap. 10. in Lucam.

Roma diu titubans variis erroribus acta
Corruet, & mundi desinet esse caput.

At Ecclesia egregiè respondit,

Niteris incassum navem submergere Petri,
Fluctuat, at nunquam mergitur illa ratis.

Replicavit Imperator,

Fata volunt, stellæque docent, aviumque volatus,
Quod Fredericus ego malleus Vrbis ero.

Audaciam retundit Ecclesia dicens,

Fata volunt, Scriptura docet, peccata loquuntur,
Quod tibi vita brevis, pœna perennis erit.

Hinc etiam malo punico comparatur: nam in cortice amarum, asperum, & durum, interiùs autem suavi constat dulcedine. habet etiam magnam granorum multitudinem, miro artificio dispositam, quæ quidem grana oculis intuentium se objiciunt, quasi lapides pretiosi, quapropter inter alios fructus, à natura coronâ donatur. En symbolum Ecclesiæ, quæ licèt interiùs maximâ dulcedine gaudeat, propter spem Regni cœlestis, exteriùs tamen, innumeras patitur amaritudines; & sicut malum punicum multis granis decoratur, ita Ecclesia meritorum copiâ abundat. coronatur malum punicum, semper regnat Ecclesia, imò quò magis oppugnatur, tantò magis dilatatur, & ma-

jores vires acquirit eundo, quaſi vitis, quæ quò magis reciditur, eò magis abundat, cæſa uberior. oppugnari quidem poteſt, ſed non expugnari.

Qui tibi bella movet, Genitrix ſanctiſſima, non te
Lædit, at ipſe ſuum trajicit enſe caput.
Calce ferit ſtimulum, nam ſe miſer ipſe cruentat,
Quique putat ſtimulos ſe dare, damna capit.
Fortior es cœlo, cœlumque & terra peribunt,
At tu ſponſa Deï, tempus in omne manes.

O navis divina, validis præſidiis undique ſtipata. Quos enim Remiges habet? Apoſtolos. quæ arma? Sacramenta. quos milites? Fideles. quæ vela? virtutes. quem ventum? qui per varios gurgites ad portum dirigat. Ecce Spiritus ſanctus, qui ſemper aſſiſtit, de quo Vates in perſona Eccleſiæ; Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. quam arborem? Salvatoris crucem, arbor ſe extollit, uſque ad ſidera. Crucis vexillum, & imperium, uſque ad Empyreum.

O navis prodigioſa, in qua novum celebratur certaminis genus, hîc enim milites truncato capite cadunt, ſed cadendo vincunt, ſed patiendo regnant, ſed moriendo triumphant. at quibus armis? non haſtis ferreïs, non acutis gladiis, non globis bellicis, ſed patientiæ clypeo protecti. Cæduntur gladiis, more bidentium, non murmur reſonat, non querimonia, ſed corde tacito, mens bene conſcia, conſervat patientiam. Proinde non ab re, illam turri Davidicæ compararunt expoſitores, ex qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium. nulla quippe armatura fortior adversùs perſecutionum aculeos, quàm viri fortis patientia: nam cùm injuria non fiat, niſi nolenti; qui non ægre fert injuriam, vim omnem retundit injuriæ. Verùm quomodo arcet hoſtes ſine gladiis, ſine jaculis,

culis, ſine globis? en novus pugnandi modus, quem prædixit nobilis illa mulier, Nova bella elegit Dominus. triumphos enim agit Eccleſiá, non pugnando, ſed patiendo, non gladios vibrando, ſed proprium ſanguinem effundendo. idcirco Tertullianus tormenta Martyrum appellabat veſtes palmatas. hic eſt habitus victoriæ noſtræ, hæc palmata veſtis, tali curru triumphamus. hinc ſtrenui milites in Eccleſiis, cum palmis pinguntur, palmas habent in manibus, quia vinculis ferreïs, quibus obſtringebantur, oſcula dulcia imprimebant, benedicentes Dominum. ideo Paulus omiſſis titulis; Ego ſum Apoſtolus, ego vas electionis, ego doctor gentium, ſolo hoc titulo gloriatur, ego vinctus in Domino. Palmas in ore, acclamabant enim coram Regibus, Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. Palmas in oculis, ibant gaudentes ad carceres, ad vincula, quaſi ad epulas, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati. Palmas in pedibus, hinc Tiburtius calcato igne exultabat, Carbones iſti mihi flores videntur. Palmas in corde, Credimus Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Palmas denique in omni loco, in omni tempore, coram omnibus. quia hæc erat vox omnium, Lætamur pro Chriſto graviora pati. Moyſes dicebat, Vadam, & videbo viſionem hanc magnam, quare rubus ardeat, & non comburatur. hoc idem de Martyribus dicendum, magna hæc viſio, tot ictibus tormentorum, quaſi malleïs concutiuntur, & nihil moventur, quaſi dicerent,

Etiamſi fractus illabatur orbis,
Impavidos ferient ruinæ.

Hinc meritò Eccleſia aſſimilatur palmæ; Statura tua aſſimilata eſt palmæ, quia ſicut palma ponderi

non ſuccumbit, ſed contrà nititur; ita Eccleſia poteſt quidem oppugnari, nunquam tamen expugnari. Mirum planè eſt, quod de templo Junonis Laciniæ, ſcribit Plinius: In Laciniæ Junonis ara ſub dio ſita, cineres manent immobiles, perflantibus undique procellis, notâ deinde appoſitâ, Flatus irritus omnis. hoc idem decantant Martyres, veniant procellæ, inſurgant venti, irruant infortunia, ſemper cum Domino erimus. Ecquid nos ſeparabit à charitate Chriſti? an gladius? flatus? flatus irritus omnis. Sanctus Cyprianus martyr, acceptâ mortis ſententiâ, an timuit? exultans, & gaudens reſpondit; Amen, amen. Deo gratias. Sanctus Sebaſtianus, dum ad martyrium ducebatur, in pectore gerebat chirographum ita ſcriptum, Quia Chriſtianus ſum. Edmundus Campianus Societatis Jeſu Theologus, acceptâ in Anglia, pro fidei confeſſione mortis ſententiâ, ſtatim oculis ad cœlum erectis, cecinit, Te Deum laudamus. omnes Sancti ibant gaudentes, quaſi ore pleno acclamarent, Lætamur graviora pati; frangimur, non flectimur; ſecatur corpus in fruſta, at mens immota manens, ſollicitatur fruſtra. urit flamma foris, ſed vis ardentior intus. iſti erant viri, hoc eſt, victores, nam ubi vulgata habet, confortare, & eſto robuſtus, exemplar Hebræum legit; Confortare, & eſto vir. hinc Gregorius dicebat; virum dici à virtute, ſed noſtrâ ætate, homines permulti, viri perpauci. Proinde Diogenes Cynicus in meridie, per forum civitatis facem ardentem manu gerens, quærebat hominem, & dicentibus: Ecce quamplurimi adſunt, reſpondit; Iſti non ſunt homines, quia non ratione, ſed libidine ducuntur. Porrò in primitiva Eccleſia erant viri fortes, qui nullo metu frangebantur. Hinc Eccle-

Ecclesia dicitur signum magnum, quia magnum miraculum à Deo effectum. Nonne magnum miraculum, contra tam diras tyrannorum persecutiones, Ecclesiæ non solùm fundatio, sed (ut ita dicam) prodigiosa progressio? præcipuè si spectentur illi, per quos fundata est, pauci numero, humiles genere, absque ullo mundanæ potentiæ præsidio. O felix navis tantorum Principum pretioso sanguine purpurata, sed præcipuè Petri, & Pauli, qui sunt Catholicæ fideï propugnatores acerrimi, & urbis Romæ vigilantissimi custodes, de quibus egregiè cecinit Venantius, Poëta Christianus, Venantius Fortunat. li. 3 carminum.

Cælorum portæ, lati duo lumina mundi
Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus.
Inter Apostolicas radianti luce coronas
Doctior hic monitu, celsior ille gradu.
Corda per hunc hominum reserantur, & astra per illum,
Quæ docet ipse stylo, suscipit ille polo.
Pandit iter cælis hic dogmate, clavibus alter,
Est via cui Paulus, janua fida Petrus.
A facie hostili duo propugnacula præsunt,
Quos fideï turres, Vrbs caput orbis habet.

O navis divinis elogiis celebranda, quæ multis quidem titulis, quasi rutilantibus gemmis decoratur, sed inprimis quinque privilegiis gaudet insigniri: dicitur enim Una, Sancta, Catholica, Apostolica, Visibilis. dicitur una, ratione communionis fidelium, quam confitemur in symbolo, Credo Sanctorum communionem. est enim Ecclesia, collectio multorum, ad unius Deï cultum. hinc explodendus Henrici Octavi error, Anglorum Regis, qui eò insaniæ devenit, ut diceret, tot esse Ecclesias Christi, quot sunt Regna. ô virum perditissimum, immundæ libidinis causâ, in miseriam

 adeò

adeò turpem redactum. Eia igitur Christiani Principes, hujus Regis periculo sapite, Christi Vicario Romano Pontifici, in his quæ ad Christianam Religionem pertinent, humiliter obedite, & demum ante oculos vestros proponite Regem regum, Judicem universalem, qui venturus est judicare eos, qui sub prætextu temporalis & politici regiminis, Ecclesiasticam Summi Pontificis auctoritatem à Deo datam coarctare, non sine fidelium scandalo, & magno fideï detrimento præsumunt. hæc lubens dixerim Anglici regni calamitatem miseratus. Nam quod olim totius Christianæ religionis exemplar extitit, jam nostris temporibus omnium hæresium officinam non sine lachrymis videmus. Unde non ampliùs Anglia, seu Angelica terra, sed diabolica, ab omnibus ore pleno decantatur. Verùm redeamus, unde digressi sumus; nempe, ad Sanctæ Ecclesiæ unitatem, quæ satìs superque probatur symboli Nicæni testimonio. Credo unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Et jure quidem dicitur una, siquidem Ecclesia est corpus Christi, sed unius capitis, unum tantùm est corpus, ut bene colligit Paulus, divisus est Christus? quasi diceret, ubi unum caput Christus, una tantùm est Ecclesia, quæ est ejus corpus. Nec propterea Ecclesia biceps, quod in ea sint duo capita, visibile & invisibile, quoniam etsi sint duæ personæ, Christus & Papa, Papa tamen est Ecclesiæ caput, ex Christo instituente, & habet vices capitis, ex supremo capite; ac demum Papæ potestas est derivata à Christo, qui propriâ virtute gubernat Ecclesiam. nec hinc sequitur, Ecclesiam esse bicipitem, quia hæc capita subordinata sunt, est enim Christus caput in cœlis, habens Vicarium in terris.

D.Th. in 3 p. q. 8. a. 6.

Titulo

Titulo etiam ſanctitatis decoratur Eccleſia, divino atteſtante oraculo, Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. nec obſtat axioma illud ab omnibus receptum, Bonum conſurgit ex integra cauſa, malum ex particulari defectu. Cùm igitur in Eccleſia ſint multi peccatores, & proinde non ex omni parte habeat ſanctitatem, non debet dici ſancta; præſertim cùm denominatio fiat à majori parte. plures autem ſunt peccatores, quàm juſti, quomodo ergo tota pulchra? Pro explicatione hujus difficultatis notare debes, quod ſigna diſtributiva in ſacris litteris, non uno tantùm modo accipiuntur, ſed aliquando pro omnibus, ſine aliqua exceptione, hoc eſt, pro ſingulis generum, ut illud, In Adam omnes moriuntur. aliquando ſumuntur pro aliquo tantùm genere, hoc eſt, pro generibus ſingulorum, ut illud, In Chriſto omnes vivificabuntur. quod tantùm intelligitur pro genere ſalvandorum, ita quod illud ſignum ſignificat, quod vel omnes quotquot ſalvantur, per Chriſtum ſalvantur, vel quod ex omni genere gentium vivificantur aliqui. quando ergo dicimus, Tota pulchra es, intelligimus, ut diſtribuat pro generibus ſingulorum, hoc eſt, in quolibet ſtatu, & gradu Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ſunt amici Deï, ſine macula peccati mortalis. Nec denominatio fit à majori, ſed à nobiliori parte; à Sanctis nimirum, qui vivunt ſine macula mortali, licet à peccatis venialibus non ſint omnino liberi, quoniam venialia peccata non deſtruunt gratiam, & charitatem, in quibus ſanctitas formaliter conſiſtit.

D.Th. 2. 2. q. 1. a. 10.

Dicimus etiam Eccleſiam Catholicam, hoc eſt univerſalem, ratione loci, temporis, doctrinæ, & materiæ. ratione quidem loci; quia ubique

regnat Ecclesia. Dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum; à polo arctico, usque ad antarcticum, fama fideï Christianæ evolavit. ab Oriente quippe ad Indias usque enavigavit, ab Occidente usque in Americam, à Septentrione usque ad Iapones, à Meridie usque ad Brasiliam. sed quid pluribus immoror? per omnia mundi climata, ad ipsos usque Antipodes protendit. siquidem in omni loco prædicatur Euangelium, vel prædicabitur.

Nec illud multum urget, nunquam in universo mundo prædicatum est Euangelium; sed satìs est, quod omnes obliget, & saltem successivè, omnes illud suscipiant, ejusque fama totum peragraverit orbem. Hinc malo punico comparatur, coronam gestans in capite, quia Ecclesia regnat ab ortu Solis usque ad occasum. Unde plenissimo jure Romanus Pontifex caput Ecclesiæ dicitur, & est Monarcha spiritualis in toto orbe, non quod præsit omnibus hominibus, qui sunt in toto orbe; sed quòd prȩsit omnibus Christianis, toto orbo diffusis.

Augustin. de Civ. Deï lib. 15. Ratione temporis Ecclesia dicitur universalis, quia ab initio mundi perseverabit usque in finem. de qua Angelus Gabriël, Regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. omnes Monarchiæ finem jam dudum acceperunt, at supremum Christi Imperium, in Ecclesia, nunquam cessabit. Ex parte doctrinæ fideï, Catholica est, quia universaliter est vera, nullumque errorem admixtum continet, aut continere potest. denique ratione materiæ, quia omnes indifferenter vocat, omnesque, nullo excepto, suis præceptis obligat, & demum quia ante mundi finem nulla erit natio, quæ ad fidem non sit convertenda; non quia actualiter ad omnes se extendat, vel tempore præterito

Turrec. li. 1 suæ sum. c. 13.

terito ad omnes simul se extenderit, vel in futuro ad cunctos pro eodem tempore se extendere debeat. Quoniam Ecclesia non sic dicitur Catholica, quia omnem hominem in singulari ad fidem actu recipiat. videmus namque multos in sua infidelitate mori; sed quia omnes nationes, & provincias recipit, ex eis aliquos convertendo.

Quarto loco dicitur Apostolica, quia succedit Ecclesiæ, quam moderati sunt Apostoli: nostra enim Ecclesia succedit illi, quam Petrus gubernavit, & hac ratione successor Petri vocatur Apostolicus, ut constat in publicis Ecclesiæ obsecrationibus, Ut dominum Apostolicum, & omnes Ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris, hoc est, Summum Pontificem, qui ideo Apostolicus dicitur, quoniam doctrinæ Apostolicæ custos est, & doctor infallibilis. Et jure quidem Apostolicus, quià continuâ successione à Petro usque ad nostra tempora hæc successio duravit. à divo autem Petro usque ad Pontificem nostrum URBANUM VIII, successerunt sibi continuâ successione Summi Pontifices, ducenti quadraginta tres. Et tanti valuit apud Augustinum hæc successio, ut dixerit, Multa sunt quæ me justè in gremio Ecclesiæ detinent: inter quæ numerat, tanquam quid potissimum, continuam Pontificum successionem, & tamen tempore Augustini non præcesserunt nisi triginta novem Pontifices à Divo Petro usque ad Anastasium, qui Sedem Apostolicam tunc temporis tenebat.

Turecr. li.1, c. 19. Iren. lib. 3 con. her. c. 3.

Postremò Ecclesia dicitur visibilis, quod ex multis Sacræ Scripturæ oraculis, posset probari, sed (instar omnium) locus Matthæi satis abunde convincit, ubi docetur, fratrum delicta ad Ecclesiam fore referenda; at si Ecclesia non esset visibilis,

Matt. 18.

lis, quomodo eï denunciaretur incorrigibilis? Nec obſtat argumentum Lutheri, omnes fideles credunt Sanctam Eccleſiam, ſed fides eſt de non viſis, ergo ſi credimus Eccleſiam, non videmus, & per conſequens non eſt viſibilis; aliàs diceremus, video Sanctam Eccleſiam, & non credo. non urget, inquam, hæc objectio, ſeu deliramentum, ſiquidem hæc duo ſimul verè conſiſtunt, reſpectu diverſarum rationum, nempe, quod omnes fideles credimus Sanctam Eccleſiam, & quod videmus Sanctam Eccleſiam. aliud enim eſt quod videmus, & aliud quod credimus. in quo ſenſu dixit
Joan.20. Dominus Thomæ; Quia vidiſti me, Thomá credidiſti. aliud vidit, & aliud credidit, ut doctè advertit Gregorius, vidit hominem verum, ſed eundem credidit eſſe Deum. ita & nos dicimus de corpore Chriſti myſtico, quod eſt Eccleſia. Nam aliquid videmus, nimirum, collectionem hominum qui adunantur in confeſſione fideï, ſub uno Chriſti Vicario in terris; & aliquid inviſibile eſt in Eccleſia, quod credimus, nempe, fides, charitas, poteſtas ſpiritualis. hæc ſunt, quæ credimus in Eccleſia, cùm dicimus, Credo ſanctam Eccleſiam.

O igitur Cathedra benedictionis, ter quaterque beata, in qua poſt Petrum Apoſtolorum Principem, uſque ad noſtra tempora, quibus URBANUS Octavus Romanæ Eccleſiæ clavum feliciter moderatur, ducenti quadraginta tres Pontifices ſederunt, & præſederunt. Cathedra, inquam, triginta trium Pontificum, qui eam initio naſcentis Eccleſiæ tenuerunt, pretioſo purpurata ſanguine.

O Cathedra veritatis, extra quam nihil ſanctum, nihil validum; nam velut Phœnix unica avis, non per omnes aëris regiones volitat, ſed in

ſolis

ſolis Arabiæ petris reperitur, ita quoque veritas, quæ inſtar Phœnicis unica eſt, nuſquam niſi in petra Eccleſiæ apparet, utpote, quæ nunquam in doctrina fideï errare poteſt, divino acclamante oraculo; Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. ſi enim Eccleſia circa fidem errare poſſet, utique non eſſet fundata ſupra firmum & certum fundamentum. ſed quid? nonne dixit Dominus Eccleſiæ? Deſponſabo te mihi in fide? at hujuſmodi matrimonium eſt indiſſolubile. Eccleſia ergo non poteſt errare circa fidem.

Matt. 16.

Oſeæ 2. Cáno de locis theol. li. 4. c. 4.

O Cathedra ſanctitatis, tu es illa, quæ ſub Silveſtro Pontifice in Concilio Nicæno Arrianam hæreſim, Jeſum Chriſtum ſolum eſſe hominem, non verò ſimul Deum, aſſerentem, condemnaſti.

Tu es illa, quæ ſub Damaſo in Concilio Conſtantinopolitano, Macedonium, & Eunomium in Spiritum Sanctum blaſphemos, profligaſti.

O Cathedra Apoſtolica, nonne tu es illa, quæ ſub Cœleſtino in Concilio Epheſino Neſtorii impietatem, duas in Chriſto perſonas ponentem, confutaſti.

O Cathedra ſalutis, nonne es illa, quæ ſub Leone Primo in Concilio Chalcedonenſi, Eutychetem unicam in Chriſto naturam promulgantem confregiſti?

O navis verè regia, tu pro fide Chriſti glorioſè decertans ſemper triumphos agis, tu manu invictâ hoſtes tuos debellans, vexillum Crucis extollis ad ſidera, tu inſtar armati exercitûs inſtructa, in tres acies diviſa, ſuperborum colla proſternis per totum orbem inclamans, Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat. In prima acie pugnatur & quidem ſtrenuè ſub duce Summo Pontifice,

qui

qui Episcopos veluti tribunos militares pro salute omnium sibi creditarum, ad pugnam summâ charitate incendit. in secunda turma, ecce Nobiles & Primarii unà cum plebe admixti, qui in hac navi militantes, manûs movent viriliter ad prælia. omnes enim in Baptismo nomina dederunt, omnes in Confirmatione arma acceperunt, & omnes pro laborioso certamine gloriosa stipendia expectant. In tertia verò acie sese offerunt Religiosi diversis officiis destinati; horum aliqui, in vallis vigilias agunt, & in propugnaculis veluti in specula excubant, ut sedulò explorent, ne quid respublica Christiana detrimenti patiatur, idque perficiunt in Monasteriis, & Collegiis. Ex his alii extra castra se subripiunt, hostes invadunt, ingentia damna inferentes. & hi sunt præcones Ecclesiastici, quorum sonus in toto orbe ferè intonuit; alii in montibus excubant, in desertis tentoria figunt, insidias hostiles detegunt, & aperto Marte aggrediuntur; hi sunt sancti Patres eremum incolentes. en navis egregiè instructa, ut castrorum acies ordinata.

O Sedes verè divina, in qua sedet, & præsidet Episcopus universalis, totius orbis Pastor, Vicarius Christi in terris, Petri Apostoli verus successor. & meritò quidem hisce elogiis decoratur. quoniam Vicarius is propriè dicitur, qui absentis vices gerit; successor verò, qui in defuncti locum substituitur. Cùm igitur Christus Dominus absens sit, secundùm præsentiam visibilem, Petrus autem mortuus sit, idcirco URBANUS Octavus, Christi Vicarius, & Petri successor nuncupatur. Nec propterea Ecclesia dicenda biceps, quoniam hæc duo capita ita se habent, ut alterum alteri subordinetur, siquidem Christus est caput in cœlis habens Vicarium in terris, ad quem omnia judicia

refe-

referuntur, & à quo omnes principatus pendent. Tres enim ſunt regiminis formæ, Monarchia, quæ unius eſt principatus. Ariſtocratia, quæ paucorum, ſed optimatum. Democratia, quæ penès populum gubernationis ſummam ponit, quam vocant popularem; ubi ad magiſtratus populus ſine diſcrimine admittitur. illa tamen Reïpublicæ forma cenſetur optima, quæ unius eſt dominatio. Porrò quia præſtantiſſimum regimen eſt monarchia, & certum eſt, Eccleſiam Deï à ſapientiſſimo Principe Chriſto inſtitutam, optimè gubernari, quis inficiari poteſt, ejus regimen debere eſſe monarchicum? regitur enim ab uno viſibili ſummo Judice, cuï cæteri omnes Principes ſubjiciuntur. hinc in perſona Petri & ſucceſſorum decantatur hoc diſtichon: Ariſt. lib. 3 polit. c. 5.

Eccleſiam pro nave rego, mihi climata mundi
Sunt mare, Scripturæ retia, piſcis homo.

Scio quidem Imperatorem, mundi Principem nominari, ſuper omnes nationes, provincias, & regna conſtitutum, in cujus ſignum triplici corona decoratur; argenteâ, in Aquiſgranis, quam accipit ab Archiepiſcopo Colonienſi, & ſignificat puritatem; Ferreâ quam accipit ab Archiepiſcopo Mediolanenſi Modœtiæ, & ſignificat fortitudinem; Aureâ, quam dat Romanus Pontifex in Eccleſia ſancti Petri ad altare ſancti Mauritii, & ſignificat excellentiam ſuper omnes Reges, Principes, & nationes; eſt nihilominus ſub poteſtate Papæ conſtitutus, quia Imperatorem tam electum & confirmatum deponere poteſt, & de facto depoſuit, ut egregiè fecit Innocentius Quartus, qui depoſuit Fredericum Romanum Imperatorem, & Regem Siciliæ, nam petiit ab eo, ut daret pacem Eccleſiæ, & mundo univerſo; at ipſe pertinax, veluti alter Pharao, audire renuit, quare cùm fuiſſet

per-

perjurus, sacrilegus, & de hæresi suspectus, Papa depofuit eum. Nonne Fabianus Pontifex inter ipsas etiam Ecclesiæ angustias, Philippum ecclesiasticis suppliciis punivit? Nunquam tamen nisi causâ fideï, Regna per Pontificem mutata sunt, hac enim de causa Stephanus Papa transtulit Imperium à Græcis, in Germanos, & Innocentius Quartus, Regi Portugalliæ, Regni administrationem interdixit.

Euseb. li. 6 hist. eccles. c. 25.

ut patet c. Venerabilem.

Nec objiciatur, quod Constantinus Imperator imposuit coronam Silvestro Papæ, quia hoc fecit, non sicut dominium, & auctoritatem præbens, sed sicut minister obsequens, cujus signum fuit, quod tenens equum, famulatûs, & obsequii officium exhibuit.

Ut dicitur 96. d. c. Constantinus.

Licèt autem ad tanti culminis sublimitatem sit evectus Romanus Pontifex, ut habeat jurisdictionem immediatam in omnes Christianos, ut sit super Reges, & omnes Principes, ut sit Christi Vicarius in terris, ut sit Petri in prælatione successor, ut sit Ecclesiæ universalis Episcopus, & totius orbis Pastor, ad imitationem tamen capitis, qui non venit ministrari, sed ministrare, Servus servorum Deï non dedignatur nominari. Hinc distichon graphicè elaboratum,

D. Th. in tract. cont. impugn. relig. c. 3.

Servierant tibi, Roma, priùs domini dominorum,
Servorum servi, nunc tibi sunt domini.

O præclara Sedes, in qua sedens Gregorius Secundus, Leonem Imperatorem, Iconoclastarum hæresi faventem, atque eam in Italiam inducere molientem, non solùm excommunicavit, sed etiam prohibuit ab Italia solvi vectigalia, & proinde mulctavit eum parte Imperii.

Cedren. in vita Leon.

In hac Sede sedens Innocentius Primus, Arcadium Imperatorem, atque ejus conjugem Eudoxiam,

Fulgos. li. 6. c. 3.

doxiam, à communi fidelium grege ſeparavit, quia, Chryſoſtomo Patriarchatûs ſui honore depulſo, Theophilum Alexandrinum Patriarcham ſuffecerant.

In hac Sede ſedens Innocentius Tertius, Othonem Quartum Imperatorem, anathemate innodavit, & Imperatoris titulo privavit. Blond. Decade 2. lib. 6.

In hac Sede ſedens Innocentius Quartus in Concilio generali Lugdunenſi, conſentientibus univerſis Patribus, depoſuit Fredericum Secundum, & dedit etiam Regi Luſitaniæ coadjutorem quendam, qui Regnum adminiſtraret, quandoquidem Regis negligentiâ, & reſpublica, & religio in Luſitania detrimentum patiebatur.

In hac ſede ſedens Gregorius Septimus, Henricum Quartum Imperatorem depoſuit, & alium eligi juſſit, quod & factum eſt.

In hac Sede ſedens Clemens Sextus, Ludovicum Quartum Imperatorem à Joanne Vigeſimoſecundo, & Benedicto Duodecimo excommunicatum depoſuit. Pighius li. Hierarch. Eccleſiaſt. 5. c. 14.

In hac poteſtate ſedens Leo Tertius, cùm cerneret Chriſtianæ Reïpublicæ curam, à Græcis Imperatoribus negligi, tranſtulit Romani Imperii jura à Conſtantino Irenes filio, ad Carolum Magnum Francorum Regem, eïque Auguſti titulum, & Imperatoris inſignia contulit.

In hac Sede ſummæ poteſtatis ſedens Zacharias, depoſuit Kildericum à Regno, quòd ejus ſocordiâ Catholica Religio in Galliis non modicum detrimentum pateretur, & tranſtulit Regnum in Pipinum Caroli Magni patrem, quam tranſlationem juſtam fuiſſe, nemo ſanæ mentis negabit, præſertim, cùm eventus docuerit, mutationem illam feliciſſimam fuiſſe, nunquam enim Regnum Fran- Paul. Diac. lib. 6, c. 5. de geſtis Longobard.

corum

corum potentius, aut Religio in Gallia florentior fuit, quàm tempore Pipini, & Caroli.

In hac tandem ſupremæ auctoritatis Sede, ſedens Gregorius Quintus, Sanctionem edidit, ut penès ſolos Germaniæ Principes jus eſſet eligendi Regem, qui poſt diadema à Romano Pontifice acceptum, Imperator & Auguſtus appellaretur. Electores verò Imperii ſeptem conſtituit, nempe, tres Cancellarios, Maguntinum, Trevirenſem, Colonienſem Archiepiſcopos: Marchionem Brandeburgenſem Camerarium, Comitem Palatinum Rheni dapiferum, Ducem Saxoniæ, qui enſem portat, Regem Bohemiæ, qui pincernam agit. quod eleganti carmine deſcripſit Poëta,

Blond. Flavius lib.3 decadis 1.

Bellarmin de tranſlat. Imp. Rom. li.3.c.1.

Maguntinus, Trevirenſis, Colonienſis,
Quilibet Imperii ſit Cancellarius horum.
Eſt Palatinus Dapifer, Dux, Portitor enſis.
Marchio, Præpoſitus Cameræ; Pincerna, Bohemus.
Hi ſtatuunt Dominum cunctis per ſæcula ſummum.

Hanc itaque Unam, Sanctam, Catholicam, Apoſtolicam, Romanam Sedem venerare, ô Princeps, Imperiales faſces, & ſceptra, humiliter ſubmitte, pro hac tuenda te ipſum, reſque tuas expone, Conſtantinum, Theodoſium, Carolum, Principes ingenuos, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ acerrimos defenſores, tibi magiſtros conſtitue. & Regnum tuum accipiet benedictionem à Domino in æternum.

Principis æterni ſacros venerare miniſtros,
Tunc tibi perpetuum cœlitus auxilium.

Caput XXX.

Qui sacram religionem coluere, diu & feliciter, ferè omnes regnavere. At qui in eam insurrexere, turpiter quoque occubuere.

PRo constanti habeant Principes, eos, qui ab Ecclesia Catholica defecerunt, in maximas calamitates ferè omnes incidisse. Quod longo rerum usu compertum, & plurimorum exemplis comprobatum.

Si enim Julianus, magni Constantini nepos, sed avitæ pietatis immemor, calamum & gladium, adversùs Romanam Ecclesiam, perfidus sumsit, nonne etiam dignas dedit tanti flagitii pœnas? Siquidem in bello cadens, divinitus sagittâ transfixus, & manu cruore repletâ, Christum blasphemans, in aëremque sanguinem projiciens, dixit, inclamando; Vicisti tandem Galilæe, vicisti. Et vacuatus paulatim sanguine circa noctis medium, infelicem animam exhalavit. Gregor. Nazian. orat. 2. in Iulianum.

Si Valens Valentiniani frater Arrianæ factionis studiosus, Deo dicatos viros, & veræ religionis cultores, crudeliter afflixit, quomodo extremum clausit diem? amisso exercitu saucius, ac trepidus fugiens, ab hostibus in vili tugurio circumseptus, vivus à flammis absumtus est. Amian. Marc. li. 21 hist. Ruffin. lib. 12. histor. c. 13.

Si Anastasius Primus impio & turbulentissimo, Eutychetis errori favit, Christianum nomen detestans, quid hinc? in suorum procerum conspectu, de cœlo tactus ictu fulminis concidit. Zonaras lib. 4 analium.

Si Rex Theodoricus, in sanctissimos Romanos Pontifices, & in omnes Catholicos diram tyran-

nidem exercuit, ob tantæ impietatis flagitium quid eï accidit? apoplexi correptus, in sua impietate animam egit, & , ut scribit Divus Gregorius, in ignem Lyparitanum submersus est,

Greg. in 4 li. dialog. c.30.

Si Justinianus Primus, Eutychiani delirii sectator, aliquando à Catholica pietate defecit: quid hinc? nonne inops consilii, & mentis, amentissimus ex hac vita decessit?

Si Rex Desiderius, nec Deum timens, nec homines metuens, in Adrianum Christi Vicarium insurgens, quàm plurimas urbes Ecclesiasticæ ditionis invadere, & occupare ausus est, ex hac impietate, quem eventum sortitus? non multò pòst Caroli Magni copiis, Regno pulsus, funestissimam suæ temeritatis memoriam Longobardis omnibus reliquit.

Blond. lib.3 decade 1.

Greg. li. 4 epist.

Si Mauritius Imperator Divum Gregorium, & Romanam Ecclesiam perturbavit adeò crudeliter, ut aliquando ad eum Gregorius ita scripserit: Etsi peccata Gregorii tanta sunt, ut pati talia debeat, Petri Apostoli peccata nulla sunt, ut vestris temporibus pati ista mereatur. Quid inde? in suorum odium prolapsus, conspiratione militum in eum factâ, à Phoca cum uxore & liberis obtruncatur.

Io. Zonaras in sua hist.

Si Heraclius pristinæ suæ pietatis oblitus, quâ sibi tot victorias paraverat, sancta Romanorum Pontificum monita contemnens, Monothelitarum impietatem secutus est, quem finem sortitus? infelix hydropisi decessit, miserrimo illo morbi genere cruciatus.

Paul. diac. lib. 21.

Si Constans Imperator universa almæ urbis Romæ ornamenta diripuit, Christique Vicario Martino Primo, sceleratas manus ausu temerario injecit, an divinam ultionem effugit? non ita. in Siculis balneïs turpiter à suis occiditur.

Si

Si Constantius Arrianis favens, S. Dionysium Marlianum, Mediolani Archiepiscopum, in Catholica fide constantem permanentem, in Cappadociam insulam relegavit, an divinam evasit ultionem? obscuro loco, & maximo cum animi mœrore, vitam finivit. Roffinus lib. 10. c. 20.

Si Valentinianus Junior, Divum Ambrosium Episcopum Mediolanensem, multis modis vexavit; imperavit enim, ut basilicam hæreticis traderet, ut in Palatio suo coram ipso de fide disputaret, exilium, ni obsequeretur, comminatus, quid eï accidit, divinâ sic permittente justitiâ? infami suspendio necatus est. Ambros. lib. 5. epist. 32.

Si Michaël Imperator Theophili filius, in Nicolaum Primum Romanum Pontificem, superbè nimis se gessit, & Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum summâ injuriâ deposuit, quo fine diem extremum clausit? cùm ebrius cubitum iret, stans juxta lectum à suis domesticis trucidatur. Zonaras tom. 3 annal.

Si Fredericus Ænobarbus, Sedem Apostolicam multis annis infestavit, erigens cervicem contra Summos Pontifices, nonne divina ultio eum corripuit? cùm in fluvio, animi causâ, sese ablueret, repentè submersus interiit. Sabell. li. 5. ennead. 9.

Si Philippus, repugnante Sede Apostolicâ, ad Imperium evehitur, nonne ultricem Deï manum sensit? in oppido Bamberga, dum à prandio quiesceret, à Comite Palatino occiditur.

Si Fredericus Secundus Imperator, non tantùm Sedis Apostolicæ, sed & universi Cleri, per totum Imperium hostis acerrimus, ab Innocentio Quarto excommunicatus, non resipuit, imò crudelior indies effectus, quid eï contigit? à spurio suo Manfredo in Apulia interficitur.

Si Manfredus Apuliæ, & Siciliæ Regna occu-

Sabell. lib.7. ennead. 9. pans, Ecclesiæque persecutor acerbus fuit, proinde ab Alexandro Quarto excommunicatus, quo fine terminavit? à Carolo Regis Gallorum fratre, quem Urbanus Quartus Siciliæ & Apuliæ Regem declaravit, debellatur, & in acie occiditur.

Si Ludovicus Quartus Imperator à Sede Apostolica bis excommunicatus, primùm à Joanne Vigesimosecundo, postea à Clemente Sexto, & indies in Ecclesiam acerbior, an manum Deï omnipotentis evasit? cùm in venatione esset, subitâ paralysi omnium membrorum correptus, ex equo decidens moritur.

Si Justinianus Secundus, Heraclianæ stirpis ultimus, impiam synodum reluctante Romano Pontifice, indicere, & celebrare præsumsit, quid hinc? abscissis naribus Chersonam relegatur, & licet opera Bulgarorum restitutus, iterum imperio deturbatus est, & cum Tiberio filio unico contrucidatus.

Si Constantinus Quintus, piorum omnium hostis, duos Constantinopolitanos Antistites, omni supplicio excruciatos, capite mulctavit; non multò pòst divina ultio subsecuta est. Nam exiguo temporis intervallo, insanabili elephantiâ consumtus est.

Si Leo Quartus Imperator, avaritiâ, impellente, per joci speciem, veluti alter Siculus tyrannus, Fulgos. li.1.c.2. templa diripiens, ex sanctæ Sophiæ capite, coronam auream, pretiosis gemmis onustam, sustulit, & eam sacrilego suo capiti imposuit, nonne Deus eam impietatem ultus est? ita quidem. nam pro gemmis, venenati carbunculi Leonis caput obsederunt, & coactus diadema deponere, impium Blond. lib.1.decade 2. spiritum exhalavit.

Si Constantinus Sextus, legitimâ uxore spretâ, concu-

concubinam superinducens, sacrosancta matrimonii fædera violavit, ab Irene matre Regno expulsus, excæcatur.

Si Leo Armenius hujus nominis Quintus, divorum veneranda simulachra, & sacras reliquias exsecrans, conculcavit, merito ab adversariis in æde sacra multis vulneribus confoditur.

Si Henricus Quartus sacerdoti insultans, adversus Summos Pontifices arma sumsit, permittente Deo, ab Henrico Quinto ejus filio, Regno privatus, & carcere, & miseriis pressus, vitâ excessit. Nauclerus volum. 3.

Si Vitiza Gothorum Rex, contra sanctorum Conciliorum sanctiones, in ditione sua sacerdotibus non conjuges modò ducere, sed multas quoque habere permisit, nonne divinam ultionem sensit? prælio victus captusque, lumina, Regnumque simul amisit, & in tetro carcere decessit. Fulgos. li. 1. c. 2.

Si Honoricus Vandalorum Rex, cùm Arrianâ hæresi laboraret, complures Catholicos Episcopos ab Africa exilio mulctavit, & multos etiam morte affecit, an tantum scelus semper impune fuit? non. post multum temporis, in dirum morbum incidit, & scaturientibus è corpore ejus undique pediculis, hoc supplicii genere, sceleris sui pœnas luit, & experimento didicit, quàm horrendum sit incidere in manus Deï offensi. Omnes, omnes, qui à tramite pietatis deviantes, Sanctissimæ Matris Ecclesiæ decreta neglexerunt, exitiales exitûs habuere, ut eleganter cecinit Poëta, Victor lib. 3.

Ad generum Cereris sine cæde, & vulnere pauci
Descendunt Reges, & siccâ morte Tyranni. Juven. sat. 10.

Domitius Nero, crudelitatis exemplum, sævitiæ portentum, horrendum naturæ monstrum, quantam Christiano nomini cladem intulerit, vix po- Ioan. Bapt. Egnat. lib. 1.

teſt explicari. attendamus exitum. Diis, hominibuſque inviſus, ab omnibus derelictus, in miſeram fugam compulſus, ut effugii locum inveniret, latibula omnia exquirebat; cùm autem intelligeret, nullum ſpeï locum relictum, & timeret, ne graviora eï in morte contingerent, ſibi ipſi tortor exiſtens, ferrum jugulo adegit, adjuvante trepidam manum eunucho Sporo. de cujus infelici exitu circumfertur, Nero, ne moriatur, moritur. ut evadat conjuratos, ipſemet adversùs ſeipſum conjuravit.

Euſeb. li. 2. c. 17 hiſtor. eccleſ.

Domitianus ab omnibus contemtus, amicorum conſpiratione trucidatus eſt.

Diocletianus ne in manus hoſtium deveniret, venenum ſibi propinans, animam exhalavit.

Decius à Gothis ſuperatus, & caſtris exutus, miſere in undis ſuffocatus eſt.

Euſeb. li. 8 hiſtor. c. ult.

Maximinus tam horrendis doloribus correptus eſt, ut medici etiam ethnici dicerent, divinam eſſe plagam.

Maxentius in Chriſtianos nonne omne genus crudelitatis exercuit? ſed quis exitus? eò miſeriæ devenit, ut deletis copiis fugiens, in Tyberim inſilierit, ibique gurgitibus abſorptus eſt.

Valerianus à Rege Perſarum in captivitatem ductus, Ephippiarii munus exercuit, ſtapedem tenens, barbaro Rege equum conſcendente.

Euagrius lib. 4. c. 16.

Juſtinianus ſenior donec Catholicus fuit, feliciſſimè imperavit, ita ut Italiam, Africam, aliaſque multas provincias Romano Imperio reſtituerit. at ubi hæreticus factus eſt, & edictum proponere voluit de ſua hæreſi recipienda, mox repentinâ morte ſublatus eſt. O divinam ultionem meritò illatam, non ſolùm Principibus Eccleſiam perſequentibus, ſed etiam hæreſiarchis ipſam dilaceran-

laceran-

lacerantibus. audiamus & iſtorum tragicum finem.

Arrius dyſenteriâ vexatus, & internis cruciatus torminibus, in latrinis animam exhalavit. Ruffin. lib. 10. hiſtor. c. 13.

Manichæus fuit excoriatus vivus à Rege Perſarum, cujus corpus pelle exutum, dilaniandum beſtiis traditum, cutis autem tanquam uter, in ſignum tantæ iniquitatis, ante portas ſuſpenditur. ad tantum enim dementiæ prevenit, ut ſe Paracletum vocitaret. Epiphan. hæreſ. 66. Cyril. Hieroſolymit. catecheſi 6.

Neſtorii impii linguam vermes, blaſphemiæ vindices, corrodentes, mori coëgerunt. Euagrius lib. 1. hiſt. c. 7.

Lutherus ſacrilegus, vitam clauſit multò ſuaviùs, nam bene potus, & cibo diſtentus, abſque ullo externo pietatis ſigno, cubitum ſecedens, apud inferos pernoctavit. Cochlæus in vita Lutheri.

Zuinglius armatus adverſus Catholicos, agmen ducens, in acie interfectus eſt.

Carolſtadius miniſtrorum Baſileenſium relatione, à diabolo ſuffocatus interiit.

Priſcillianus hæreſiarcha, cum ſociis, à Maximo Chriſtiano Imperatore, necatus eſt. Hieron. li. de viris illuſtrib.

Joannes Hus, & Hieronymus de Praga, in Conſtantienſi concilio, ab Imperatore Sigiſmundo exuſti fuere.

Simon Magus, cùm volare vellet, orationibus B. Petri dejectus, tibias fregit, & paulò pòſt, cum ſumma ignominia obiit. Ægeſip. li. 1. c. 2. Euſeb. li. 5 hiſt. c. 16.

Montanus, & Theodotus, laqueïs ſeipſos necaverunt. Cochlæus in actis Lutheri.

Oecolampadius, cùm veſperi ſanus cubitum iviſſet, manè inventus eſt ab uxore, mortuus in lecto.

Donatiſtæ quidam, cùm canibus Euchariſtiam projicerent, ab iiſdem canibus lacerati ſunt. Optatus li. 2. contra Parmenianum.

Michaël Servetus in media Genevenſium urbe igni traditus, tam iniquo, atque impatienti

animo, ſupplicium pertulit, ut magnis clamoribus, ſive, ut Calvinus ait, qui hiſtoriam mortis ejus conſcripſit, magno boatu gladium flagitaret; ſed cum in judices planè inexorabiles incidiſſet, tandem aliquando eſt longiſſimo illo, acerbiſſimoque dolore conſumtus.

Hieron. Bolſecus in ejus vita.

Calvinus denique ſceleſtiſſimus, infeliciſſimo exitu vitam terminavit. quoniam à vermibus ſextipedibus, veluti Herodes, veluti Antiochus, & tanquam Maximinus, fuit conſumtus. quin, & invocatis dæmonibus, furibundus, & deſperans, miſerabili cruciatu animam emiſit. ecce tragicus finis. en infelix exitus. ecce miſeranda calamitas impiorum, non quærentium Dominum, à quo bona cuncta procedunt, & ſine quo nihil validum, nihil ſanctum.

Hinc igitur alieno periculo ſapientes, omnes ediſcant Principes, divinum Numen colere, ſacros Eccleſiæ miniſtros venerari, Sanctam Romanam Sedem humiliter adorare, in qua nunc ſingulari Omnipotentis Dei providentiâ, & communi omnium fidelium applauſu, ſedet Sanctiſſimus D. N. URBANUS Octavus, Pontifex Maximus, quem divina benignitas incolumem diu, & feliciter conſervet, ut orbis terrarum totus, ſub aureo regimine triumphans, præ lætitia geſtiens, decantare valeat, Jam feliciter omnia.

Qui colit Eccleſiam, felici navigat aurâ,
At qui contemnit, tendit ad exitium.

EX-

EXPLICANTUR

Propositiones notabiliores quæ in hoc opere continentur.

Acue-

IN-

INDEX RERUM NOTABILIUM,

Quæ in hoc theatro continentur

A

Caro-

D

E

F

G

H

I

L

M

O

P

R

S

T

V